BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
4 A
43 A

8—1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

1 1
f g
63 27

DIALOGI
D. CATHARINÆ
SENENSIS VIRGINIS SANCTISSIMÆ, IN SEX TRA-

ctatus diſtributi, diuinam planè & ad-
mirabilem ſapientiam ad ſpiri-
tualis vitæ inſtitutionem
complectentes:

ANTE ANNOS C. LXXXIII.

PER D. RAYMVNDVM A VINEIS
Capuanum Theologum ex Italico ſermo-
ne in Latinum conuerſi; nunc autem
denuò & accuratiùs longè
& correctiùs typis
excuſi.

ADIECTÆ SVNT SVB FINEM ORA-
TIONES QVÆDAM EIVSDEM SANCTIS-
ſimæ Virginis; vnâ cum ſumma bre-
ui & indice ſingulorum
capitum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INGOLSTADII,
Ex officina Typographica DAVIDIS SARTORII.
Anno M. D. LXXXIII.

8. 4. A. 43

TYPOGRAPHVS LECTORI ſalutem.

CVm non ita pridem Reuerēdiſſimus in Chriſto Dominus, D. Ioannes Franciſcus Bonhomius, Vercellenſis Epiſcopus, & Gregorij XIII. Pont. Max. apud Cæſaream Maieſtatem Nuncius Apoſtolicus, incidiſſet quodam in loco in Dialogos D. Catharinæ Senenſis Virginis ſanctiſſimæ, ante annos ferè centum Brixiæ impreſſos; nihil ille (vt eſt pietatis & religionis ſtudioſiſſimus) prius aut antiquius habuit, quā vt denuò, cùm politiore tùm correctiore etiam typo, magno numero in publicum prodirēt: fore ratus, vt non mediocris inde in pleroſq; vtilitas redundaret, ſi eo animo ac ſpiritu legerentur, quo dictati primùm & conſcripti ſciuntur. Itaq; non ſemèl mecum egit, vt eos primo quoq; tempore prælo ſubijcerem, & in ſuos ac ſuorum vſus exempla centena non pauca, ad ſe tranſmitterem. Feci quod petebat, &, vt quàm correctiſſimi prodirent, operam dedi. Qua in re eò maiore labore opus fuit, quò exemplum, ex quo imprimendi erant, erroribus plurib. & mendis ſcatebat. De ſtylo expoliendo, qui ſimplicior,

&, vt ætas illa ferebat, barbarus eſt, tăetſi initiò nonnihil addubitabam: prudentiſsimorum tamen hominum conſilio vſus, nihil mihi in eo immutandũ duxi; cùm dicerent, rem non verba, vbi de ſalute agitur, quærenda eſſe, & aliquid ætati illi condonandum, quæ, vt verborum ornatu & ſplendore ab hac noſtra facilè ſuperatur: ſic ipſa hanc econtrà vitæ integritatè & ſanctimonia, longiſsimo interuallo poſt ſe relinquit. Tu igitur vtere hoc noſtro labore, amice Lector: & vt, quid vel de hoc ipſo opere, vel de auctore ſanctiſsima Virgine Catharina, ſentiendum tibi ſit intelligas; hæc quæſo pauca quæ ſequuntur, quæq; hoc ipſo nomine ex doctiſſimi Ludouici Granatenſis priore tomo concionum de ſanctis, in hunc locum tranſcripſimus; quemadmodùm etiam epiſtolam, proximè ſequentem non te pigeat breuiter legendo percurrere.

Vale.

EX PRÆFATIONE LVDOVICI GRANATENSIS, IN CONCIONES DE BEATIſſIMA VIRGINE CATHARINA SENENſI; PRIORE TOMO CONCIONUM DE SANCTIS.

SVNT, amice Lector, adeò miranda quæ de beatæ virginis Catharinæ geſtis, miraculis atq; virtutibus referuntur, vt iis qui incomparabilem Dei erga ſuos charitatem minus perſpectam habent, incredibilia forſitan videri poſſint. Quocirca priuſquam de his dicere incipiam, quanta ſit iis, quæ de ea dicuntur, fides habenda, & cur habenda ſit, explicare neceſſarium duxi.

Primùm quidem res geſtas huius virginis multi litteris mandauerunt, ſed omnes ferè ſcripta ſua ex Reuerēdi P. F. Raymundi hiſtoria hauſerunt: qui cùm ſacræ virginis confeſſarius eſſet, ea quę ſcripſit, partim ex ipſius virginis ore audiuit, partim ipſe teſtibus oculis vidit, partim etiam ab aliis fide digniſſimis accepit. Fuit autē hic vir & litteris, & vitæ integritate, & ſingulari prudentia adeò celebris, vt totius Prædicatorij ordinis (quæ ſumma apud nos dignitas eſt) Generalis magiſter creatus fuerit. Hic igitur vir adeò inſignis, iureiurando confirmat, ſe nihil in ea hiſtoria dicturum, cuius teſtimonium & rationem, qua id ſibi compertum fuerit, non afferat.

Scripſit etiam nonnulla de huius virginis virtutibus R. P. Stephanus Senenſis, Prior Carthuſiæ Ticinenſis, qui antequam hoc vitæ inſtitutum profiteretur, familiaris admodùm huic virgini, & amanuenſis eius fuit, omniumque itinerum eius comes indiuiduus. Qui etiam ſolenni iuramento eorum quæ ſcribit, quorumq; oculatus teſtis extitit, fidem facit.

Quanquam autem horum duorum inſignium virorū teſtimonia iureiurando confirmata, ad faciendam fidem

ſatis eſſent, maiorem tamen adhuc fidem facit Pij Pontificis Max. bulla, qua ſacra virgo in ſanctarū Virginum catalogum relata fuit: in qua omnia ferè quæ de ea in eius vita referuntur, Apoſtolica autoritate confirmata ſunt. Ab eo namque Fredericus Romanorum Imperator, Senenſis ciuitas, ac Venetiarum Dux ſuis precibus, vt hanc virginem (ob ſingulares eius virtutes, quæ in proceſſibus ſumma autoritate conſcriptis continebantur) in Sanctorum catalogum referret, poſtulârunt. Quorū precibus, inquit Pius Papa in eo diplomate, non ſtatim annuimus, ſed pro veteri cōſuetudine fratribus noſtris ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus, vni Epiſcopo, alteri Presbytero, reliquo Diacono viuæ vocis oraculo commiſimus; vt habitis proceſſibus de vita & moribus ipſius beatæ Catharinæ, deque miraculis eius, ſiue in vita, ſiue poſt mortem patratis, & de reliquis ad canonizationem neceſſariis diligenter inquirerent, nobiſque in ſecreto conſiſtorio, vt moris eſt, fidelem relationem facerent. Commiſſarij autem per annum, & vltrà, donec ex Mantua Romam rediiſſemus, rem diſcutientes, inuentis proceſſibus antiquis apud Venetos & alios, habitis, examinatisq; de nouo teſtibus, & ſumma cum diligentia cunctis ponderatis; cùm ſeorſum inter Cardinales tantùm, omniumque quæ inuenerant, veracem nobis relationem feciſſent, ac deinde per aduocatum ea, quæ nobis expoſuerant, in publico cōſiſtorio denuò recitari curâſſent; poſtremò conuocatis in aula noſtra Romæ vniuerſis, qui tunc erant in curia Eccleſiarum Præſulibus, aſſiſtentibus nobis Cardinalibus, iterum commiſſarij præfati, per organum venerabilis fratris noſtri Guilielmi Epiſcopi Portuenſis, natione Gallici, qui primus eorum erat, rurſus cuncta quæ inuenerant & ritè probata videbantur, coràm explicauerunt. Ex quorum relatione, quæ ampliſſima fuit, hæc ſummatim accepimus, quæ vera, comperta, cognita & explorata ſunt. Virgo Catharina ex ciuitate Senenſi oriunda, mediocribus orta parentibus, prius Deo ſeſe dedicauit, quàm Deum poſſet per ætatem cognoſcere Sex annos nata, vt Domino

no ſeruiret, eremum concupiuit: & vrbe egreſſa, in cauerna quadam, loco ſolitario, delituit, quanuis iubente Spiritu paululùm demorata, domum redierit. Angelicã ſalutationem edocta, quoties paternæ domus ſcalam aſcendit, toties per ſingulos gradus flexo geniculo beatiſſimam Virginem matrem Domini ſalutauit. Et anno maior, virginitatem ſuam conſecrauit Chriſto, quem in ſuà maieſtate ſedentem mirabili viſione contemplata eſt, & arcana cœleſtis aulæ vidit, quæ non poteſt effari lingua mortalis. Mũdanas delicias à ſe omnes abdicauit: orationi totã ſe dedit; corpuſculum ſuum ieiuniis ac verberibus afflixit; coæquales puellas, vt idem facerent & docuit & perſuaſit. Pubes effecta ſciſſis crinibus, mortale coniugium recuſauit, conuicia & maledicta hominum ſpreuit. Beati Dominici habitum (quem fœminę geſtant de pœnitentia nuncupatæ extorſit potius quàm impetrauit. Ancillare officium in paterna domo exercuit, nihil magis cupiens quàm vilis apud homines & abiecta videri. Pauperibus Chriſti (nam id pater ſibi indulſerat) larga manu ſubuenit: ægrotantibus ſumma diligentia miniſtrauit. Diabolicas tentationes & aſſiduas malignantium ſpirituum pugnas, patientiæ clypeo, & fidei galea ſuperauit. Incarceratos & oppreſſos, quibus valuit modis, conſolata eſt. Nullum ab ea verbum non religioſum, non ſacrum excidit. Omnis ſermo eius de moribus fuit, & de religione, de pietate, de contemptu mundi & amore Dei & proximi, deq; cœleſti patria. Nemo ad eandem acceſſit, qui non doctior meliorq; abierit. Doctrina eius infuſa, non acquiſita fuit. Prius magiſtra viſa eſt, quàm diſcipula: quippe quæ ſacrarum literarum profeſſoribus ipſiſque magnarum Eccleſiarum Epiſcopis difficillimas de diuinitate quæſtiones proponentibus. prudentiſſimè reſpondit, adeoque ſatisfecit, vt tanquam agnos manſuefactos remiſerit, quos tanquam lupos & leones ferocientes acceperat. Quorum nonnulli diuinam in virgine ſapientiam admirati, diſtributis mox inter Chriſti pauperes quas poſſidebant ſubſtantiis, accepta Domini cruce, vitam deinde Euangeli-

cam egerunt: Summa huius virginis abſtinentia fuit, & mirabilis vitæ auſteritas. Nam cùm vini & carnium vſum prorſus abieciſſet, neque pulmentariis vilibus vteretur, ad extremum eò deducta eſt, vt nec legumina ederet, nec pane veſceretur, niſi cœleſti, quem verus Chriſtianus in Sacramento ſumit altaris. Inuenta eſt aliquādo à die Cinerum vſque in Pentecoſten ieiunium produxiſſe, ſola Euchariſtiæ communione contenta. Per annos circiter octo minimo herbarum ſucco, eoque parum retento & Communione ſacra ſuſtentata eſt. Ad cibum, quaſi ad ſupplicium pergebat: ad Communionem altaris (quæ illi ferè quotidiana fuit) quaſi ad cœleſtes nuptias inuitata eſſet, ſumma cum alacritate proficiſcebatur. Cilicio ſub veſte vtebatur, quo carnem macerabat, nullæ illi plumæ, nulla puluinaria erant. Lectum ſibi ex aſſeribus conſtrauit, atque in eo iacens breuiſſimum ſomnum accipiebat. Raró enim vltra duas horas interdiu noctuque dormiebat: reliquum omne tempus vigilando, orando, prædicando, opera miſericordiæ agendo contriuit. Spinoſis chordulis carnem ſuam macerauit: dolore capitis penè aſſiduo torquebatur, æſtuabat febribus, nec illarum cruciatu carebat. Luctabatur quàm frequentiſſimè cum Dæmonibus, multiſque illorum moleſtiis vexabatur; ſed agebat cum Apoſtolo: Cùm infirmor, tunc fortior ſum. Nec enim in tantis laboribus deficiebat, nec charitatis opera negligebat. Aſſiſtebat miſeris indigna ferentibus, arguebat peccatores, blandiſſimis verbis ad pœnitētiam reuocabat, præcepta ſalutis omnibus læta dabat. Quid ſectandum, quid fugiendum eſſet, alacri vultu oſtendebat: diſſidentes ſummo ſtudio componebat: multa extinxit odia & mortales ſedauit inimicitias. Pro pace Florentinorum, qui cum Eccleſia diſſidebant, & interdicto ſuppoſiti erant Eccleſiaſtico, Apenninum & Alpes tranſire, atque vſque in Auinionem ad Gregorium XI. Pontificem Max. anteceſſorem noſtrum proficiſci non dubitauit. Cui votum ſuum de petenda vrbe Roma in occulta factum, ſibi ſoli ac Deo notum, ſeſe diuinitùs cognouiſſe monſtrauit. Fuit enim in

ea ſpiritus prophetiæ, multa prædixit antequam fierent, & occultiſſima reuelauit. Rapiebatur ſæpe à ſpiritu, & in aëre ſuſpenſa diuinis contemplationibus paſcebatur; adeò extra ſe acta, vt expuncta, percuſſaque nihil omnino ſentiret. Idque frequenter ſibi contingebat, cùm diuiniſſima reficeretur Euchariſtia. Magnum & ſanctum erat in plebibus Catharinæ nomen: vndique ad eam ægroti & malignis vexati ſpiritib. deducebantur, & multi curabantur. Languorib. in Chriſti nomine imperabat, & Dæmones cogebat ab obſeſſis abire corporib. Propter quas res duob. Romanis Pontificibus, Gregorio (cuius paulò antè meminimus) & Vrbano VI. acceptiſſima fuit; adeò, vt legationibus eorum fungeretur, multisq; & magnis ſpiritualibus gratiis ab eis donaretur.

Eadem, cùm vitæ agonem iam peregiſſet, anno ætatis ſuæ tertio circiter ac trigeſimo, in vrbe Roma diem ſuum clauſit. De cuius animæ in cœlū aſſumptione & glorioſa receptione, ſtupendæ & admirabiles reuelationes factæ reperiuntur apud eas perſonas, quæ virginem dilexêre. Maximè verò apud eius cōfeſſorem Raymundū Capuanum, ſacræ Theologiæ Magiſtrum, qui poſtea Generalis totius Ordinis Prædicatorum pater, Magiſter & Rector effectus eſt. Is namque cùm Genuæ ageret, ea nocte qua virgo migrauit, hora matudina, intra dormitoriū apud imaginem matris Domini eam contemplabatur miro ſplendore fulgentem & verba ad ſe conſolatoria dicentem. Corpus aliquandiu ſeruatum, denique in Eccleſia fratrum Prædicatorum (quæ de Minerua dicitur) Romę conditum eſt, non ſine maxima populi deuotione ac reuerentia. Cuius tactu plerique ægroti ſalutem conſecuti ſunt; adeò vt nonnullis ſaluti fuerint ea tetigiſſe, quæ ſacratæ virginis membra tetigêre. Poſtea quoque virgo ipſa iam cœlo recepta, vota ſupplicantium benignè audiuit, & vt à ſponſo & Domino ſuo Chriſto Saluatore exaudirentur, curauit. Multi enim ex diuerſis ægritudinibus curati ſunt, qui audita beatæ Catharinæ glorioſiſſima fama eius patrocinium ſubitò petiuêre. Propterea Venetiis (vbi nunquam virgo ipſa fuerat) & multis in

locis nomen eius cum veneratione repertum eſt, & vota ei plurima fiunt. Hæc & alia quàmplurima cùm venerabilis idem Epiſcopus Portuenſis in conuentu Cardinalium & Præſulum expoſuiſſet, & liquidò probata eſſe affirmâſſet; rogati ſigillatim omnes cùm Cardinales, tùm Præſules, qui plurimi affuerunt, ſententiam dicere; cunctorum ſuffragiis beata virgo digna cœlo & aſtris declaranda viſa eſt: nec quiſquam fuit, qui non magnoperè canonizationem eius faciendam probauerit. Hactenus diplomatis verba. Hoc igitur Apoſtolicæ Sedis teſtimonium ſatis cuique eſſe debet, ad eorum quæ dicturi ſumus, fidem faciendam.

EPI-

EPISTOLA MARCI CIVILIS BRIXIANI DE DIALOGIS D. CATHARINÆ SENENSIS.

MARCVS CIVILIS BRIXIANVS F. PAVLO SANCHEO ARRAGONENSI ſacri obſeruantis Prædicatorum ordinis, S. P. D.

INTER vitia, quibus Chriſtiani nominis profeſſores à ſuo inſtituto degenerant, illud, Paule Deo obſequentiſſime, apprimè damnandum cenſeo, quod ſalutis erudimenta neceſſaria, ad quæ ſtudioſè perquirenda, ſibiq́; diligenter applicanda inconniuentibus oculis inuigilare deberent, alienas tanquam res, & ſuperuacuas negligunt, quasq́; imprudenter ſibi Chriſti nomen aſſciuerint: potiùs quicquid Chriſtum non ſapit appetunt, quàm quod & nomini conſentaneum ſit, & firmiſſimam opem ad ſalutem conferat. Capitale procul dubio vitium, & mentis caligo mortifera. Sicuti enim ſi ſalubria documenta, quibus animus illuſtratur, addiſcerent, ſuum attendendo finem quà iter ad illum eſt pergerent; Ita his ſpretis veræ rationis expertes, falſa bonitatis ſpecie decepti delirantes eam vitam viuunt, cuius tranſacta errorem fruſtra deinde cognitum ſempiterno miſeri ſupplicio luunt. Nemo quod non nouit, aut bonum amat, aut malum deuitat. Quis enim tàm peruerſa, & ſibi contraria natura eſſet, qui ſi cæleſtem illam Hieruſalem ſolummodò quantum diuina charitas imbecillitati noſtræ per ſua, & Sanctorum patefecit eloquia agnoſceret, rurſusq́; quæ ab illa futuris exulib. mala parata ſint experrecto, & iuſtè penſiculanti animo metiretur, nõ ad eam laxis affectuum habenis curreret, & contraria veluti mortem, quæ & peiora ſunt, reformidaret? Id cùm aliàs, ex quo mihi lucis aliquid inclaruit, ſemper æſtimauerim, tunc præcipuè liquidò patuit, cùm Catharina Senenſis rarum ſanctitatis ſpecimẽ Dialogos

lecti-

lectitandos aſſumpſi. Proh diuinam bonitatem, quæ in illis ad mores componendos documenta propoſita, quæ ad affectus caſtigandos præcepta tradita, quæ ad habendos nos in rationis frenis deſcripta conſilia. Non alibi iucundiùs ad Dei amorem homo allicitur, non horridiùs à peccati culpa deterretur, non profundiùs ſecluſo errore Veritas intimatur, aut clariùs Virtutis dignitas aperitur, & Vitij turpitudo detegitur. Ibi norma integritatis conſeruanda, ibi probitatis augenda diſciplina colligitur, ibi occulta Dei aperiuntur conſilia, ibi diuinæ gubernationis altitudo monſtratur, ibi cæcis per curationem lux redditur, Videntibus noxia defendendo ſeruatur, ibi curioſis Vi rationis oſtenſa ſatisfit, ſapientibus ſua cognitione digna redduntur. Denique in his Dialogis tàm copiosè, ſalubriter, ac ſanctè calliganti humanæ peregrinationi prouiſum omnifariæ eſt, Vt ſaluti ipſius conſuli, meo iudicio, conſultiùs nequeat. Nec mirum, nam Vt ſæpiſſimè, & ex arbitrio ad Deum ſpiritu rapiebatur, eos per extaſim & concipere, & dictare ſolebat. Vnde haud Verebor hoc affirmare, neminem peruerſæ adeò, & obſtinatæ iniquitatis eſſe, qui ſi illos ruminabunda, & non deuoranti lectione tractàrit, ſi non Verba tantùm auribus, ſed & ſenſus mente perceperit, ſi ab illuceſcente Vſquequaque Veritatis lumine oculos prorſus non auerterit, generoſus transfuga non appareat. Quē enim illud non maximè moueat, & Valdè mirabundum reddat, teneræ ætatis Virgunculam, cùm quæ in fæminino ſexu pares Viris eruditione extiterint ſingulari miraculo ſint: tàm profundas ſententias, tàm altè ex ipſa diuinitate depromptas ſcripti cōdidiſſe, Vt Vix plerunque percipi ſapientiſſimis queant? Vt illius glorioſa, & inclyta ſanctitas præceptis ſuis non conciliet auctoritatem: nōnè ipſa ſibi per ſe certiſſimo teſtimonio ſunt? quæcunque fluxerint fiſtula, diuino procul dubio fonte promanâſſe, nec aliunde traxiſſe originem, quàm quo lectorem ducere ſtudiosè contendant. Non poteſt ſolis ſplendor niſi à ſole proficiſci, nec lucis claritatem præter lucem afferre quid poteſt, cœlitùs cœleſtia proueniunt, & quæ Dei ſunt ipſe ſolus nouit. Eia igitur omnes, liceat quæſo mihi deuotiſſime Chriſto Paule tecum, & alios alloqui, eia inquàm omnes, & qui cœleſtia non credentes malo Veſtro contemnitis, & qui falla-

cibus,

cibus ſeculi huius illecti illecebris detinemini, quiq; propriæ ſalutis amantes mortali exuto corpore immortalem conſequi beatitudinem cupitis; eia iterum, atque iterum omnis generis homines omnes vobis ex huius libri fonte aquam plenis pectoribus haurite, ipſam ſitite, in ipſam voſipſos ingurgitate. Qui captus eſt oculis, lucem recipiet, qui triſtis, conſolationem, qui feſſus, quietem, qui tardus, alacritatem, qui debilis, vires, qui rudis, eruditionem. Rurſus, cui lux perſpicua, mens tranquilla, indefeſſi nerui, prompta velocitas, conſtans fortitudo. Doctrinæ lumen, hoc ſe fluuento omnifaria virtute prædito immerſet, & non ſolùm ſui ornamenti conſeruandi præſidia inueniet, ſed & augendi fomenta concipiet. Si cui maiora fide videor promittere, & quæ minimè conſtatura ſint, is in rem præſentem veniens, id eſt, opus ipſum pertractans quid illud ſit, & quid dixerim conferat: tunc ſi non contra ſenſerit, videlicet me longè minora, quàm pro re debuerim ſpopondiſſe, vt hominem loquacem, vanum, & nullius fidei me digito monſtret. Nec quenquam terreat, aut faſtidio amoueat inſimus, et vulgari propior, quàm Latino orationis ſtylus, libuit enim olim ſpirituali Catharinæ patri, quæ ipſa vernacula locutione ediderat, in tale genus dicēdi transferre rerum eloquentia illinc, non verborùm petenda eſt, nec propter ſermonis infantiam rationis elegantia contemni debet. Liber hic non ad aures mulcendas, nec linguam poliendam: Sed ad animam, & ſenſus inſtruendos paratus eſt, nec rectè dicendi: Sed rectè viuendi præcepta continet. Satis, ſuperq; facit, qui quod profitetur, id praeſſe, graphicè, & perfecta ex arte edocet, cæleſtia pollicetur, præſtat abundè, veritatem promittit, dilucidè profert. Ac ſi, vt ex durioris cordicis fructibus corpori guſtulum conqueramus, & dentes concutimus, & palatum multotiens amaritudine offendere ſuſtinemus, multò magis, vt ſalutaria, ac ſua animæ cibaria cōparemus, vt diuina illi miniſtremus edulia, animi ſimul, & aurium molliciem debemus comprimere. Delicati nimis & luxuriantis eſſet putaminum faſtidio talem nucleum perdere, & rem ſaluti adeò vtilem, vt etiam neceſſaria ſit, quia ſecum baldimenta non afferat ſpernere. Poëtas ſæpiſſimè, qui parum ſapiant, & minimo ſale conditi ſint, ſola rhytimi mo-

dua l-

dulatione detenti percurrimus; Et non enim apud nos valebit ſententiarũ dignitas, rationis pondus, lux ſapientiæ, vitalis vtilitas, vt hæc quia verborum fucus non compſerit, faſtidiamus? Si ſapimus, vel ob hoc grata nobis fuerit orationis ſimplicitas, quod nuda ratio oculis præſentatur, quod nulla perſona, nullo lenocinio, nulla extrinſecùs petita ſpecie æſtimantis iudicio ſubtrahitur. Generoſum mercatorem dicimus ſuiſq́; fidentem mercibus, qui res non mangonizatas, ſed vt ut ſunt venditioni exponit, placetq́; ille ingenuus inſtitor, qui nulla verborum calliditate fallat emptorẽ. Hæc cùm ita ſe habeant, nemo ſit, hortor, & conſulo, qui tanta ſe capi ſocordia, ac ſtoliditate patiatur, vt ex hac vitæ arbore, quoniam decuſſa ſint folia, fructus non velit decerpere, & huius pluſquam nectarei procul dubio fontis, quia nõ per artificioſos tubos, ſed naturales tophos perfluat potator eſſe recuſet. Sed moleſta quædam turba, quæ dente liuido huic pulcherrimo Catharinæ lilio, honeſtamentum quærit detrahere, mihi ſtomachum mouet: ait enim, Chriſti ſtigmatum ornamentum non aſſecutam, quaſiq́; immeritò in numerum ſanctarũ redacta ſit obijcit Pontificem, qui eam, vulgari vtar verbo, canonizárit, ſuum fuiſſe conciuem. Caue tibi inuida turba, ne, quos tu fruſtra ad feriendum dentes acuis, patraris ipſa gregis ſui cuſtos Chriſtus Ieſus, cui ſuæ charæ ſunt oues, lupos inſequi ſolet. Velit, nolitue quiſquis aduerſanti incaſſum, animo obſiſtit: Hunc ſanctiſſimæ virgini redemptor noſter cicatricum ſuarum ſtigmata impreſſit, verum eſt quòd profunda adeo ipſius humilitas fuit, tantum vel honeſtiſſimi ſplendoris in hoc ſeculo contempta, vt eorum manifeſtationem deprecata ſit, & tàm illuſtribus ſtellis velamentum precibus impetrárit, eodemq́ue momento pariter & patibuli illius vindicis vitæ mortalium monumenta in corpore, & humillimi animi altam in cœlo gloriam promeruerit. Et quid mirum, cùm his longè maiora aſſecuta ſit, illeq́; omniparens Deus, *qui infirma mundi eligit; quibus fortiſſima quæq; confudat, pro ſua inenarrabili bonitate & diuinioribus illam honeſtamentis illuſtrárit? Per legatur eius vita à beato Raymundo deſcripta fideliter; Perlegatur epiſtola D. Stephani Sacerdotis Carthuſienſis, vt aſſumpto vtar cognomine, in eiuſdem ſanctitatis teſtimonium edita.*

ta. Diui inquam Stephani, qui cùm ſecundis huius ſeculi rebus, delicijsq́; Vinctus detineretur, mirificè ab ea ſolutus, ac familiaris illi factus, Dialogorum plerumq́; dictata calamo ſuſcipiebat. Perlegantur & quæ de eadem à Pio ſecundo Pōtifice carthis condita ſunt. Item alia non pauca, quæ omnia recenſere longum eſſet. Conſtabit præter ſtigmata plurima miranda, ac ſingularia huic ardenti charitate lampadi attuliſſe fulgorem, Vt Chriſtum ipſam ſibi in ſponſam ô ſuſcepiſſe, Vt poſtliminio ad Vitam redditus, cæleſtium archanorum reuelatio: Proprij cordis Chriſti manu facta mutatio alieni inſpectio, diutina Vita nullo, præterquàm ſpirituali cibo refecta, & alia multa, quæ nunc referre non attinet, Vt nulla nos admiratio mouere debeat, cui tot diuiniora attributa ſint, eandem & ſtigmatum gloria fuiſſe donatum. Quantum Verò ad ſanctitatis nomen attinet, potiùs me illorum miſeret, qui id iniquo patientes animo, impiè oppugnant, quàm quòd propulſatorem, defenſorémue deſiderare rem cenſeam. Vita etenim, meo iudicio, grauius teſtimonium ſanctitati affert, quàm mortalium quis. Quanquam, ſi ciuitatis Vinculum fidem ſuſpectam faceret, multò ſuſpectiorem facere deberet eiuſdem inſtituti profeſſio eademq́; religio. Arctioris nanque neceſſitatis coniunctio eſt correligioſos, Vt ita dixerim, eſſe quàm conciues, & tamen Pontifices nonnulli eos in ſanctorum numerum retulêre, non de Monachis, quorum in hoc genere infinita exempla ſunt, ſed de aliis loquor, cum quibus Vnum, eundemq́; colendi. Dei ordinem ſectati fuerant, nemineq́; detractante, nec immeritò recepti ſunt. Nō eſt tàm longè repetenda ſuſpitio, Vt communis parens ciuitas fidē infirmet. Vis omnis, ac facultas teſtandi tolleretur, ſi reiicienda conciuium teſtimonia forent. Id quod quoniam per ſe adeo patet, Vt, qui aduerſantur, potius ridiculi fiant quā aliqua ex parte ſui inſani compotes Voti, non in hac ero aſſeueratione prolixior, ne improborum fatuitas me in id Vitij trahat, Vt ſuperuacanea Veritatis aſſertione proborum, ſalem offendam. Hos tantùm mordaces, ſi quis apud ipſos precibus locus eſt, oratos Vehementer Volo, ne adeo ſibi in hac falſa opinione concepta indulgeant, Vt opera ſimul cum Autoris ſanctitate reſpuant. Tantiſper à proprio obſequio temperent, dum

ange-

angelica huius virginis Dialogos perlegendo cognoſcant. Id cùm effecerint ſuo liberum relinquemus arbitrio, & de ipſa ſentire quid libeat, & nobis etiam quid de eadem ſentiamus, ex ſua voluntate præſcribere. Nunc verò te Paule, quoniam cùm ſat prata biberint, riuuli claudendi ſunt, per Chriſtum, quem vt par eſt, vnicè, ac ſummè colis, rogo, & ſi ſinis oro, vt Catharinam, cui te eximia deuotione deditiſſimū ſcio, quotidianis ſollicitare non deſinas precibus, vt ſua interceſſione, qua nos in hac miſeriarum periclitabunda valle, familiaritas conciliauit, ea in montis Sion tranquillitate perpetua ſecuriùs, latiusq; perfrui mereamur. Vale.

IN-

INCIPIT LIBER DIVINAE DOCTRINÆ, DATÆ PER PERSONAM ÆTERNI patris, loquentis intellectui admirabilis & almæ virginis Catharinæ de Senis, Ieſu Chriſti Sponſæ fideliſsimæ, ſibi ſub habitu beati dominici famulantis; conſcriptus dictante ipſa vulgari ſermone dum eſſet in extaſi ſiue raptu, & actualiter audiente quid in ea loqueretur ipſe Dominus, & coram pluribus referente.

TRACTATVS PRIMVS.

QVOMODO PER ORATIONEM vnio fit in Deo, & qualiter hæc anima de qua hîc loquitur, quatuor petitiones Domino porrigat.

CAPVT I.

EXurgens anima quædam verſus honorem Dei & animarum ſalutem anxia, deſiderio maximo per alicuius temporis ſpatium in habituata virtute ſemetipſam exercendo, ſollicitè in cella cognitionis propriæ fragilitatis, ſtetit vt bonitatem Dei meliùs in ſe cognoſceret, quia poſt huiuſmodi cognitionē illico ſequitur amor, atq; diligendo ſequi conatur & ſe induere veritatem. Sed nullo modo tantùm guſtat, nec eſt ab ipſa veritate tantùm illuſtrata, quantùm oratione mediante, continua, deuota & humili in ſui atq; Dei cognitione fundata. Nam oratio talis vnit animam cum Deo, ſequendo Ieſu Chriſti crucifixi veſtigia. Et ſic ex affectuoſo deſiderio & vnione amoris efficit alium ſemetipſum. Hoc Ieſum dixiſſe videtur cùm ait: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Et iterum. Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, et ma-

niſeſtabo ei meipſum, & erit vnum mecum & ego cum illo. Et in pleriſq; ſcripturæ locis verba ſimilia reperimus, per quæ cognoſcere manifeſtè poſſumus, quòd anima per affectum amoris efficitur alter ipſe.

Et vt hoc apertiùs videre poſſimus, ſciendum quòd à quadam memini ſerua Dei audiſſe quòd dum orationi vacaret cum ingenti mentis eleuatione, pius Deus immenſam affectionem quam ſeruis ſuis habebat, oculo intellectus apertè patefaciebat, dicens: Aperi oculum intellectus & aſpice in me, & videbis dignitatem atq; pulchritudinem rationalis creaturæ meæ, & in pulchritudine quam animæ tribui creando illam ad imaginem & ſimilitudinem meam, iſtos aſpice qui ſunt indumento nuptiali veſtiti, charitate videlicet, multis variis ornati virtutibus, qui ex dilectione continua mihi ſunt coniuncti. Et ideo ſi peteres à me qui ſunt iſti? tibi reſponderem aſſerebat amabilis & omnipotens Deus: ipſi ſunt alter ego, quia ſponte perdiderunt & abnegauerunt eorum propriam voluntatem, facti meæ voluntati conformes, & vniti ſunt in omnibus eam induti. Ergo benè verum eſt quod anima Deo ſe vnit ex dilectionis affectu. Itaq; anima prædicta volendo lucidiùs veritatem agnoſcere, ac agnoſcēdo ſequi, magno deſiderio quatuor humiliter ab æterno Patre poſtulabat. Primùm pro ſe ipſa conſiderans animam in veritate non poſſe doctrinæ vel orationis & exempli proximis vtilitatem afferre, niſi primò ſibi profectum virtuoſè fecerit, videlicet acquirendo & in ſe poſſidendo culmina virtutum.

Secunda petitio fuit pro reformatione ſanctæ Matris

Eccle-

Eccleſiæ. Tertia generaliter pro ſalutifera pace totius orbis & præcipuè Chriſtianorum, qui tàm eleuata ceruice cum execrabili perſecutione ſunt Eccleſiæ ſanctæ rebelles. Quarta verò petitio continebat quod in communi & in particulari cuidam obſcuro & inoppinato caſui diuina miſericordia prouideret.

QVOMODO HVIC ANIMAE DEſiderium excreuit dum ei mundi neceſsitas à Domino demonſtraretur.

CAPVT. II.

HOc verò deſiderium erat ingens atq; continuum, quod ãpliùs et feruentiùs illi creuit & augmẽtatum eſt ex quo ſibi demonſtrata fuit ab vniuerſi opifice neceſſitas maxima miſerrimi mundi, in quanto periculoſo turbine atq; Dei offenſa continua mundus ipſe iacebat. Intellexerat etiam ex quodam tenore litterarum quas à Patre animæ ſuæ receperat, in quibus ipſe demonſtrabat habere pœnam immenſam, atq; doloris intollerabilis aculeum offenſarum Dei & animarum perditionis & perſecutionis Eccleſiæ ſanctæ Dei. Hæc autem omnia ignem ei ſancti deſiderij ſuccendebant cum offenſarum amaritudine. Et cum ſancto gaudio cuiuſdam viuæ ſpei præſtolabatur altiſſimi bonitatem & miſericordiã, tantis atq; periculis malis gratioſè prouideri. Et quoniam in perceptione ſanctiſſimi ſacramẽti anima Deo dulciùs inhæret atq; veritatem eius meliùs agnoſcit, quia tunc anima eſt in Deo, & Deus in illa, quem-

admodum piſces in mari morantur & mare in piſcibus: Ideo deſiderium habuit ardens ad mane ſequentis diei peruenire, vt miſſam audire valeret, quæ dies erat dulciſſimæ Matris Ieſu Chriſti. Quo mane miſſam audiens hora congrua cum ingenti deſiderio & agnitione ſuæ fragilitatis ac imperfectionis, erubeſcendo multùm quia ſibi videbatur eſſe cauſa principalis omnium malorum, quæ fiebant in mundo: vnde concipiebat in ſe quoddam odium cum diſplicentia magna ſui & quadam iuſtitia ſancta, ex quibus purificabat omnes maculas quæ ſibi videbantur & erant in anima ſua, ait: Clementiſſime pater æterne coram te facio quærimoniam de me, vt in iſto finito tempore punias omnia peccata mea. Et quia pœnarum quas proximus meus tolerare debet, ego propter delicta mea ſum cauſa potiſſima, ideo maieſtatẽ tuam exoro ſuppliciter vt ſuper me infligas eas.

QVALITER OPERA FINITA NON ſufficiunt ad puniendum vel ad remunerandum abſq; charitatis affectu.

CAPVT. III.

TVnc veritas æterna deſiderium ſuum acceptando rapiens atq; vehementiùs ad ſe trahens, agebat vt in veteri teſtamento. Quia dum accepta ſacrificia Deo fiebant, ignis de cœlo deſcendens, ad ſe tale ſacrificium attrahebat: ſic illi animæ dulciſſima veritas faciebat, quia mittebat ſancti Spiritus ignem, & ſacrificium ſui ſuccenſi deſiderij rapiebat, quod ei de ſemetipſa facie-

faciebat. Et ait ei: An ignoras filia quòd omnes pœnæ quas anima ſuſtinet vel ſuſtinere poteſt in præſenti ſeculo, nullo modo condignæ ſunt ad culpam etiam minimam puniendam. Quoniam offenſa quæ mihi fit, qui ſum bonum infinitum, proculdubio ſatisfactionem exigit infinitam. Et ideo te noſce volo, quòd non omnes pœnæ quæ dantur in iſto ſeculo ſatisfactoriæ ſunt, ſed correctiuæ, & pro corrigendo filio cùm offendit. Sed eſt verum quod ex animæ feruenti deſiderio ſatisfit, videlicet ex contritione vera & peccatorum diſplicentia: vera contritio, tàm culpæ quàm pœnæ ſatisfacit: non quidem ex pœna finita qua puniatur, ſed ex infinito deſiderio. Quia Deus qui eſt infinitus amorem pariter & dolorem expetit infinitum. Duobus quippe modis infinitũ dolorem exigit, vnum quidem ex offenſa propria quam commiſit contra creatorem ſuum, & alium ex offenſa quam videt à proximo perpetrari. Talium habentium infinitum deſiderium, quoniam ex dilectionis affectu mihi copulantur, & valde dolent cùm offendunt, vel offendere quenquàm vident, omnis pœna quam ſuſtinent ſpiritualem vel corporalem ex quacunq; parte proceſſerit, habet infinita merita, vnde culpæ ſatisfacit, quæ pœnam infinitã habere merebatur, quamuis opera fuerint in ſe finita & finito tempore perpetrata. Sed quia virtus perpetrata fuit cum infinito deſiderio, & pœna ſimili modo tolerata fuit cum contritione atq; diſplicentia defectuum commiſſorum infinita, ideo plenariè ſatisfecit. Ita beatus Apoſtolus Paulus oſtendit eſſe, dum ait: Si linguis hominum loquar & angelorum, & ſi habuero

Prophetiam, & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Oſtendit itaq; beatus Apoſtolus opera finita non habere ſufficientiam ad puniendum ſiue præmia tribuendum abſq; condimento & pinguedine charitatis affectuoſæ.

QVOMODO SANCTVM DESIDErium & contritio cordis culpæ ſatisfacit atque pœnæ in ſe & in alio, & quomodo culpæ ſatisfacit aliquando, ſed non Pœnæ.

CAPVT. IIII.

Oſtēdi tibi filia chariſſima, quomodo culpa in iſto tempore finito non punitur ex aliqua ſimplici & mera pœna quæ toleretur, ſed punitur ex pœna quæ cum ingenti dilectione, deſiderio & contritione cordis ab aliquo ſuſtinetur, & non virtute ſiue meritò pœnæ: immo virtute deſiderij feruentis animæ, ſicuti deſiderium & aliæ virtutes habent in ſe vitam propter Ieſum vnigenitum meum crucifixum, inquantum anima dilectionem extraxit ab illo, & virtutibus veſtigia eius ſequitur, & per hunc & non per modum alium valent. Et ita plenæ ſatisfaciunt culpæ cum intima dilectione acquiſita in agnitione meæ dulciſſimæ bonitatis, & in dolore cordis & amaritudine ſemetipſum atq; defectu proprios agnoſcendo. Quæ cognitio parit odium & di-

& diſplicentiam peccatorum & propriæ ſenſualitatis, quare ſe fructu iudicant indignum & pœnarum valdè dignum. Itaq; dicebat illa dulciſsima veritas: vides quòd ex contritione cordis cum amore veræ humilitatis atq; patientiæ ſe reputant homines pœnarum dignos & indignos fructu. Et ideo per humilitatem omnia patientiſsimè tolerant, & iſto modo ſatisfit, vt iam dictum eſt. Tu poſtulas à me pœnas, vt ſatisfiat offenſionibus mihi factis à creaturis meis, & quæris me qui ſum ſumma veritas & omnium vita cognoſcere pariter & amare. Si vis ergo ad perfectam de me cognitionem venire & me deguſtare veritatem æternam, hæc eſt via ſaluberrima, videlicet vt nunquam à tui cognitione deuies vel diſcedas. Et ex quo profundata fueris in valle humilitatis in te bonitatem meam agnoſcere ſtudeas, ex qua notitia poteris agiliter haurire cuncta tibi neceſſaria. Nulla namq; virtus in ſe poteſt habere vitam niſi charitate miniſtrante, humilitas autem eſt præcipua nutrix baiula charitatis. In agnitione verò tui humiliaberis te conſiderando, per te non eſſe, ſed à mea gratioſa bonitate tuum eſſe recognoſces. Nam antequam ipſi naſceremini vos dilexi. Et ex ineffabili charitate quam ad vos habui, volendo vos ad gratiam recreare, laui vos in prætioſo ſanguine Ieſu Chriſti filij mei, qui fuit abundãter effuſus cũ inextimabili dilectionis ardore. Quæ ſanguinis effuſio facit illum agnoſcere veritatem, qui remouit à ſe nubem amoris proprij, nam aliter agnoſcere non valeret, Tunc in cognitione meæ bonitatis in ſe ſuccenditur anima, cum ingenti dilectione, propter quam in

iugi pœna cõmoratur, non quidẽ in iugi pœna quæ cruciet animam vel exiccet, imo pinguefacit ipſam. Sed quia veritatem meam agnouit, & culpam ſuam atq; cæcitatẽ, & ingratitudinem proximi ſui, pœnam intolerabilem habet. Et ideo, quia me diligit conturbatur, & dolet, nam ſi me non diligeret, non doleret. Statim ergo quod tu & alij ſerui mei noueritis, modo prædicto meam veritatem, oportebit vos iniurias quamplurimas, tribulationes & improperia verbis et operibus uſq; ad mortem propter gloriam & laudem nominis mei multifariè ſuſtinere. Tu ergo & alij ſerui mei tolerate cum patientia & doloribus offenſarum ac amore virtutum propter meam gloriam & honorem. Sic enim agendo ſatisfiet culpis veſtris in tantum, quod pœnæ quas ita tolerabatis veræ charitatis virtute ſufficient in vobis & in alijs ad ſatisfaciendum atq; præmiandum. In vobis quippe fructum habebitis vitalem, extinctis veſtrarum ignorantijs macularum, & ego tradam obliuioni cuncta delicta veſtra. In alijs verò ſatisfaciam propter veſtræ charitatis affectum, & illis donabo liberè ſecundũ diſpoſitionem quam in ſe recipient & acceptabunt. Specialiter illis culpam pariter & pœnam gratioſè relaxabo, qui ſeruorum meorum doctrinam recipere cum reuerentia & humilitate ſe diſponunt. Quomodo? Quoniam ex hoc venient ad veram huiuſmodi notitiam, diſplicentiam atq; contritionem ſuorum omnium peccatorum. Itaq; mediantibus orationibus atq; feruenti deſiderio ſeruorum meorũ humiliter acceptãtes, & benignè recipientes in ſe, gratiæ ſingularis fructum habebunt in maiori ſeu minori gra-

du,

du, prout voluerint, gratiam cum virtutibus exercere. In generali verò dico quòd propter veſtra deſideria ſancta remiſsionem et donationem ſolummodo recipient cõmiſſorum, niſi iam ipſorum tanta foret obſtinatio, quòd à me voluerint ex deſperatione reprobari, ſanguinem filij mei contemnendo, qui eos cum ſumma dulcedine redemit. Quem ergo fructum habebunt? hic eſt ille fructus, quem accipient, quod à ſeruorum meorum inductus & artatus orationibus eos expecto, lumen ipſis exhibens, cõſcientiæ canem excitando, eos deguſtare faciens virtutis odorem, & delectari ſalubri conuerſatione ſeruorũ meorum. Aliquando permitto, quod iſte mundus oſtendat eis miſeriam ſuam, in quo ſentiunt & vident varias paſsiones atq; ſuam inſtabilitatem, vt cor & ſua deſideria ſurſum eleuent, & ſupernam patriam æternæ vitæ perquirant. Et ita prædictis & alijs quàm pluribus modis & vijs, quarum varietatem oculis videre non ſufficit, neq; cor cogitare, neq; lingua loqui præualet, ex ſola dilectione perambulo vt ad ſtatum gratiæ reducantur & in eis mea veritas impleatur. Ad iſta compellor ab ineſtimabili charitate mea, quæ me coegit ad creandum eos, & etiam ſeruorum meorum orationibus, & anxijs, deſiderijs, & offenſarum ingenti dolore, quia lachrimas atq; ſudores, & ipſorum orationes humiles valde gratanter accepto. Nam ego ſum ille qui ſuos proximos amare facio, ac etiam de animarum detrimento viſceroſè dolere. Sed huiuſmodi generalibus non exhibetur pœnæ ſatisfactio, ſed ſolummodo culpæ, quoniam ex ipſorũ parte cum amore perfecto dilectionem meam atq; ſeruorum

meorum appræhendere minimè ſe diſponunt, nec etiam dolorem ipſorum cum amara contritione & perfecta peccatorum ſuorum, ſed cum imperfectione contritionis & amoris. Et ideo non habent neq; recipiunt vt alij pœnæ ſatisfactionem, ſed culpæ. Nam ex vtraq; parte, dantis videlicet atq; recipientis, diſpoſitio congrua requiritur. Et quoniam ambulant imperfecto modo, imperfectè recipiunt perfectionem deſideriorum illorum, qui cum pœnis offerunt pro eis illa coram me. Et quia tibi dixi quòd ſatisfactionem recipiebant, et etiam eis donabatur: Ita rectè veritas eſt eo modo quo ſuperiùs dictum eſt. Nam ex lumine conſcientiæ ac alijs ſupra dictis eis remittitur culpa, quia dum de ſe cognitionē incipiunt habere, fæcem putridam peccatorum ſuorum vomunt & à ſe reijciunt, vnde recipiunt à me donum gratiæ ſingularis.

Hi ſunt in communi charitate cōmorantes, qui ſi loco correctionis humiliter acceptant ea quæ tolerant, & ſi ſancti Spiritus clementiæ minimè reſiſtunt, exeuntes à mortali culpa, vitam proculdubio gratiæ recipiunt. Si verò tanquam ignorantes & ingrati circa me ac indefeſſos ſeruorum meorum labores in ſua miſeria perſeuerant, illico quòd eis à mea miſericordia donabatur, accedit eis in præiudicium & in ruinam. Non vtiq; miſericordiæ defectu, nec illius qui pro ingrato miſericordiam impetrabat, ſed ſolùm ex duritia cordis eius, qui liberi arbitrij manu lapidem adamantinum cordi ſuo ſuperimpoſuit, qui niſi ſanguine frangatur, alio modo frangi non valet: veruntamen etiam dico tibi, quòd eius non ob-

ſtante

ſtante duritia, donec eſt in tempore quo poteſt vti libero arbitrio, ſanguinem poſtulando dilectiſsimi filij mei, & illum imponens eadem manu ſuper duritia cordis eius, indubitanter illud infringet, atq; ſanguinis dulcem fructum inde recipiet, qui pro ipſo tàm abundanter effuſus eſt. Nullum verò de cætero remedium ei reſtat vltra tempus differendo, quia non retulit mihi dotem quam ei tribui. Nam vt beneficiorum meorum quotidie recordaretur, ei tribui memoriam & intellectum, vt agnoſceret veritatem ac etiam affectum, vt me veritatem æternam amaret, quam intellectus agnouit. Iſta dos eſt illa quam ex gratia ſola vobis exhibui, quæ debet ad me patrem redeundo præſentari: ſed ille vendens illam Dæmonio tradidit, & cum ipſo recedēs vadit portando illa ſecum quæ lucratus eſt in vita præſenti, memoriam videlicet implendo delitijs atq; reminiſcentia peccatorū, ſuperbia ſcilicet, auaritia, amore proprio ſui, odio pariter & diſplicentia proximorum, exiſtens cum perfidia perſecutor ſeruorum meorum. In huiuſmodi miſerijs obfuſcatur intellectus, & ita cum ſordibus eorum incidunt in baratrum æternæ damnationis abſq; fine, quia neglexerunt culpæ ſatisfactionem cum contritione cordis, atq; diſplicētia peccatorum. Habes ergo quomodo non ex pœnis finitis tantnm modo, ſed ex contritione cordis perfecta pœna ſatisfacere culpæ poteſt, & non ſolummodo culpæ, ſed etiam pœnæ quæ ſequitur poſt culpam, his qui habent huiuſmodi perfectionem. Generalibus verò ſatisfit culpæ ſolummodo vt iam dictum eſt, quia donum gratiæ recipiunt priuati fæcibus mortali-

um peccatorum, qui contritionem atq; dilectionem non habendo condignas ad ſatisfaciendum ad purgatorij pœnas adducuntur. Itaq; conſpice quod ex animæ deſiderio copulato & vnito in me, qui ſum bonum exceſſiuè ſummum, huiuſmodi pœnæ ſatisfit modicum, atq; ſatis iuxta metam perfectæ dilectionis, orationes & deſideria ſancta largientis atque percipientis. Eademq; ipſa menſura quæ mihi præbetur, & in ſe ab illo recipitur, à mea clementia remetitur. Igitur ignem affectuoſi deſiderij tui iugiter augmentare ſtude, neq; permittas attomum huius tibi cōceſſi temporis inaniter pertranſire, quin humili voce coram me pro eiſdem & oratione continua clames: Ita tibi & animæ tuæ patri dico, quem dedi tibi ſuper terram, vt viriliter toleretis ea quæ conceduntur vobis, omni voluntate propria ſenſitiua perempta.

QVOMODO VALDE PLACET altiſsimo deſiderium velle pro ipſo pati.

CAPVT. V.

VAlde mihi gratum eſt pro animarum ſalute iugiter vſque ad mortis horam labores & pœnas, vndecunque proueniant, vehemens deſiderium tolerandi, quia quantò ſuſtinetur ampliùs, tantò magis dilectionis meæ ſignum oſtenditur. Et ita diligendo plus de mea veritate compræhenditur, & quantò plus agnoſcit, plus de meis offenſionibus dolet, atq; pœnam

nam intolerabilem ſentiit. Tu quippe ſuper te puniendos alienos defectus humiliter à me poſtulabas, & tu nõ aduertebas, quia dilectionem & lumen & notitiam veritatis habere deſiderabas, quia tibi iam dixi, quòd quantò maior erat amor, tantò magis augetur amaritudo ſimul & dolor. Ergo dico vobis, petite & accipietis, quia nunquam denegabo in veritate petenti. Cogita filia, quod amor diuinæ charitatis, qui viget in anima, copulatur & vnitur adeo cum perfecta patientia, quòd vnum non valet ab alio ſegregari. Quare debet anima cum diligit atq; diſponit amare me, ſimiliter eligere ſtatim amore mei tolerare pœnas vndecunq; proueniant, vel qualitercunq; ſibi conceſſero, quia patientia ſolummodo probatur in pœnis. Et vt ex præmiſſis apertè compræhenditur, indiuiſibiliter eſt vnita patientia charitati. Ergo virili corde portate, nam aliter filij fideles atq; ſpõſi meæ veritatis non eſſetis, nec honoris mei & animarũ ſalutis in veritate videremini guſtatores.

QVALITER OMNIS VIRTVS ET omnis defectus fit proximo mediante.

CAPVT. VI.

Vnum te volo non ignorare, ſcilicet quòd omnis virtus & omnis defectus mediãte proximo perpetratur. Ille qui commoratur in odio mei, damnificat proximum atq; ſemetipſum, qui eſt proximus principalis. In genere illi atq; particulariter detrimentum infert. In genere quia tenemini diligere proximum

ve-

veſtrum, velut voſmetipſos. Illum diligendo ſpiritualiter, orationibus & verbis ei conſulendo, & eum ſpiritualiter adiuuādo, temporaliter ei debetis in ſuis neceſſitatibus ſubuenire, ſaltem bona voluntate, ſi nequaquā haberetis aliud, quia qui me non diligit, etiam proculdubio proximum non diligit, & qui non diligit eum, ipſi nō ſubuēit. Primitus ergo ſemetipſum offendit, quia ſibi gratiam abſtulit: deinde proximum ſuum ei ſubſidium ſufferendo, quoniam orationes ei minimè largitur atque ſancta deſideria, quæ coram me pro illo tenetur effundere. Quælibet enim ſubuentio debet oriri ex dilectione quam ei gerit intuitu mei ſancti nominis. Et ecōuerſo, quicunq; defectus proximo mediante perpetratur, quia videlicet me non diligens etiam proximi charitate priuatur, vnde cuncta mala procedunt cum anima nō eſt in charitate mei atq; proximi. Qui namq; bonum non operatur ex conſequenti malum agit, qui verò malum agit, contra quem agit atq; demonſtratur, prius contra ſeipſum, deinde contra proximum ſuum. Non contra me, quoniam in nullo me damnificare poteſt, niſi pro quāto quod illi fit, ego reputo mihi factum. Semetipſum ergo culpæ detrimento damnificat, quæ priuat eum gratia mea, & ita nihil ei deteriùs accidere poteſt: proximū quoq; damnificat & offendit, ei non exhibendo debitū amoris atq; fraternæ dilectionis, ex quibus ei ſubuenire tenetur, uidelicet oratione ſanctiſq; deſiderijs oblatis ante me ꝓ illo. Iſta ſubuētio generalis eſt, quæ debet omnibus impendi. Particularis autem eſt vtilitas illa quæ fit his qui magis veſtris oculis appropinquāt, quoniam ad-

inui-

inuicem ſubuenire tenemini verbo & exemplo bonorũ operum, & in omnibus alijs opportunis fideliter ei conſulendo tanquam animæ ſuæ ſine reſpectu propriæ paſſionis vel vtilitatis. Hæc verò non agit ille qui iam priuatus eſt charitate fraterna. Itaq; vides quòd ita non agens intulit illi particulare damnum. Et non ſolùm dãnificat illum, bonum quod poterat non impendendo, verùm etiam iugi detrimento, videlicet iſto modo. Peccatum actualiter atq; mentaliter ab homine perpetratur. Mentaliter enim iam conſtat eſſe commiſſum quando concipit ex peccato conplacentiã, & odium virtutis ex amore proprio ſenſitiuo, qui priuauit eum affectu charitatis, quem habere debet ad me pariter & ad proximum ſuum. Et ex quo concepit, parit vnum poſt aliud ſuper verticem proximi, modis varijs, vt eius voluntati peruersè placet: Nam aliquando concernimus ſpiritualem atq; corporalem quandam crudelitatem parere: Spiritualis eſt in mortis atq; damnationis periculo videre ſe cæteraſq; creaturas ex priuatione gratiæ, & eſt adeo crudelis quòd amore virtutum & odio vitiorum ſibi & alijs ſubuenire non curat: immo veluti crudelitatis amator ſuam crudelitatem vlteriùs extendere ſtudet, videlicet quia non ſolùm virtutum exemplo minimè refulget, ſed veluti nequam homo dæmoniorum aſſumens officium ſubtrahit à virtutibus & ad vitia iuxta poſſe creaturas adducit: Iſta crudelitas eſt aduerſus animam, quoniam deteſtabile ſe fecit inſtrumentum ad auferendum ei vitam gratiæ, ſibi procurãdo mortem æternam. Crudelitate verò corporali fruitur ex iniqua

cupidi-

cupiditate, quia non ſolummodo de ſubſtantia ſua proximo ſubuenire negligit, verùm etiam aliena rapere iuxta poſſe conatur, perſonas pauperculas expoliando. Aliquando prætextu dominationis, & aliquando ſtudio doloſæ fraudis redimi faciendo bona proximorum, & quòd etiam eſt valde crudeliùs, etiam proximorum perſonas proprias. O miſeranda crudelitas quæ mea miſeratione priuaberis, niſi cum illo redeas ad beneuolentiam atq; pietatem. Et aliquando parit iniurioſa verba, poſt quæ quandoq; ſequitur homicidium. Quandoq; parit in honeſtatem in perſona proximi, propter quam efficitur animal omnino brutum omni putredine plenum. Nec vnũ vel duos tantummodo venenat, ſed vniuerſi qui ſibi dilectione ſiue conuerſatione cohærent ab ipſo proculdubio toxicantur. In quem parit & exercet elationem atq; ſuperbiam, ſolũmodo in proximũ ex propria reputatione ſui & inani iactantia, vnde cum diſplicentia contemnit alios, exiſtimando ſe maiorem, & iniuriam infert illis. Si dominij ſtatum habet, iniuſtitiam atq; crudelitatem exercendo fraudator & vorator hominum eſt effectus. O chariſsima filia, ſuper offenſione mea condoleas, & ſuper hos mortuos amariſsimè plora, vt oratione pia reſurgant ab huiuſmodi morte peſtifera, vides enim vbiq; ab omnibus contra proximum & illo mediante, peccata quàm plurima perpetrari. Alias peccatum occultum ſiue manifeſtum omnino abeſſet. Occultum enim eſt dum illud in quo tenetur illi non impendit, manifeſtum verò quando vitia parit vt iam dixi: verum eſt ergo quòd omnis offenſio mihi facta mediante proximo perpetratur.

QVO-

QVOMODO VIRTVTES MEDIante proximo perpetrantur, & quare virtutes ipſæ tantùm in creaturis poſitæ ſunt differentes.

CAPVT. VII.

NArraui tibi quomodo cuncti defectus mediante proximo peraguntur, quantum ad illos qui priuati ſunt charitatis affectu, quæ virtutes omnes viuificat, roborat & confirmat. Et ſic amor proprius, qui charitatem auſert proximorum, eſt proculdubio malorum omniũ execrabile fundamentũ. Omnia ſcandala, crudelitates & odia & inconueniẽtia multa ꝓcedunt ab iſta venenoſa radice: hic execrabilis atq́ deteſtabilis amor vniuerſum orbẽ lethaliter vulnerauit & infecit, ægritudinẽ inferendo corpori myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ, nec non & vniuerſali corpori Chriſtianæ religionis, quia iam tibi dixi quòd vniuerſæ virtutes in proximi charitate fundantur, ac etiam quòd omnibus virtutibus ipſa charitas vitam adminiſtrat. Et verè ſic eſt, quia nulla virtus acquiri poteſt abſq́ charitate, id eſt, quòd ex pura mei dilectione virtutis meritum acquiratur. Poſtquam enim anima ſemetipſam agnouit, vt iam dixi, reperit humilitatem & odium propriæ paſsionis atq́ ſenſualitatis peruerſam legem agnoſcens in membris ſuis annexam, quæ contra ſpiritum iugiter pugnat. Et ideo cum ſancto zelo ſurrexit, cum odio atq́ diſplicentia præfatæ ſenſualitatis illam conculcando ſolicitudine maxima ſub iugo rationis. In ſe verò reperit ex perce-

 ptione

ptione multorum beneficiorum aſſluentiam bonitatis atq; charitatis meæ, quæ cuncta ruminat in ſemetipſa & particulariter ea recompenſat. Notitia verò de ſemetipſa reperta ex humilitate mihi totum attribuit, cognoſcẽdo manifeſtè quod ex gratia ſingulari de tenebris eam abſtraxi, & ad lumen veræ cognitionis eã adduxi. Mea deniq; cognita bonitate, feruenter amat illam abſq; medio pariter & cum medio: abſq; medio ſcilicet ſui vel vtilitatis propriæ ipſam virtute mediante, diligendo quam ex mea dilectione concepit, quia cernit apertè quòd niſi conciperet odium ex peccato & ex virtute dilectionem, mihi non eſſet accepta ſine gratia. Poſtquam autem ita concepit ex affectu ſyncera dilectionis illico parit illam in proximo ſiue ſuper proximum, quia non eſſet aliter vera virtus illa quam in ſe concepiſſet. Nam prout in veritate me diligit ſic vtilitatem proximo ſuo facit. Aliter enim eſſe non poteſt, quia meus amor atq; proximi vnum ſunt. Et quantò plus me diligit anima, tantò magis proximum eius amat: nam amor proximi ab amore meo procedit & oritur. Hoc eſt vtiq; medium illud vobis à mea bonitate poſitũ vt in vobis virtutes experiamini, & vtilitatem quã mihi facere non valetis, exerceatis eã in proximo veſtro. Et hoc apertè manifeſtat quòd à me per gratiam habeatis in animabus veſtris, fructum in illum exercentes cum orationibus deuotis & affectuoſa charitate meum honorem exquirendo atq; ſalutem animarum. Nunquam anima Philocapta & inflammata de veritate mea, vniuerſo mundo iuxta poſſe proficere

cere negligit, generaliter atq; particulariter, modicùm vel ſatis, iuxta diſpoſitionem recipientis, & prout ingens deſiderium intercedentis à me poſtulat & exigit, vt ſuperiùs eſt expreſſum, vbi declaraui quod ad culpam detergendam abſq; deſiderio vehementi, ſolummodo pœna minimè ſufficiebat. Poſtquam autem vtilitatem attulerit propter vnionem amoris, quam fecit in me, vnde procedit amor proximi eius affectu dilatato circa ſalutem orbis vniuerſi, ſubuemendo iuxta poſſe neceſſitatibus omnium, ex quo primitus ſibiipſi profecit exhabituali conceptu virtutum, à quibus gratiæ vitam extraxit, illico ponere conatur oculum in particulari circa neceſſitates proximorum. Cùm igitur primùm in genere fecerit omni creaturæ rationali ex charitatis affectu, ſicut iam dixi, deniq; propinquis affectuosè ſubuenire conatur, iuxta numerum & qualitatem diuerſarum gratiarum, quas ei conceſſi miniſtrandas & cum proximo participandas. Nam alicui concedo virtutem doctrinæ verbo conſulendo rectè, ſine reſpectu ſuæ commoditatis. Alicui verò exemplum virtuoſæ vitæ, ad quod omnes obligamini, videlicet ædificationem exhibere proximo ſuo, ſanctæ & honeſtæ vitæ. Iſtæ ſunt virtutes & aliæ plurimæ, quas ennumerare longũ eſſet, quas operatur & parit amor atq; ſyncera dilectio ꝓximorum. Et eas diſtribui valde differenter, quoniam omnes vni ſoli cõcedere nolui, præſertim vt quaſi cõpellamini violenter virtutẽ & actũ charitatis in alterutrum exercere. Nã vni cõceſſi virtutem iſtã, alteri verò quandã aliam, quãuis vna perfectè ſine cæteris haberi nõ valeat:

quoniã omnes virtutes adinuicẽ ligatæ ſunt & annexæ. Sed aliquas dono ſingulares veluti principales & pro capite cæterarũ. Alicui namq́ concedo principaliter charitatem affabilem. Alicui iuſtitiam, alteri humilitatem: Alicui fidem viuam: Alteri prudentiam, temperantiam, patientiam. Alteri fortitudinem indefeſſam & imperterritam. Iſtas & alias quam plurimas concedo differenter, non vni ſolummodo, ſed multis. Quamuis anima poſsideat vnam pro principali obiecto, cum qua magis auidè conuerſatur & exercetur quam cum alijs, tamẽ ex illius affectu cæteras virtutes ad ſe trahit. Nam vt iã dixi, virtutes omnes inuicem annexæ ſunt in affectu charitatis. Et ita quam plurima dona & virtutũ gratiæ ſpiritualiter atq́ corporaliter ſunt à bonitate mea diſtributa differenter. Corporaliter dicò pro rebus hominis vitæ neceſſarijs, in tanta differentia ſum omnia largitus, omnia non exhibens vni, vt ex neceſsitate cauſam habeatis virtutem & actum charitatis in alterutrum exercere. Mihi namq́ facillimùm erat, homines quoſcunq́ benè dotare ſecundum corpus & ſecundum animã omnibus opportunis. Ego verò potiùs volui quòd vnus alterius indigeret, vt eſſent mei boni diſpenſatores ad contribuendum gratias & dona, quæ receperunt à bonitate mea. Quia velit nolit homo compellitur vti cum proximo ſuo charitatis actu. Si tamen actus huiuſmodi non fit intuitu mei, quantum ad gratiam nihil ei prodeſt. Itaq́ vides quoniam vt mutuæ charitatis uterentur virtute, meos miniſtros eos conſtitui, & in diuerſis grad;bus atq́ ſtatibus varijs collocaui. Hoc vtiq́ aptè demon-

demonſtrat, quòd in domo mea multæ ſunt manſiones. Nam ego nihil aliud à vobis quam amorem exigo, quoniam in amore meo dilectio proximi conſumatur, & qui proximum diligit, vtiq; legem impleuit. Vnde quicunq; dilectionem habuerit, omnẽ vtilitatem quã proximo ſuo poteſt afferre iuxta poſſe libentiſſimè facit & operatur.

QVOMODO PROBANTVR VIRtutes & fortificantur in hominibus ex contrarijs ipſarum.

CAPVT. VIII.

HVcuſq; dixi tibi qualiter in charitate conſtitutus vtilitatem agit & operatur iuxta poſſe proximo ſuo. Et in hoc actu manifeſtè panditur amor quẽ erga me gerit. Nũc verò dico tibi, quòd ipſo proximo mediãte, probat in ſe virtutes, videlicet patientiam iniuriarum tẽpore quas ab eo recipit. Et experitur humilitatẽ in ſuperbo, atq; fidem in infideli, ſpem verã in eo qui ſe diffidit in ſperãdo: Et iuſtitiam in iuſto, & pietatẽ in crudeli, & benignitatem atq; manſuetudinem in iracundo. Omnes ergo virtutes in proximo ꝓbantur prout iniqui per oppoſitũ, omne vitium etiam in proximo pariũt atq; demonſtrant. Si benè conſideras humilitas in ſuperbia cõprobatur. Nam humilitas extinguit & vincit ſuperbiã, quia ſuperbus humili damnũ inferre non poteſt, nec infidelitas hominis iniqui me non amantis nec in me ſperãtis ei nocere poteſt, qui mihi fidelis eſt, vel eius in aliquo fidem minuere, neq; ſpem illius qui verè concepit, eam in ſemetipſo ex dilectione mea, immo fortificat illam & ex-

peritur in ſyncera dilectione proximi ſui. Cùm enim ipſum videat infidelẽ, niſi & ſine ſpe quacunq;, tã in ſe quã in me, fidelis tamen ſeruus meus non ceſſat ex hoc, quin illum ſyncere amet: ideo ſemper cum viua ſpe quã in me concepit, ipſius proximi ſui ſalutem inquirit. Ille qui me non amat non poteſt in me fidẽ vel aliquam habere ſpem, quia collocauit illam in propria ſenſualitate ſua quã diligit. Itaq; vides quòd in infidelitate talium & in defectu ſpei, virtus fidei comprobatur. In his igitur & alijs, in quibus fuerit expediens illam comprobare in ſe pariter et in proximo ſuo, homo ſalubriter eam experitur. Et ſimiliter iuſtitia non minuitur vel decreſcit propter iniuſti iniuſtitias: immo virtute patientiæ patentis oſtenditur hominem eſſe iuſtum: ſicuti manſuetudo benigna cum patientia virtuoſa manifeſtatur iracundiæ tempore. Inuidia quoq;, diſplicẽtia, & odium proximi ſuperantur ex affectu ſynceræ dilectionis cum anxio deſiderio atq; fame ſalutis animarũ, vt omnino noueris quòd non ſolũmodo virtus hanc experiẽtiam veriſſimã in his qui bonũ pro malo reddere ſatagunt, verùmetiam frequẽtiſſimè carbones igne charitatis accenſos in capite proximi collocabit, qui cordis hominis iracundi rancorem & odium effectualiter annihilat, & ex odio ſæpè reducuntur homines & veniũt ad beneuolentiã. Et hoc à virtute charitatis atq; pfectæ patiẽtiæ pcedit, uiget in illo qui ſuſtinet iniquorũ iram, ſupportãdo defectus in omnibus eorundẽ. Si diligenter attendas, virtus fortitudinis atq; perſeuerantiæ præcipuè conſiſtit & comprobatur in tolerantia tribulationum & moleſtiarum, videlicet virtuoſè portando

tando verborum iniurias, atq; perſecutiones & detractiones hominum qui ſæpè ſeruum meum abſtrahere & impedire conātur, ne viā veritatis et doctrinæ ſequatur: aliquādo cōtumelijs et aliquādo blāditijs. Si uerò virtus iſta fortitudinis eſt intra ſe verè concepta tot, cum forti pſeuerantia patientiſſimè tolerat & illam in proximo demonſtrat & experitur, vt iam dictum eſt. Et ſi tempore neceſſitatis huius ex tolerantia contrariorum in patientia deficeret, apertè videretur quòd virtus non eſſet in veritate fundata.

HIC INCIPIT DISCRETIONIS tractâtus: & primò quomodo affectus poni non debet in pœnitentia principaliter, ſed in virtutibus: & quomodo diſcretio vitam ab humilitate recipit: & quomodo debitum ſuum vnicuiq; reddit.

CAPVT. IX.

ISTæ ſunt operationes dulces atq; ſanctæ, quas à ſeruis meis expoſco, videlicet virtutes animæ probatæ & intrinſecæ, vt iam dixi: videlicet nō ſolūmodo virtutes quæ peraguntur actuali corporis inſtrumento exteriori cū diuerſis et varijs abſtinētijs atq; pœnitentijs, quæ ſunt inſtrumenta virtutū ſed in ſe minimè ſunt virtutes. Quia non ſolum hæc eſſet abſq; virtutibus, iam ſupra nominatis, valde modicum acceptabile mihi eſſet, immo ſæpè ſi quis pœnitentiam ſuam diſcretè non ageret, ponendo videlicet affectū ſuū in inchoata pœnitentia ſua, pfectio penitùs impediretur. Ergo principale fundamē-

tũ eſſe debet in affectu charitatis, cũ odio ſancto ſui, cũ humilitate vera & patientia perfecta, & in alijs virtutibus intrinſecis animæ cum deſiderio mei honoris & ſalutis animarum. Quæ virtutes apertè demonſtrant voluntatem eſſe mortuam, & iugiter occiditur quo ad propriam ſenſualitatem ex affectu dilectionis virtutum. Cũ hac ergo prudenti diſcretione debet per agere pœnitẽtiã, videlicet ponendo principaliter affectũ in virtutibus intrinſecis potiùs quã in exteriori pœnitẽtia. Pœnitẽtiã verò debet vt inſtrumẽtũ exercere ꝑ incremẽto uirtutũ, ꝑut viderit expediens, & operari poterit iuxta ſuæ potẽtiæ metã. Si verò ſuper huiuſmodi pœnitentia fundamẽtum agere vellet, in dubitanter impediretur ſua perfectio: quia minimè fieret cum lumine virtuoſæ diſcretionis, videlicet non amando ꝙ ego plus amo, nec haberet odio ꝙ ego plus odi. Quia diſcretio nihil eſt aliud quã vera cognitio, quã de ſe ſimul & me quælibet anima debet habere: In hac vtiq; cognitiõe fũdatur. Ipſa quidẽ eſt uelu ti filius vnus inſertus & vnitus ipſi charitati. Tamẽ eſt verum ꝙ multos filios habet, velut arbor quæ plurimos ramos habet. Sed illud ꝙ arborẽ iſtã atq; ramos viuere facit, eſt proculdubio radix, dum tamen in humilitatis terra plantata fuerit, quæ nutrix eſt atq; baiula charitatis, vbi conſiſtit inſertus ille filius & arbor diſcretionis. Nam aliter virtus diſcretionis appellari non poſſet, neq; fructus vitæ produceret, ſi plantaretur alibi quam in humilitatis virtute. Ex vera namq; cognitione, quam habet anima de ſe, procedit humilitas. Et iam ego dixi tibi, quia radix huiuſmodi diſcretionis erat vera ſui &

meæ bonitatis agnitio: Quare diſcretiſſimè quod ſuum eſt vnicuiq; ſine dilatione reddit. Principaliter verò mihi gloriam atq; laudem nomini meo reddens, attribuit mihi cum gratiarum actione multa munera, quæ reco-gnoſcit à mea bonitate gratioſè recepiſſe. Sibimet autem attribuit ea, quæ meruiſſe iudicat: Et ſe, per ſe non eſſe cognoſcens, ſuum eſſe cum gratijs ſupereſſe fundatis, nō à ſe, ſed à me per gratiam ſingularem humiliter & aptè proceſſiſſe fatetur. Et videtur ei fuiſſe nimis ingratam ad huiuſmodi beneficia, tempus etiam valde negligenter exercuiſſe, quare pœnis infinitis iudicat ſe eſſe dignā. Tunc verò concipit odium atq; diſplicentiam contra ſemetipſam ex defectibus ſuis. Et hoc operatur vera diſcretionis virtus in ſui cognitione cum humilitate fundata, quia ſi hæc humilitas in anima non eſſet, indubitanter eſſet indiſcreta & non diſcreta. Quæ quidem indiſcretio eſſet in ſuperbia fundata, ſicut in humilitate diſcretio. Et ideo tanquam latro meum honorem indiſcretè furaretur illum tribuendo ſibi ex propria reputatione, quod verò ſuum eſt attribueret indiſcretè mihi, querelas atq; murmurationes iniuſtas agendo circa miſteria mea, quæ facerem erga ſe vel alios. In omnibus iniuſtè ſcandalizaretur in me pariter & in proximo ſuo. Contrarium autem operantur illi, qui virtute diſcretionis vtuntur. Ex quo namq; mihi, & ſibi ſicut iam dixi, debitum reddiderunt, illico proximo ſuo retribuunt principale debitum affectuoſè charitatis cum oratione deuota, continua & humili, quòd vtiq; debetis in alterutrum operari etiam ei reddendo debitum ex-

B 5 empla-

emplaris & honeſtæ vitæ: inſuper etiam doctrinæ ſalutiferæ conſulendo ſibi fideliter & auxilium exhibendo, prout viderit expedire ſuæ ſaluti. In quocunq; ſtatu fuerit homo dominus, vel prælatus, vel ſubditus, ſi ſic operatur & proximo ſuo contribuit, vtiq; diſcretè procedit, & cum ingenti charitatis affectu. Nam inſimul annexæ ſunt diſcretio & charitas, & in humilitatis humo plantatæ, quæ quidem egreditur ex vera cognitione ſui.

SIMILITVDO, QVOMODO CHARITAS, humilitas, atque diſcretio ſunt inſimul vnitæ, cui ſimilitudini debet anima confirmari.

CAPVT. X.

NVnquid audiſti ſiue nôſti, quomodo tres iſtæ virtutes commorantur? velut haberes rotundū vnum circulum in terra collocatum, & in medio circuli arbor vna progrederetur cum vno filio penes illam. Tunc arbor in terra nutritur, quæ latitudinem cōtinet circularem, quia ſi eſſet extra terram, arbor illico moreretur, et nullum omnino fructum ex ſe produceret, donec iterato plantaretur in terra. Simili modo cogita, quòd anima eſt quædā arbor ex amore plantata ſiue creata, quare ſolùm ex amore viuere ſiue nutriri poteſt, & nō aliter. Si verò non habet in ſe diuinum amorem veræ charitatis, vitæ fructum nullo modo producit, ſed mortis: oportet ergo quòd radix huius arboris, videlicet affectus animæ moretur & egrediatur de circulo veræ cognitionis propriæ fragilitatis, quæ cognitio ſui vnita conſiſtit

ſiſtit in me, non habente principium neq; finem, vt in circulo rotundo patet exemplum, in quo neq; principium neque finis inuenitur. Huiuſmodi notitiam ſui atq; mei, reperit in ſe fundatam in terra dulcis humilitatis, quæ tanta eſt quanta circuli latitudo vel amplitudo, id eſt, notitia ſui, recepta & in me vnita, ſicut iam dixi. Nam aliter ille circulus proculdubio non eſſet abſq; principio & abſq; fine: Immo principium haberet, dum ſe tantùm incepiſſet agnoſcere: Deniq; finiretur in confuſione, ſi notitia talis in me non eſſet vnita. Tunc arbor iſta charitatis in humilitate nutritur, iuxta ſe pullulans veræ diſcretionis filium, vt ex prædictis apertè colligitur. Arboris verò medulla, videlicet affectus veræ charitatis exiſtentis in anima, eſt inuicta patientia, quæ ſignum eſt euidens, hac apertiſſimè demonſtrans animam in me cōſiſtere pariter & in ea me per gratiam eſſe, nec arbor amœniter ita plantata, flores virtutum odoriferos varijs multisq; ſaporibus in ſe germinat & producit, gratiæ fructus animæ reddens, proximo verò fructus vtilitatis iuxta metam fructuoſæ ſolicitudinis, volentis percipere fructus amicorum atq; ſeruorum meorum. Mihi verò iugiter odorem gloriæ tribuit & nomini meo laudem. Et ita facit illud ad quod eum ex ineffabili charitate mea creaui, vnde peruenit ad felicem terminum ſuum, ſcilicet ad me, qui ſum vita durabilis, qui ſibi non poſſum quoquo modo auferri, niſi voluerit ipſe. Omnes ergo fructus ab hac arbore procedentes, ad inuicem vniti ſunt, atque prudenti diſcretione conditi.

QVO-

QVOMODO POENITENTIA ET alia exercitia corporalia pro inſtrumento debent aſſumi perueniendi ad virtutes, & nòn pro principali affectu: Et de lumine diſcretionis in diuerſis alijs modis & operationibus.

CAPVT. XI.

ISti ſunt illi fructus quos ab anima requiro, videlicet experientiam realium virtutum opportuno tēpore. Ideo ſi benè recordaris iam diu dixi tibi, quando deſiderabas amore mei facere magnam pœnitentiam: Ego ſum ille qui delector in paucis verbis & multis operationibus, aptè tibi demonſtrans quòd ille modicum eſt mihi gratus & acceptus, qui tantummodo me ſonitu verborum vocauerit, dicens. Domine Domine pro te vellem aliquid agere. Similiter & ille qui pro me corpus mortificare diſponit cum varijs pœnitentijs, voluntate propria viua remanente. Sed ego multa cupiebam opera, præcipuè ſuſtinendo viriliter cum virtuoſa patientia, cū alijs virtutibus intrinſecis animæ, de quibus tibi dixi, quæ ſunt operātes in anima fructus gratiæ. Alias aūt operationes, quæ ſunt in alio principio fundatæ, quaſdam vocare ſolūmodo verbo reputo, quia ſunt opera finita. Ego verò qui ſum infinitus à vobis infinitas operationes exigo, videlicet cum infinito deſiderio & amoris affectu factas. Ergo volo quòd opera pœnitentiæ aliorumq́; corporalium exercitiorum aſſumantur veluti inſtrumenta perueniendi ad virtutes, & non pro affectu principali. Quia ſi affectus poneretur ibi principalis, exhiberetur mihi fi-

bi finitum opus, & eſſet velut verbum quod ex quo pro ceſſit ab ore, nihil apparet vlteriùs: Niſi fortè verbum cum animæ progreditur affectu, qui virtutes in veritate concipit & parit. Hoc eſt, quòd ſi finitum opus quod verbum vocaui, foret vnitum & adiunctum affectui charitatis, valde mihi gratum eſſet tunc & acceptabile: quoniam operatio ſola non eſſet: immo laudabiliter aſſociata cum vera diſcretione ſumendo corporales operationes, veluti inſtrumentum & non pro principali fundamento. Multum eſſet in conueniens quod principium ſiue fundamentum in exteriori pœnitentia, vel alio exercitio corporali poneretur. Iam enim tibi dixi, quòd erant opera finita, & proculdubio finita ſunt pro eo, quòd facta ſunt tempore finito. Ac etiam quia compellitur homo multoties illa dimittere, vel ex obedientia, vel ex infirmitate, vel alia ſuperueniente cauſa, præcipuè ſi ſui prælati obediẽtia contradiceret: ſi vellet huiuſmodi pœnitentiam ſuam exequi, non ſolùm illam non acceptarem, immo grauiter offenderer. Itaq; vides quòd operationes huiuſmodi finitæ ſunt, illas ergo debet aſſumere tanquam exercitiũ, & nõ pro principali fundamento. Quia ſi non faceret ita, quoniam compelleretur eas omittere, vt dictum eſt, anima eius vacua remaneret. Et hoc oſtendit apertè glorioſus preco meus Apoſtolus in epiſtola ſua, dicens, quòd mortificaretis corpus, videlicet menbra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, voluntas verò propria debet occîdi, id eſt refrenando corpus, dum vellet contra ſpiritum pugnare per immunditiam, libidinem atq; concupiſcentiam inordinatam &c. Voluntas verò propria

ſicut

ſicut iam dixi, debet occîdi, ſuffocata & ſubdita volunti meæ per omnia. Quæ quidem propria voluntas occiditur eo debito de quo tibi dixi, quòd virtus diſcretionis animæ reddebat, videlicet odium atq; diſplicẽtiam offenſarum & propriæ ſenſualitatis, quod odium acquiſiuit in ſui notitia. Hic eſt ille gladius acutiſſimus, qui præcîdit & occîdit omnem amorem proprium, videlicet in propria voluntate fundatum. Hi ſunt illi qui non ſolùmmodo verba, ſed opera multa mihi quotidie reddunt, in quibus vtiq; delector. Sed ideo tibi dixi, quòd volebam habere à vobis multas operationes & pauca verba. Dicendo multas, ibi non annotaui numerum, quoniam affectus animæ charitatis igne ſucceſſæ, quæ virtutibus omnibus vitam exhibet, in infinitum attingere debet. Non tamen abſolutè verba renuo ſiue contemno, ſed dixi pauca verba velle, denotans omnem operationem actualem eſſe finitam. Ideo dixi pauca. Illa tamen accepto ſi ponantur pro virtutis adiumento ſiue inſtrumento, & nõ pro principali fundamento: Vnde cauendum eſt iudicare quemquam in maiori perfectione conſiſtere, licet ampliùs in maiori pœnitentia corpus affligat illo, qui minorem pœnitentiam agat. Nam, vt iam dixi, virtus vel meritum ipſorum in hoc actu minimè conſiſtit, quia malè ſuccederet eis, qui nequeunt ex cauſa legitima facere pœnitentiam actualem, ſed ſolummodo in charitatis virtute conſiſtunt, condita lumine veræ diſcretionis, nam aliter non valeret. Hunc autem amorem iſta diſcretio mihi ſine modo & abſq; fine contribuit, quia ſumma ſum & æterna bonitas. Ideo legem ſiue terminum amori

meo non vult imponere, ſed amori proximi benè modum imponit ex ordinata charitate, videlicet nullo modo ſibi faciendo detrimentum culpæ, propter aliquam vtilitatem ipſi proximo conferendam. Quia ſi ſolum vnum peccatum ex conſenſu committeret, vt mundum vniuerſum erueret ab inferno, aut aliqua virtus quantumcunq; maxima naſceretur, inde nullo modo licet virtutem aliquam vel vtilitatem proximo facere, cum veneno peccati. Diſcretio verò ſancta taliter ordinat, quòd anima potentias eius vniuerſas cum omni ſancta ſolicitudine dirigit atq; diſponit, vt mihi viriliter & fideliſſimè ſeruiatnr. Proximum quoq; diligit, affectu dilectionis ordinatè ponendo, videlicet vitam corporis in ſalutem animarum etiam (ſi poſſibile foret) millies tolerando quæcunq; tormenta: vt anima proximi vitam gratiæ reperire valeat Subſtantiam verò temporalem exponit in vtilitatem atq; ſubuentionem corporis ipſius proximi ſui. Hoc agit virtus huiuſmodi diſcretionis, in lumine ſuo quod à vera charitate progreditur. Itaq; vides quòd omnis anima quæ vult inuenire gratiam, diſcretè debet impendere mihi dilectionem infinitã & abſq; modo. Proximum verò tamen infinita dilectione mea diligere cũ modo & ordinata charitate non inferendo ſibimetipſi, peccati culpam propter aliquam vtilitatem proximi. Super quo beatus Paulus vos admonuit dicens. Omnis ordinata charitas incipit à ſe. Nã aliter alicui nõ eſſet et non fieret vtilitas aliqua perfecta. Quoniam anima perfectione carens omnia quæcunq; facit impfecta ſunt in ſe pariter & in alijs. Multum eſſet inconueniẽs vt ꝑ ſalute creatu-

creaturarum quæ ſunt finitæ & à me creatæ, offenderer ego qui ſummum ſum & æternum & infinitum bonum. Maior enim eſſet atq; deteſtabilior iſta culpa, quàm eſſe poſſet incomparabiliter aliquis fructus inde proueniens. Itaq; nunquam vllo modo debes acquieſcere ſiue conſentire culpæ cuiuſcunq; peccati. Sincera charitas hoc apertè cognoſcit eò quia ſecum habet lumen naturæ diſcretionis. Ipſa lumen eſt quod illico diſſoluit omnes tenebras & auſert omnem ignorantiam & omnibus virtutibus atq; inſtrumento virtuali impendit vtile condimentũ. Ipſa prudens eſt ita quòd ab aliquo decipi non poteſt: ita fortis quòd ab aliquo vinci non valet. Ipſa perſeuerantiam habet ingentem videlicet vſq; ad finem, hoc eſt à cœlo vſq; ad aridam in eo quod à notitia mei deſcendit ad ſui notitiam, & à charitate mei vſq; ad charitatem proximi. Cum humilitate prudenti & vera pertranſit & euadit omnes dæmonum & aliarum creaturarum laqueos. Cum inermi manu videlicet aduerſa patientiſſimè tolerando, carnem & aduerſarium victorioſè debellauit iſto glorioſè lumine mediante. Quia nouit apertè fragilitatem propriam, qua cognita ſibi debitum odij ſancti feruenter intulit. Mundum vniuerſum vilipendendo ſuppeditauit & ipſum contemnendo factus eſt dominus eius. Omnes mundi peruerſi perſecutores non valent ei virtutem animæ tollere, ſed omnes eorum perſecutiones experientiam virtutum operantur, & ipſarum augmentum quæ priùs ex affectu dilectionis meæ conceptæ fuerunt, poſtea verò probantur in proximo & in ipſo parturiuntur, vt iam tibi dixi. Quia ſi virtus illa

non appareret opportunò tempore, neq; lumen impenderet ante creaturas, proculdubio virtus in veritate concepta non videtur. Nam oſtendi tibi iam, quòd virtus eſſe perfecta non poteſt atque fructuoſa niſi mediante proximo. Sicut eſt de muliere quæ concepit in vtero filium. Nam antequam illum pariat atq; perueniat ad lucem ante creaturarum oculos, non exiſtimat ſponſus habere ſe filium. Similiter ego qui verè ſponſus ſum animæ, quia niſi pariat virtutis filium in proximi charitate demonſtrando patenter, vt expedire cognouerit opere ſubueniendo ſibi particulariter, vel in communi ſecundum exigentiam illius temporis non iudico virtutem veram in ſe concepiſſe. De vitio quoque ſimiliter accidit, quia mediante proximo perpetratur.

REPETITIO QVORVNDAM: ET quomodo Deus promittit aſſertiuè ſeruis eius Eccleſiæ reformationem.

CAPVT. XII.

NVnc autem videre potuiſti, prout ego ſumma bonitas oſtendi tibi veritatem atq; doctrinam, per quam venire potes ad ſtatum excellentiſſimæ perfectionis, & in ipſa te conſerues. Similiter apertè declaraui, qualiter pœnis atq; culpis in te pariter & in proximo ſatisfieri debeat in vita præſenti. Referando tibi, quia pœna ſola nullo modo ſufficit ad ſatisfaciendũ culpæ ſimul & pœnæ, niſi ſit vnita cum affectu ſynceræ charitatis, & cum vera contritione cordis atq; diſplicentia peccatorum. Cùm verò pœna charitati connecti-

tur & vnitur, iſto modo ſatisfacit non virtute cuiuſcunq; pœnæ quæ ſuſtineatur actualiter, immò virtute charitatis atq; contritionis culpæ commiſſæ, quam charitatem acquiſiuit anima cum intellectuali lumine, corde ſyncero & liberali, attendens in me ſuum obiectum, qui ſum ipſa charitas. Hoc verò tibi demonſtrare volui, quia velle pati pro me pœnas humiliter & inſtanter à me poſtulaſti, vt tu & alij ſerui mei noueritis, qualiter & quomodo ſacrificium de vobis mihi facere debetis. Dico ſacrificium actuale pariter & mentale ſimul vnitum, prout vnitum eſt vas cum aqua, quod alicui domino præſentatur. Nam aqua ſine vaſe præſentari non poſſet. Vas quoq; vacuum Domino præſentatũ, non eſſet acceptũ. Ita dico vobis, quia mihi debetis offerre vas iſtud, videlicet labores plurimos actuales, & alia corporalia exercitia ſancta, quocũq; modo mihi concedere placuerit vobis. Nec eligere debetis veſtra voluntate tẽpus neq; locũ ſiue labores vt vobis gratũ eſt, ſed vt mihi cõcedere placet. Sed iſtud vas õnino debet eſſe plenũ, videlicet omnia tolerando cũ amoris affectu, atq; patiẽtia vera defectus veſtri proximi, cũ odio tamen & diſplicentia peccatorum. Tunc iſti labores quos tibi nomine vaſis appellaui reperiuntur aqua gratiæ meæ pleni, quæ confert animæ vitam. Ego verò tunc accepto valde gratanter hoc enxenium à dilectiſſimis ſponſis meis, videlicet à qualibet anima quæ fideliſſimè mihi ſeruit. Ab eis inquam accepto anxia deſideria, & ignita ſuſpiria ipſorum cum cõtinuis & humilibus orationibus, quæ ſunt veluti medium vnũ acceptabile mihi. Quia ex ipſorum

rum

rum amore placatur iracundia mea quam contra ſe prouocauerant homines iniqui & impij, qui me tantùm iugiter offendunt. Itaq; tolerate viriliter vſq; ad mortem, & hoc erit apertiſſimè ſignum quòd me diligitis. Neque formidare debetis ſiue retrocedere cuiuſcunq; tribulationis, vel alicuius creaturæ timore, ſed in tribulationibus exultate. Mundus iſte lætatur in iniurijs meis: vos autem in ipſo triſtamini propter iniurias quas mihi fieri conſpicitis, vnde etiam vos offendunt. Et dum vos offendunt, me quoque ſimiliter offendunt, quia vobiſcum vnum charitate paterna ſum factus. Apertè namque cognoſcere potes, quia cum ad imaginem atque ſimilitudinem meam vos gratioſè creaſſem & occaſione peccati veſtri priuati gratia fuiſſetis, ego peroptans vos iam amiſſam gratiam ſalubriter inuenire, diuinam naturam meam in vobis vnire decreui, velans illam humanitate veſtra. Itaq; cum ſitis imagine mea realiter inſigniti, veſtram humanitatem diuinæ naturæ meæ copulare volui: Vnde ſum vobis paterna charitate coniunctus & vnitus, niſi forſitan anima diſceſſerit à me per mortale peccatum. Sed qui me diligit in me manet & ego in illo. Et ideo mundus eum ita perſequitur, eò quòd ipſe mundus nullam habet conformitatem mecum: Et idcirco perſecutus eſt vnigenitum filium meum, vſque ad mortem crucis, ita crudeliſſimam & obprobrioſam: Et ita perſequitur etiam vos, atque ſimili modo perſequetur vſq; ad mortem, quia me non amat. Nam ſi mundus ipſe me dilexiſſet, & vos vtique diligerem. Sed exultate, quia gaudium veſtrum in cœlo

pleniſſimum erit. Inſuper addam ad conſolationem tuam, quia quantò nunc abundant in corpore myſtico Eccleſiæ meæ tribulationes & anguſtiæ, tantò plus abundabit in ea ſalubris & conſolatiua dulcedo. Et erit iſta ſua dulcedo, quia reformabitur in bonis atq; ſanctis paſtoribus, qui ſunt veluti flores odoriferi & glorioſi, quia laudem & gloriam nomini meo iugiter exhibent & procurant, exalantes & adolentes in conſpectu meo virtutum odorem fundatarum in veritate. Et hæc eſt optabilis & odorifera reformatio miniſtrorum atq; paſtorum Eccleſiæ meæ: Non quòd fructus huius Eccleſiæ meæ reformari ſimpliciter egeat, quia non obfuſcatur neq; minuitur vnquam ex cuiuſcunq; defectu miniſtri. Itaq; lætare tu ſimul & pater animæ tuæ, cæteriq; ſerui mei conſiſtentes in amaritudine præſenti. Quoniam egò veritas æterna promitto vobis refrigerium exhibere: Atq; poſt amaritudinem iſtam vos in veritate conſolabor, ex quo pro tali reformatione multa ſuſtinueritis.

QVOMODO HAEC ANIMA SIMUL creuit atque defecit in amaritudine pro reſponſione diuina: Et quomodo facit orationem pro Eccleſia ſancta & vniuerſo populo.

CAPVT. XIII.

TVnc anima ſuccenſa & anxia deſiderio ignito, ingenti dilectione cōcepta, in maxima bonitate Dei ſuæ latitudinem affectuoſæ charitatis apertè cognoſcens, quæ cum tanta dulcedine petitioni ſuæ ſatisfacere

cere

cere dignata erat, etiam præbendo ſibi ſpem de ſalubri remedio, ſuper amaritudine quam habebat in corde propter offenſas Deo factas, atq; detrimentum Eccleſiæ ſanctæ: necnon & miſeriam propriam, quam ex vera notitia ſui percepit, ſui cordis mittigabat aliquantulùm amaritudinem, licet aliũde creſceret amaritudo. Nam ab æterno patre ſibi perfectionis itinere demonſtratio nouitur, offenſam propriam apertiùs vnâ cum animarum detrimento pateſaciebat ei prout infra clariùs intelligi poterit. Et etiam quia meliùs anima cognoſcit in ſe bonitatem Dei, priùs habita notitia ſuæ propriæ fragilitatis. Et in lucidiſſimo Dei ſpeculo perfectè dignitas & indignitas propria cognoſcitur, dignitatem videlicet attendendo quod ad imaginem Dei ſolùm ex gratia ſingulari, & non debito creata ſit. In quo diuino ſpeculo cognoſcit etiam indignitatem propriam in qua ex culpa ſua deuenit. Quia ſicut materiale ſpeculum attendendo, macula quæ fuerit in facie deprehenditur: ſic anima quæ cũ vera notitia ſui conſurgit, ingenti deſiderio cum oculo ſui cordis & intellectus, ad conſiderandam faciem propriam indulci ſpeculo Dei, ibi propter eius clariſſimam puritatem apertè cognoſcit, indilatæ maculas faciei ſuæ. Et ſic quia lumen erat augmentatum in hac anima modo prædicto: quædam excreuerat in ea dulcis amaritudo, licet aliunde fuerit imminuta. Nam imminuta fuerat in eo, quòd ſumma veritas exhibuerat ei ſpem ita gratam. Et vt ignis excreſcit quantò plus ei materia datur, ita creuit ignis in hac anima intantũ & taliter, quòd impoſſibile fuiſſet humano corpori poſſe tolerare, ne mors inde

ſecuta fuiſſet. Vnde niſi quia fuit illico circundata noua fortitudine, ab eo, qui eſt omnium vera fortitudo, nunquam erat euadendi poßibilitas. Poſtquam ergo fuerat hæc anima purificata diuinæ charitatis igne quam inuenit in ſui notitia & diuinæ bonitatis in ſe, cum vna ſaluberrima fame, atq; ſpe viua, ſalutis totius orbis, & Eccleſiæ ſanctæ reformatione: poſtquam adeo fuerat docta de lepra vitiorum in Eccleſia regnantium: atq; de mundi miſeria cum ſancta & humili fiducia coram diuina maieſtate ſtabat, & quaſi cum Moiſe dicebat. Domine mi dulciſsime, miſericordes oculos tuos ad populum iſtum gratiosè conuerte, pariter & ad corpus Eccleſiæ tuæ myſticum: quia gloria maior nomini tuo ſancto ſubſequetur, parcendo tantæ multitudini creaturarum tuarum, eis infundendo lumen in animarum ſalutem quæ laudarent omnes ineffabilem bonitatem tuam: ſe conſiderantes à tenebris mortalium peccatorum, & ab æterna damnatione ſolùm ex paterna charitate tua gratiosè liberatos, quam ſolùm de me miſerabili quæ tãtùm offendi maieſtatem tuam, & vt æſtimo ſum cauſa potißima omnium malorum quæ perpetrãtur. Et ideo te deprecor æterna bonitas, vt vindictam de me ſumas & populo tuo parcas. Nunquã enim à deſiderabili præſentia tua diſcedã, vſq; quo videro quòd eis gratiosè miſerearis. Ego quo modo conſolari poſſem, videndo me vita perfrui, ſi populus tuus eſſet in morte? Et videndo tenebras peccatorũ in peramabili ſponſa tua, ex meis defectibus & aliarum creaturarum tuarum. Volo igitur & pro ſingulari gratia peto, quòd illa charitas inæſtimabilis quæ te ad

treandum hominem ad imaginem & ſimilitudinem excitauit, dicendo faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: Et hoc egiſti trinitas æterna, volens hominem totius trinitatis eſſe participem: Vnde tribuiſti ei memoriam, vt in ea tua beneficia retineret: & in ipſa tui patris æterni potentiam participaret. Intellectum quoque tribuiſti ſibi, vt videndo cognoſceret bonitatem tuam, & participes eſſet vnigeniti tui ſapientiæ. Inſuper & voluntatem ei dediſti, vt amare poſſet illud quod intellectus vidit & agnouit, in tua veritate participando de clementia ſpiritus ſancti. Quid, ſiue quis, obſecro fuit in cauſa, vt hominem in tanta dignitate locares? Certè ſolus amor inæſtimabilis quo creaturam tuam in temetipſo reſpexiſti, de qua fuiſti philocaptus. Et ideo ſolùm illam ex affectuoſa dilectione creaſti, ſibi tribuens eſſe vt æterno bono tuo gaudendo frueretur. Sed apertè cognoſco quia propter peccati culpam iuſtè dignitatem amiſit, in qua locaueras eam, & ex rebellione tibi facta guerram & odium contra ſe cum tua clementia prouocauit, vnde facti ſumus inimici tui. Tu autem eodem excitatus amore volendo tibi genus humanum gratioſè reconciliare, donaſti nobis verbum vnigeniti filij tui, qui verè fuit inter nos & te ſequeſter atq; mediator, & iuſtitia noſtra qui puniuit, & in ſe portauit omnes iniuſtitias & iniquitates noſtras, ex obedientia quam tu pater æternus iniunxiſti ſibi, cum humanitatem noſtram ipſum aſſumere decreuiſti. O in æſtimabilis charitatis abyſſus: quod eſt illud cor ita durum, quod in ſua poßit integritate con-

ſeruari, & minimè ſcindatur attendendo tantùm ſublimitatem ad tantam profunditatem atque deiectionem deſcendiſſe, quanta & qualis eſt humanitas noſtra. Nos imago tua ſumus, & tu imago noſtra, propter vnionem quam in homine feciſti, vellando Deitatem æternam cum miſerabili nube ac infecta maſſa carnis Adæ. vnde proceſſit hoc. Solùm inefficabilis amor tuus eſt in cauſa. Deus quippe factus eſt homo, & homo factus eſt Deus. Per hunc igitur amorem inæſtimabilē, humiliter exoro maieſtatē tuam omnibus viribus animæ meæ, vt miſerabilibus creaturis tuis gratioſè miſericordiam impendas.

QVOMODO DEVS CONQVERItur de populo ſuo Chriſtiano, & præcipuè de ſuis miniſtris: aliquid de venerabili ſacramento corporis Ieſu Chriſti tangendo: Et de beneficio incarnationis.

CAPVT. XIIII.

Pliſſimus ergo Deus vertens ad eam oculum ſuæ miſericordiæ, compelli ſe permittens ab humilibus lachrymis eius, & humano modo loquendi, ſancti deſiderij ſui funibus alligari reſpondendo conquerebatur, & ait, dulciſſima filia mea, lachrymæ tuæ me compellunt, ex eo quòd excellentiſſimæ charitati meæ ſunt vnitæ & amore mei ſunt effuſæ: necnon & anxia deſideria tua me ligant. Sed aſpice per amabilem ſponſam meam in facie coinquinatam, & immundam, veluti leproſam ex amore proprio, atq; tumefactam ex auaritia

pariter & ſuperbia illorum, quos vbera ſua lactant, qui ſunt vniuerſale corpus Chriſtianæ religionis. Ac etiam corpus Eccleſiæ meæ myſticum: præcipuè loquor de miniſtris ipſius Eccleſiæ qui ſugentes eius vbera, ſuo dulciſsimo lacte nutriuntur. Nec ipſi ſolummodo paſcuntur & aluntur ab ea, verùm ad huiuſmodi mamillas eius tenere debent, & ex his alere corpus vniuerſale Chriſtianæ religionis, ac etiam infideles qui tenebris infidelitatis in veritate derelictis vellent vti vtile membrũ ligare ſe corpori myſtico Eccleſiæ ſanctæ. Conſidera cum quanta ingratitudine tenebroſa & ignorantia damnabili, manibus immundis lac huiuſmodi dulciſsimum ipſius electæ ſponſæ meæ, pariter & vnigeniti mei ſanguis miniſtratur ab eis, & cum quanta præſumptione & irreuerentia recipitur ab alijs. Vnde illud quod in ſe veraciter eſt vita, & vitam dignè ſumentibus exhibet, ipſis qui miniſtrant indignè, & indignè ſumentibus in iudicium eſt atq; mortem. Precioſus iſte ſanguis filij mei vnigeniti, mortem atq; tenebroſum mendacium abſtulit, & confudit, donando lucem & veritatem. Omnia circa ſalutem & perfectionem hominis neceſſaria, pretioſus iſte ſanguis operatus eſt, dum tamen indiſpoſitio recipiendis non impediat. Quia ſicut vitam exhibet & animam omni gratia dotat & ornat, modicùm vel abundanter iuxta diſpoſitionem & affectum illius qui recipit, ita mortem infert illi qui viuit iniquè. Non ex defectu ſanguinis nec ex defectu miniſtri, ſi forſitan eſſet in eodẽ peccato ſiue maiori, ſed ex defectu proprio. Quia nullus miniſtri defectus contaminare poteſt, nec inquinare ſiue

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

minuere gratiam & virtutem ipſius pretioſi ſanguinis. Ideo nullo modo nocet illi cui tribuitur, ſed ſibimet miniſtranti valde nocet, videlicet detrimento culpæ poſtquã amariſſima pœna ſequitur, niſi culpam ipſam vera contritione cordis atq; diſplicentia ſui peccati delere ſtudeat. Hoc ergo venerabile ſacramentum valde nocet illi, ſicut dixi, qui recipit indignè, non ex defectu ſanguinis vel miniſtri, ſed ex defectu ſuæ malæ diſpoſitionis, quia cum magna miſeria mentis & corporis & immunditia atq; crudelitate contra ſe pariter & proximum ita proceſſit. Sibi crudelis extitit cum abſtulit à ſe gratiam ſub pedibus affectus huius pretioſi ſanguinis conculcando fructum, quem à ſacro Baptiſmo traxerat, quia tunc ablata fuerat virtute ſanguinis huius originalis peccati macula, quam incurrit cùm à ſuis parentibus eſt conceptus. Et ideo verbum vnigeniti filij mei donaui vobis, quod tota maſſa generationis humanæ corrupta fuit in tranſgreſſione primi parentis veſtri Adæ. Et ideo vos omnes veluti vaſa formata de tali corrupta maſſa, corrupti fuiſtis & ad vitam æternam inhabiles & inepti: Vnde propter hoc, altitudinem ſupremam iungi & vniri volui cum veſtræ vilitatis humanitate, vt remedium adhiberem humanæ generationis mortiferæ corruptioni, & ita recuperaret gratiam, quam ex culpa ſui peccati perdiderat. Cùm ergo in me pœna cadere non poſſit, & de culpa diuina mea iuſtitia pœnam omnino requireret: neque purus homo per ſe ſatisfacere quoquo modo ſufficiens vel idoneus erat, eò quòd illa culpa perpetrata fuerat in me qui ſum infinita bo-

ta bonitas, & homo debilis, pauper & imbecillis ex ſol- uere per ſe nequibat, vt iam dixi, paterna charitate co- actus, verbum mihi coæternum veſtitum eiuſdem ve- ſtræ naturæ veſtimento miſi vobis, vt in ipſa maſſa cor- rupta, primi parentis veſtri, qui peccauerat, exſol- ueretur illa pœna, quam exigebat iuſtitia diuina. Et ita tolerando ſupra dorſum eius pœnas acutiſſimas, vſ- que ad mortem crucis opprobrioſam, ſatisfactum extitit iuſtitiæ diuinæ pariter & affectuoſæ charitati paternæ quæ cum inæſtimabili miſericordia ſatisfacere voluit pro culpa commiſſa, hominem gratioſè diſponendo ad fœlicitatem illam æternam ad quam ego creaueram eum. Itaque humana veſtra natura diuinæ naturæ coniuncta & vnita, ſufficientiſſimè ſatisfecit pro toto mundo & vniuerſa humana generatione. Non tamen ex pœ- na tolerata ſolùm in veſtra natura finita & incorru- pta maſſa ſupradicta, ſed virtute Deitatis æternæ quæ fuit & eſt infinitæ potentiæ. Hac ergo vnione con- tracta vtriuſque naturæ ſacrificium ſanguinis vnige- niti filij mei gratanter acceptaui, coniuncti & vniti æ- ternæ Deitati, & igne diuinæ charitatis exuſti, quæ ve- rè fuit vinculum illud quod in cruce detinuit eum in cru- ce ſuſpenſum & affixum. Per hunc ergo modum & non aliter humana natura veſtra ſatisfacere potuit huiuſmo- di culpæ, videlicet virtute diuinæ naturæ. Et ita ſanies abluta & ablata fuit illius tranſgreſſionis atq; culpæ pri- ma veſtri parentis Adæ, remanente ſolummodo ſigno ſi- ue fomite, videlicet inclinatione naturali ad peccan- dum, cum alijs defectibus qui ſuſtinentur in corpo-

re, ve-

re, veluti cicatrix quæ remanet ex vulneribus homini liberato. Ita culpa tranſgreſſionis Adæ, quæ letalem ſordem atq; miſeriam & inclinationem humano generi produxit, in vobis eſt operata, ſed magno ſuperueniente medico, videlicet vnigenito filio meo perfectè curatus eſt ægrotus, amaram abſorbendo medicinam, quam homo per ſe bibere non poterat, quia nimis erat imbecillis effectus atq; debilitatus & infirmus, directè fecit, vti ſolet agere nutrix, quando paruulus infirmatur, quæ pro ipſo medicinam abſorbet amaram, pro eo quod eſt fortis & adulta: puer verò nec ſumere neq; tolerare poſſet amaritudinem huiuſmodi medicinæ. Vnde tulit ipſe tanquam baiula ſiue nutrix, operante fortitudine atq; magnitudine Deitatis: naturæ veſtræ medicinam amariſſimã crucis & pœnoſæ mortis, vt vos veluti puerulos imbecilles, & ex culpa debilitatos & infirmos ſanaret, & haberetis vitam & integram incolumitatem. Remanſit ergo ſolummodo ſignum originalis peccati, quod à parentibus veſtris in conceptu contraxiſtis. Quod vtiq; ſignum etiam ab anima tollitur, quamuis non ex toto, videlicet in ſacro Baptiſmo, qui virtutem habet, & gratiæ vitam exhibet in efficacia glorioſi atq; pretioſi ſanguinis huius. Quãdo enim anima recipit ab Eccleſia ſancta Baptiſmũ, aufertur ab ea peccatum originale, infunditurq; ſibi gratia & fomes peccati, videlicet inclinatio ad peccandum, ab originali peccato procedens atq; remanens, veluti cicatrix ex vulnere, ſicut iam dixi, debilitatur, ita quòd ſi anima voluerit poteſt optimè refrænare. Tunc huiuſmodi vas animæ diſpoſitum eſt ad recipiendam & augmentandam

tandam in ſe gratiam abundanter, & modicùm vt ei placet exercere ſiue diſponere ſemetipſam, cum affectuoſo deſiderio ſeruiendi mihi pariter & amandi me. Simili quoq; modo ſe diſponere poteſt ad malum, ſicut ad bonũ, nõ obſtante quod in ſancto Baptiſmo gratiæ receperit infuſionem, vnde tempore diſcretionis adueniente, propter arbitrij libertatem quadotatus eſt à me gratioſè, quilibet poteſt operari bonum ſiue malum, vt à ſua mera proceſſerit voluntate. Et eſt talis tantaq; libertas iſta qua dotatus eſt homo, & ita factus eſt fortis virtute ſanguinis huius pretioſi, quòd omnes aliæ creaturæ quæcunq; non valent eum etiam ad minimam culpam alicuius peccati compellere, niſi ſponte conſentire voluerit. Ablata namq; fuit ab eo ſeruitus, atq; libertati donatus in ſacratiſsima paſsione dilectiſsimi filij mei, vt propriæ ſenſualitati dominaretur, & æternam fœlicitatem obtineret, ad quam eum ita gratioſè creaui. O miſer atque miſerabilis homo, qui delectaris in peccatorum fætenti luto morari, tanquam animal immundum, & velut ingratus agnoſcere negligis, vel non vis tanta beneficia, quæ tibi gratioſè conceſsi. Vltra recipere non poteras, o miſera creatura mea, circundata damnabili atq; tenebroſa ignorantia.

QVOMODO CVLPA PVNITVR acriùs poſt Ieſu Chriſti paſsionem quàm ante: Et quomodo Deus permittit mundo facere miſericordiam ac etiam Eccleſiæ ſanctæ, mediante oratione atq; tolerantia laborum ſeruorum ſuorum,

CAPVT

CAPVT. XV.

VOlo te noſce filia mea, quòd propter gratiam hominibus à me factam non ſolummodo pro prima creatione, ſed quoniam eos in ſanguine filij mei recreaui & reformaui reſtaurãdo eos ad gratiam ex peccato iam Deo deperditam, non volentes eam à me gratioſè humiliterq́ recognoſcere, ſed iugiter ambulando peruersè de malo in peius, & de culpa in culpam, me cum iniurijs offendentes, ita gratias meas vilipendendo, de quibus non ſolùm erga me ſunt ingrati, verùm aliquando reputant à me recepiſſe contumeliam, quemadmodum ſi aliud eis optarem quam ſanctificationem ipſorum. Incomparabiliter punientur acriùs, & maiori pœna cruciabuntur ex quo redempti ſunt glorioſo ſanguine filij mei, quàm ante redemptionem. Quia proculdubio valde conueniens eſt, vt ille qui plus accepit ampliùs obligetur ei à quo recepit: homo quippe multum mihi obligabatur ex eo, quod cùm non eſſet, eum creaui, ita nobiliter videlicet ad imaginem & ſimilitudinem meam, vnde mihi tenebatur exhibere laudem & honorem. Sed eam abſtulit à me quantum in eo fuit, & ſibimet impendere voluit, propter quod obedientiam iniunctam à me damnabiliter eſt tranſgreſſus, & inimicus mihi factus eſt. Ego verò cum humilitate deſtruxi & vici ſuperbiam eius, diuinam videlicet humiliando naturam, & illã vniui humanitati veſtræ, & à ſeruitute Diabolica liberatos reſtitui eos in poteſtate libera. Et non ſolũmodo liberum hominem eſſe feci, ſed ſi benè cõſideras homo factus eſt Deus, atq; Deus factus eſt homo, ex vnione di-

ne diuinæ naturæ cũ humana. Hoc eſt vtiq; donum vnũ valde ſingulariter excedens alia dona, quod acceperunt homines: theſaurũ dico ſanguinis in quo ſunt ad gratiam recreati. Itaq; vide quantò magis obligantur poſt redemptionẽ quàm ante. Obligantur .n. afferre mihi gloriã & honorẽ ſequẽdo veſtigia incarnati verbi filij mei dilectiſſimi. Et tũc in dilectiõe uera mei atq; pximi, debitũ valde gratũ et acceptabile contribuunt vt ſupiùs eſt expreſſum. Si verò nõ agunt ita ꝙ multum obligantur, maiori punitione digni ſunt. In dubitanter ergo diuina iuſtitia mea punіet eos æterna dãnatione. Quare maiori pœna cruciatur vnus Chriſtianus iniquus, quã vnus paganus infidelis, & ignis infernalis ampliùs eum exurit, & vt ita dixerim, abſq; conſumptione conſumit exigente diuina iuſtitia. Nam exterius ignis affligit & vrit, & interius vermis conſcientiæ tabeſcere facit eos. Neq; conſumpti deficiunt, eò ꝙ illi qui ſunt in tali damnatione, propter aliqua tormenta minimè perdũt eſſe, ita quòd omnino deficiant. Vnde noueris quòd ipſi mortem inuenire peroptant, & illam habere nequeunt, quia deficere non poſſunt quantum ad eſſe ſimpliciter, licet ex culpa ſua perdiderũt eſſe quantum ad gratiam. Itaq; proculdubio culpa punitur ampliùs atque grauiùs, ex quo redemptio veſtra facta fuit per effuſionem huius pretioſi ſanguinis filij mei quàm ante, quia plus valde receperunt. Neq; videtur quòd velut inſenſati perpendant tantam miſeriam ſuam, quia nimis inſipienter, mihi facti ſunt inimici, cũ ego gratioſè reconciliaſſem eos in ſanguine, dilectiſſimi filij mei. Vnum tamen aſſumendum egò te doce-

docebo remediũ, quo diuinæ iuſtitiæ placabitur ira, videlicet mediantibus amicis meis, inquantum ipſi me cõpellant & inducant cum deuotis & lacbrymoſis orationibus, & eorum ignito deſiderio ligare conentur diuinæ iuſtitiæ manus. Tu cernis apertè quòd iſto ligamine me ligaſti nunc, quod vtiq; ligamen ipſe tibi tribui, quia verè cupio mundo facere miſericordiam. Et ideo mentibus amicorum meorum infũdo famem ingentem, & ignita deſideria circa meum honorem atq; ſalutem animarum, vt inclinatus, immo compulſus ab eorum deuotis orationibus temperare ſtudeam iram iuſtitiæ meæ diuinæ. Aſſumas ergo lachrymas vnâ cum ſudore tuo, ſimiliter & alij ſerui mei faciant, & hauriatis eas à mari meæ diuinæ charitatis, & cum eis abluite faciem valdè maculatam amabilis ſponſæ meæ. Quia tibi promitto, quòd iſto remedio cooperante, ſibi pulchritudo priſtina reſtituetur cum pace deſiderabili, videlicet orationibus continuis, & deuotis ſudoribus, atq; lachrymis amicorum meorum effuſis, ignito & anxio deſiderio. Et non in gladio nec hoſtili crudelitate procedendo. Et ita deſiderio veſtro ſatisfaciam, videlicet aduerſa plurima tolerando & cum lumine veræ patientiæ tenebras illuminabitis iniquorum hominum: Vos verò nullo modò timeatis eorum perſecutiones iniuſtas: ego namque pugnabo pro vobis nec vnquam in aliquo deficiet indigentijs veſtris mea diuina prouidentia.

QVALITER HAEC ANIMA PLVS de diuina bonitate cognoſcendo, non erat contenta ſolummodo pro Chriſtiano populo rogare ac Eccleſia ſancta, ſed orabat etiam humillimè pro vniuerſo mundo.

CAPVT. XVI.

TVnc anima cum agnitione maiori conſurgens, & ingenti gaudio lætabunda diuinæ maieſtati aſtabat, valde confortata ſuper diuina ſpe quam aſſumpſerat in diuina miſericordia, tùm etiam propter amorem ineffabilem quem intelligendo guſtabat, attendens quòd ex affectuoſo deſiderio atq; paterna charitate motus Deus omnino decreuerat hominibus gratioſè facere miſericordiam, nõ obſtãte quòd inimici ſui facti fuiſſent. Et ideo modum ſuis amicis impendebat & viam oſtendebat, quomodo poſſunt ei facere ſanctam violentiam, & iracundiam iuſtitiæ diuinæ placare. valde lætabatur etiam omni timore perdito, ex quibuſcunq; mundi perſecutionibus, attendendo dominum eſſe ſecum, & pro ſe pugnaturum. vnde multùm augmentabatur ignis deſiderij ſancti, in tantum quod animo quieto minimè remanebat, immo cum ſancta fiducia pro toto mundo miſericordiam inſtanter & humiliter à Domino poſtulabat. Et quamuis in ſecunda petitione ſua contineretur ſalubre bonum, & vtilitas Chriſtianorum & infideliũ, in reformatione ſanctæ matris Eccleſiæ, nihilominus veluti famelica & ſitibunda dilatabat orationem ad vniuerſum

uerſum orbem, vt ipſemet Deus eam expetere faciebat, vnde vehementer exclamando dicebat. O Deus æterne, pijßimos oculos tuos ad ouiculas tuas, tanquam paſtor verè bonus, miſericorditer aperi. Obſecro non differas vltra mũdo facere miſericordiã, iam quia videtur ex toto deficere, priuatus vnione tuæ charitatis & proximi ſui. Non enim alterutrum inter ſe diligunt amore realiter fundato in te.

QVOMODO DEVS CONQVErebatur de populo ſuo, præcipuè propter amorem proprium qui regnat in eis, confortans ipſam animam ad orationem & lachrymas.

CAPVT. XVII.

T*Vnc erga ſalutem animarum, velut ebrius pijſſimus dominus, ampliorem amorem atq; dolorem in hac anima ſuccendebat: apertè monſtrando cũ quanto dilectionis affectu creauerat hominem prout iam ſupra aliqualiter habetur. Et iterum ait: Vide filia quàm iniuſtißimè quilibet me pecutit offenſionibus iniquis, cùm ego creauerim eos cum æſtimabili dilectione & eos gratiosè dotauerim infinitis donis, non ex aliquo debitò, ſed ex gratia mea ſolummodo paterna & liberali. Conſidera nunc innumera peccata & vitia quibus me iugiter offendunt, & præcipuè cum abominabili atq; deteſtabili amore proprio, vnde procedunt omnia mala. Cum hoc amore peruerſo totum orbem venenauerũt. Quia ſicut amor erga me cunctas virtutes in*

ſe con-

ſe continet, illas per effectum operis effundendo in proximo, vt oſtendi tibi, ſic amor proprius in ſe continet omnia mala, quia fundatus eſt in ſuperbia, ſicut amor erga me fundatus in humili charitate. Hoc verò malum creatura mediante perpetratur, quia ſeparati ſunt à vera proximi charitate: quia me non dilexerunt neque proximum diligunt: Duæ namq; dilectiones iſtæ cõnexæ ſunt adinuicem & vnitæ. Ideo dixi tibi quòd omne bonum & omne malum proximo mediante perpetratur. Multifariè valde conqueri poſſum te creaturis meis. Nam à me non habuerunt niſi bonum, & ipſæ mihi retribuunt odium operando multa mala. Tamen iam dixi tibi, quòd propter lachrymas amicorum meorum, atq; deuotas humiliter effuſas orationes iracundia diuina placaretur, & idem aſſertiuè confirmo. Tu igitur & alij ſerui mei ſitis obuiare ſoliciti cum orationibus aſſiduis, atque deſiderijs igniferis, amariſſimè dolentes de culpis & offenſis contra me factis, & de animarum damnatione, vt illi poſſint euadere iudicium æterni ſupplicij.

QVOMODO NVLLVS MANVS Dei euadere poteſt, vbi ſumus, vel per miſericordiam, vel per iuſtitiam.

CAPVT. XVIII.

NOueris igitur indubitanter, quòd nemo poteſt euadere manus meas. Nam ego ſum ille qui ſum, vos verò non eſtis à vobiſipſis, niſi quantum à me recepiſtis eſſe veſtrũ, q̃ ſum creator omniũ quæ ſunt, excepto peccato, q̃ omnino nihil eſt, & ideo nullo modo

proceſſit à me: quare non eſt amari dignum. Ex hoc igitur excæcata creatura mea miſerabiliter offendit, quia diligit quod amare non debet: videlicet peccatum, & me ſummũ bonum odit, à quo recipit eſſe ſuum cum alijs infinitis gratijs in hoc eſſe fundatis à me ſibi paterna charitate gratioſè conceſſis. Si ipſi nequeunt vllatenus effugere manus meas quia vel à iuſtitia punientur, vel à miſaricordia ſaluabuntur: Igitur aperi oculum intellectus, & vide manum meam, & apertè cognoſces huiuſmodi rei veritatem. Tunc ex obedientia ſummi patris eleuans oculum in manu ſua videbat vniuerſum orbem incluſum. Et ait illi Dominus. Optimè nunc vides, quia nemo poteſt à me quomodo libet auferri, & ſicut iam dixi, vel in manu mea ſunt per iuſtitiam, vel per miſericordiam. A me namque creati ſunt vniuerſi, & ea quæ feci non odi, ſed affectuosè diligo. Et ideo non obſtantibus ipſorum iniquitatibus ego diſpono eis miſericordiam impendere gratioſam, humilibus amicorum meorum orationibus intercedentibus. Et ita petitionem tuam effectualiter adimplebo, quæ cum tanta cordis amaritudine pariter & amore rogaſti me.

QVALITER HAEC ANIMA DEſiderio ignito ſuccenſa, cupiebat à ſe ſudorem ſanguineum emanere, & ſe redarguens orationem pro patre ſuo faciebat.

CAPVT. XIX.

TVnc anima per affectum amoris ebria, quaſi non eſſet,

eſſet, in ſe igni ſancti ſui deſiderij creſcente ſtabat veluti beata pariter & doloroſa. Beata quidem erat ex vnione perfecta quam in Deo fecerat guſtando ſuæ bonitatis multitudinem & quaſi ſuffocabatur in ipſius ineffabili miſericordia. Doloroſa vero, conſiderando diuinam bonitatem ita damnabiliter offendi. Cui gratias vberes agebat, aduertens ei manifeſtata fuiſſe peccata delinquentium hominum, vt effectuoſa charitate compulſa, cum maiori ſolicitudinē ſanctum deſiderium augmentaret in defeſſè. Percepit igitur in æterna Deitate ſenſum animæ ſuæ mirabili modo renouari. Et ea tantùm excreuit ſanctus & amoroſus ignis, quòd aquæ ſudorem abundanter effuſum à corpore, propter violentiam ab anima ſibi factam, quæ tota ſuccendabatur amore diuino, ipſa contemnebat, ex vehementi deſiderio quod habebat, vt illius loco ſudor viui ſanguinis emaneret. Perfectior enim erat vnio quam tunc anima fecerat in Deo, quā fit vnio corporis & animæ. Ideo corpus laborioſè multùm affligebatur. Anima ſic ſemetipſam arguebat dicens. O anima mea miſſella, totam vitam tuam, cum tempore tibi gratioſè conceſſo multùm inutiliter expendiſti, immo potiùs perdidiſti. Et ideo tot & tanta damna & innumerabilia mala non ſolùm in Eccleſia ſancta, verùm etiam per vniuerſum orbem occurrerunt, communiter ac etiam in particulari. Vnde volo te cum ſudore ſanguineo in præſenti remedium adhibere. Veraciter hic anima benè mandauerat memoriæ doctrinam optimam, quam ei veritas æterna tradiderat, videlicet vt ſemetipſam agnoſceret, atq; diuinam in ſe bonitatem,

tem, nec nō & opportuna remedia, pro reparatione totius orbis, ad placandam iracundiam iuſtitiæ diuinæ, videlicet cum humilibus cōtinuis atq; ſanctis hominibus. Propter quod hic anima, vehementi compulſa deſiderio, valentiùs inſurgebat, & aperiens intellectus oculum, attentè ſpeculabatur in charitate diuina: vbi lucidè cognoſcebat atq; deguſtabat, quantum obligabamur amore indefeſsè procurandi gloriam & laudem diuini nominis in ſalutem animarum. Et ad hoc videbat & intelligebat, vocatos eſſe Dei ſeruos. Et præcipuè veritas æterna vocabat & eligebat animæ ſuæ patrem, quem offerebat in conſpectu diuinæ maieſtatis, ipſam inſtantiſsimè deprecans, vt ei lumen gratiæ ſingularis infundere dignaretur, ad perficiendā in omnibus, in veritate, voluntatem ipſius æterni patris.

QVOMODO SINE TRIBVLATIOnibus cum patientia portatis, nemo poteſt Deo placere.

CAPVT. XX.

Pliſsimus ergo Deus tertiæ ſuæ petitioni reſpondendo: videlicet deſiderio ſalutis patiens animæ ſuæ, ait ei: Filia chariſsima, patrem animæ tuæ volo cum omni ſancta ſolicitudine, ſalutem animarum indefeſsè perquirere, in quo proculdubio mihi valde complacebit: hoc autem ipſe, ſiue tu, vel alius quicunq; perficere non valeret abſq; perſecutione & tribulationibus quàm plurimis, vt iam tibi dixi, prout mihi concedere placebit, & expedire cognouero. Sicut enim optatis

honorem videre meum in Eccleſia ſancta, ſic in corde veſtro concipere debetis affectum, amore mei tolerandi cũ vera patientia quæcũq; cõceſſero. Et in hac experientia videbitur, vtrum honorẽ meũ in veritate perquiratis: & ipſe tunc erit amabilis filius meus. Et vnâ cũ alijs amicis meis, ipſe quoq; requieſcet ſupra pectus vnigeniti filij mei, de quo vobis pontem feci, vt incolumes peruenire valeatis ad glorioſum finem atq; terminum, ad quẽ vos ego gratioſè creaui: vbi recipietis fructum omnium laborum, quos amore mei cum patientia portaueritis. Itaq; tolerate viriliter, quia non ſunt condignæ paſſiones huius breuiſſimi temporis, ad futuram & æternã gloriam, ad quam vos introducam.

QVOMODO FRACTA VIA, PER quam ad cœlum aſcendere debeamus ex inobedientia Adæ, Deus poteſtatem de filio ſuo fecit, per quem tranſire poſſunt cum incolumitate fideles,

CAPVT. XXI.

ET quia ibi dixi, quòd ex vnigenito filio meo, humano generi poteſtatem feceram, nolo vos ignorare filij mei electi, quòd via per quam aſcendere debeatis in cœlũ ex inobedientia & propter tranſgreſſionẽ Adæ fracta fuit & interrupta, per modum ꝙ nemo tranſire poterat, & ad vitã pertingere durabilẽ. Itaq; genus humanum mihi gloriam & honorem non rependebat vt obligabatur: non habendo finem illum ad quem ipſam gratioſè creaueram, & ita veritas mea minimè

complebatur: hoc eſt autem veritas mea, quoniam hominem ad imaginem & ſimilitudinem meam, & magna dignitate creaueram, vt ad vitam æternam veniret: ibiq́ participando guſtaret in effabilem dulcedinem atq́ bonitatem meam. Peccatum igitur impediebat ne pertingeret ad iſtum fœliciſsimum terminum, & ita veritas iſta non impediebatur. Huiuſmodi namq́ peccati culpa cœlum omnino clauſerat atq́ miſericordiæ ianuam. Prædicta culpa ſpinas anguſtiarum tribulationum atq́ moleſtiarum homini germinauit. Sicut enim homo mihi rebellis extitit, in ſemetipſo ſubitò rebellionem inuenit. Caro contra ſpiritum illicò rebellauit & impugnauit. Et innocentiæ ſtatum amittendo, effectus eſt veluti animal immundum & etiam aliæ creaturæ factæ ſunt ei rebelles, vbi plenè fuiſſent eius obedientiæ ſubditæ, ſi ſe conſeruaſſet in dignitate qua creaueram & collocaueram eum. Sed quia ſe conſeruare noluit, meam obedientiam offendendo, mortem æternam corporis & animæ proculdubio meruit. Vnde poſt hæc illicò fluuius quidam inquietus, immo tempeſtate plenus, valde periculosè profluxit, qui ſuis vndis iugiter allidit eum, cum varijs afflictionibus atq́ moleſtijs, à ſemetipſo videlicet ab aduerſario pariter & à mundo procedentibus. Omnes in iſto fluuio mergebamini, quia nullus ex quacunq́ iuſtitia ſua poterat ad æternam vitam aſcendere. Quamobrem ego piè more paterno cupiens veſtris multiplicibus obuiare periculis, ordinaui pontem omnino ſalutarem, donando vobis vnigenitum filium meum, vt tranſitu fluminis huius, euadẽ poſitis omne periculum. Periculoſus

loſus itaq; fluuius eſt iſta mundi procelloſa pariter & tenebroſa vita. Nunquid aduertis, quantum obligatur amare me genus humanum, & cum quanta procedit ignorãtia periculoſa, volendo potiùs in flumine ſe ſuffocare quàm aſſumere ſalubre remedium, quod ei gratioſè conceſſi.

DEVS INDVCIT HANC ANIMAM ad conſiderandam dicti pontis magnitudinem, quæ tenet à terra vſque ad cœlum.

CAPVT. XXII.

Dixit etiam huic animæ dominus. Aperi oculum intellectus & videbis excæcatos & ignorantes. videbis inſuper imperfectos atque perfectos qui me viriliter & in veritate ſequuntur, vt deperditione miſerorum & ignorantium charitatiuè condoleas, & de fœlicitate ſeruorũ et electorũ meorũ affectuosè cõgaudeas. Itẽ apertè videbis, qualiter incedũt euntes in lumine necnõ & eũtes in tenebris. Sed antea volo te cõſiderare pontem iſtum de quo dixi. Nam à ſummo cælo vſq; ad aridam extenditur, & occupat altitudine ſua, hoc eſt, quoniam altitudini diuinitatis terra veſtræ humanitatis vnitur. Et ideo dixi quòd à ſummo pertingit ad infima: videlicet ex vnione vtriuſq; naturæ. Hoc omnino neceſſarium extitit, volendo reficere dirruptum iter, vt ad vitam æternam pertingere valeretis: amaritudine periculoſa vitæ præſentis cum incolumitate tranſuadata. Iſte vero pons de terra ſolummodo conſtrui non poterat,

altitudinis quæ ſufficeret ad tranſitum huiuſmodi fluminis, ut habere poſſetis vitam. Quia videlicet terra veſtræ humanitatis ad ſatisfaciendum offenſæ contra me perpetratæ nullo modo ſufficiebat, nec abluere poterat illius culpæ putredinem, quæ quidem vniuerſum genus humanum & corrupit & infecit, vt iam dixi. Oportuit ergo naturam veſtram vniri noſtræ diuinæ, vt ſatisfacere poſſet pro vniuerſo genere humano: dum humana veſtra natura tolerando pœnam in dilectiſſimo filio meo, mihi pro vobis oblato, acceptaretur in ſufficientiſſimo ſacrificio, virtute naturæ diuinæ ſecum vnitæ. Et ita mors à vobis auferetur, & vita gratiæ donaretur. In hunc ergo modum altitudo diuinitatis humiliata fuit humo veſtræ mortalitatis. Et ex tali vnione perfectiſſima, conſtructus eſt iſte ſacratiſſimus pons, & via ſalutifera reparata. Quare ſe fecit viam, vt per eam tranſeundo veniretis ad æternum gaudium, vnâ cum angelica natura. Sed vobis minimè ſufficeret, ad obtinendam vitam, licet vnigenitus meus de ſe pontem fecerit, niſi per ipſum tranſiretis.

QVOMODO SVMVS OMNES LAboratores à Deo miſsi ad laborandum in vinea Eccleſiæ ſanctæ.

CAPVT. XXIII.

IN ſupradicta ſententia veritas æterna demonſtrabat, quòd nos creauerat abſq; nobis, ſed ſaluare nos abſq; nobis omnino non vult. Oportet ergo quòd apponamus in ſalutis noſtræ negotio bonam voluntatem

cum

tum arbitrio libero, tempus in veris virtutibus exercẽdo. Ideo ſubiunxit illico dicens. Omnes tranſire debetis per pontem iſtum perquirentes indefeſſè gloriam & laudem nomini meo in animarum ſalute, cum pœna tolerando labores quàm plurimos, amore ſyncero, dulcis & amoroſi verbi ſequendo veſtigia. Vos eſtis cultores atque coloni mei, quos ego conduxi, vt vineam ſanctæ Matris Eccleſiæ laboraretis. Vos vtiq; laboratis in vniuerſali corpore Chriſtianæ religionis, à me conducti per gratiam exhibendo vobis lumen Baptiſmi ſalutaris, quem habuiſtis in corpore myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ, per manus miniſtrorum, quos ad laborandum conduxi ſicut & vos. Vos eſtis in vniuerſali corpore, ipſi verò ſunt in corpore myſtico, ad paſcendum animas veſtras electi, miniſtrando vobis in ſacramentis vnigeniti mei ſanguinem, extirpando ſpinas mortalium peccatorum, atque plantando virtutem & gratiam in vinea veſtrarum animarum, alligata vineæ ſanctæ Matris Eccleſiæ. Quilibet homo vineam habet in ſemetipſo, videlicet animam ſuam cuius colonus & cultor eſt voluntas vnâ cũ arbitrio libero, dũ viuit in iſto breui tempore. Tranſacto verò tempore nullum opus in ea facere poteſt, neque bonum neque malum. Dum autem eſt in tempore poteſt, immo debet viriliter in vinea ſua laborare, ad quam eum introduxi. Et à me gratioſè recepit iſte colonus tàm validam fortitudinem, quòd omnino nulla creatura poteſt auferre ſibi, nec eum violentare, niſi ſponte voluerit acquieſcere, nam in ſancto Baptiſmo, fuit ita fortificatus.

Tunc

Tunc accepit vnum gladium bicipitem, videlicet amorem virtutis, & odium peccati quæ duo reperit in ſanguine. Quoniam amore veſtræ ſalutis, & odio peccati mortuus eſt vnigenitus filius meus, effundendo pretioſum ſanguinem abundante quo ſanguine vitam habuiſtis in ſancto Baptiſmo, vnde gladium habetis quo debetis vti manu liberi arbitrij dum eſtis in tempore, ad euellendas peccatorum ſpinas, pungentes atq; mortiferas in anima veſtra, plantando virtutes. Aliter enim fructum ſanguinis non haberetis ab ipſis colonis, quos in Eccleſia ſancta collocaui, de quibus iam dixi, tibi quod à vinea noſtrarum animarum auferebant ſpinas peccatorum, & infundebant gratiam in ſacramentis Eccleſiæ miniſtrando ſanguinem. Eſt ergo neceſſarium, quod priùs humili contritione cordis, atq; diſplicentia peccatorũ aſſurgatis, & amore virtutum & ita ſanguinis huius pretioſi ſalutiferum fructum habebitis. Aliter enim minimè poſſetis habere, niſi etiam ex parte veſtra virtuoſam diſpoſitionem faceretis, veluti palmites vniti veræ viti, videlicet Ieſu Chriſto filio meo, qui ait: Ego ſum vitis vera, pater vero meus agricola eſt, & vos palmites. Et ita verum eſt, verus enim agricola ſum, à quo ſunt egreſſa quæcunq; ſunt in eſſe creata: Potentia namque mea penitùs inæſtimabilis eſt. Ipſa quotidie gubernat atq; regit vniuerſum orbem, & abſq; me nihil omnino factum eſt. Itaq; ſum ille verus agricola, qui filium meum vnigenitum in terra veſtræ humanitatis plantaui tanquam vitem, vt vos veluti palmites vniti per fidem & opera veræ vitæ fructum afferatis. Ideo qui-

cunq;

tunq́ ſalutiferum fructum, videlicet bonorum operum afferre neglexerit, ab ipſa vitæ vera præcidetur, & areſcet, & in ignem mittetur æternum, quoniam ita præciſus Illicò vitæ gratiam amiſit: & veluti palmes à uite præciſus et areſactus infructuoſus eſt õnino & ſolũmodo ſeruatur ad ignẽ, ſimiliter iſti peccatis eorũ exigẽtibus ita præciſi moriẽtes in culpa mortali mittentur à diuina iuſtitia, veluti inutiles, in ignẽ æternũ. Iſti colere noluerũt vineam ſuam, immo potiùs exterminauerunt propriam & alienam: Nec in ea ſolùm omiſerunt aliquam virtutis plantam immittere, immo quod videtur eſſe deteriùs, inde ſemen gratiæ, quod in lumine Baptiſmali perceperant, abiecerunt, atq; modo miſerabili cõculcauerunt. In quo lumine participabant vnigeniti filij mei ſanguini, qui ſuauiſſimum vinum extitit quòd vobis vitis iſta vera produxit. Ipſi autem abſtulerunt à vinea ſua ſemen iſtud, & in cibum exhibuerunt animalium aliquorum: videlicet iniquitatum diuerſarum: illud viliſſimè ſubpeditantes per inordinatum affectum, cum quo me ſatis offenderunt, & ſemetipſos valde miſerabili modo damnificauerunt atq; proximum, vos verò ſerui mei fideles inſerti eſſe debetis veræ viti: quia tunc afferetis abundantiſſimè fructum, participantes huius veræ vitis humorem. Vobis autem in filio meo dilectiſſimo permanentibus in me ſtatis. Nam ego ſum vnum cum eo & ipſe mecum. Si ſtabitis cum eo, ſequemini proculdubio veſtigia eius & doctrinam, & ita ſubſtantiæ eius participabitis, videlicet æternæ Deitatis vnitæ veſtræ humanitati, dum inde trahitis amorem ineffabilem atq; diui-

diuinum, vbi fidelis anima inebriatur. Et ideo dixi, quia participabitis de ſubſtantia ſalutiferæ vitis huius.

QVALITER DEVS PALMITES prædictæ viti vnitos, videlicet ſeruos ſuos, putat: & quomodo nullus poteſt colere vel deſtruere vineam ſuam, quin colat vel deſtruat illam proximi.

CAPVT. XXIIII.

ITem ait Dominus: Scis filia mea, quem modum ego teneo poſtquam ſerui mei ſic vniti libenter animo prompto deſiderant Ieſu Chriſti filij mei ſequi doctrinam atque veſtigia? Ego puto illos amouendo ſuperflua, vt ampliorem fructum producant, & fructus eorum ſit acceptabilis & electus & non efficiatur inanis atq; ſilueſter, ſicuti palmes viti coniunctus putatur à cultore, vt meliorem fructum atque plus afferat. Quòd verò ſilueſtrem viderit ad ignem ponit. Similiter ego verus cultor ago. Seruos meos, in me per amoris affectum immorantes ego puto multis varijsq; tribulationibus, vt meliorem atq; maiorem fructum afferant & eorum probata virtus eluceſcat. Steriles verò præciduntur à gratia, & igne comburentur. Tales enim veri ſunt cultores, valde benè colentes animas eorum, extirpantes ab eis omnem amorem proprium, in me terram terentes affectus animarum eorum nutriunt, & iugiter augmentant in ſe gratiæ ſemen, quod in ſancto Baptiſmo receperunt. Et ita benè vineam propriam excolentes,

volentes, etiam illam proximi ſui benè colunt, quia non benè poteſt coli vna ſine reliqua. Iam enim tibi dixi, quod omnia bona, ſimiliter & omnia mala, mediante proximo perpetrantur. Itaq; vos eſtis coloni mei à me progreſſi & electi, qui ſum optimus laborator, vos vniens & inſerens veræ viti propter vnionem cum humanitate veſtra factam. Diligenter attende, quòd omnes homines habent vineam propriam, quæ ſine medio iungitur & vnitur vineæ proximi ſui. Et in tantum vniũtur, quod nemo poteſt proficere, ſiue nõcere ſibi, quin idem etiam proximo non operetur. Ex omnibus vobis, videlicet ex tota religione Chriſtiana, vniuerſalis vinea conſtituta eſt, eò quòd eſtis vniti pariter in corpore myſtico ſanctæ matris Eccleſiæ, vnde vitæ gratiam habetis. In qua vinea plantaui vitem hanc ueram vnigeniti filij mei, cui vos inſerti eſſe debetis pariter & vniti. Si verò non eſſetis in eo taliter inſerti, rebelles eſſetis indubitanter Eccleſiæ ſanctæ, ac eſſetis veluti membra putrida, quæ pretioſa ſunt à corpore, veruntamen dum eſtis in tempore, poteſtis à peccati putredine conſurgere, habendo recurſum ad miniſtros meos, qui ſunt coloni tenentes claues vini ſaluberrimi, videlicet pretioſi ſanguinis ab ipſa vite vera producti & egreſſi. Qui tantæ virtutis atq; perfectionis eſt quod ex nullo defectu miniſtri contaminari poteſt vel inquinari, neq; poteſt à vobis auferri fructus ipſius immaculati ſanguinis. Vinculum verò charitatis eſt illud, cum quo ligantur cum humanitate uera & notitia ſalubri mei & ſui. Itaque uides apertè quòd omnes uos ueluti colonos ad laborãdum adduxi.

Et

Et nunc etiam inuito vos denuò, quia mundus in ſe defecit, & in tantùm vepres in eo multiplicatæ ſunt, quòd omne ſemen omnino ſuffocatur, ita quòd nullum fructũ boni operis vel gratiæ facere volunt. Igitur volo vos eſſe cultores veros atq; fideles, qui cum ſolicitudine ſancta & indefeſſa in corpore myſtico ſanctæ matris Eccleſiæ pro ſalute fidelium quotidie laboretis. Præcipuè ad hæc vos eligo, quia decreui mundo miſerabili facere miſericordiam, pro quo tu tàm humiliter & inſtantiſſimè rogaſti me.

QVALITER HAEC ANIMA, POST aliquas Dei laudes, humiliter expoſcit ei demonſtrari per pontem ambulantes: & alios qui per ipſum ambulare volunt.

CAPVT. XXV.

HÆc anima tunc amore diuino valde ſuccenſa dicebat exclamans. O dulciſſima charitas inæſtimabilis & ignifera, quis ex tanta dulcedine non accendatur & vratur? Quod eſt cor ita durum, quod ſe defendere valeat, vt non deficiat. Tu abyſſus æternæ charitatis: ita philocaptus es de tuis inutilibus creaturis, quod, vt ita dicam, videris inſanire, quemadmodum ſi viuere non poſſes abſq; illis, cum tu ſis omnipotens Deus noſter, qui noſtri nullatenus indiges: & ideo de quocunq; noſtro commodo, nihil additur magnitudini tuæ. Et quia tu es immobilis, de quocunq; noſtro detrimentò nihil omnino demitur æternæ bonitati tuæ. Vnde prouocaris

caris obſecro ad tantam atq; talem miſericordiam exhibẽdam? Solummodo tua charitas ineffabilis hoc agit. Non quidem ex debito fine quòd egeas adiutorio, quia ſumus verè nequam infideliſſimi debitores. Si benè conſidero ſumma & æterna bonitas, ego latro ſum: tu verò pro me ſuſpenderis atq; torqueris, quia video filium tuum vnigenitum in cruce pro me ſuſpenſum atque elauatum, de quo feciſti pontem humano generi, ſicut mihi miſerrimè ſeruæ tuæ propalare dignatus es. Vnde cor meum ex vehementi deſiderio atq; fame tui honoris in præſenti ſcinditur, & tamen vt opto ſcindi non valet. Inſuper habeo memoriæ, quia mihi oſtendere volebas, qui ſunt illi qui per pontem incedunt, & alios qui per illum ire nolunt. Et ideo ſi maieſtati tuæ placet, ego libenter viderem, atq; te docente libenter audirem.

QVOMODO PONS ISTE TRES gradus habet, per quos apertè notantur tres animæ ſtatus, & qualiter intelligitur verbum Chriſti. Si exaltatus à terra fuero, &c.

CAPVT. XXVI.

AEternus verò Deus, vt animam illam circa ſalutem animarum ampliùs philocaperet atque feruentiùs animaret, ait. Antequam pandam tibi ea, quæ tibi monſtrare diſpono, & id quod à me petis, volo te noſſe qualiter iſte pons eſt vtilimè diſpoſitus: dixi tibi quod à cœlo vſque ad aridam extenditur, videlicet ex vnione quam in humanitate veſtra fieri

uolui. Nam delimo terræ primum hominem ego formaui. Iſte pons, uidelicet filius meus unigenitus, tres gradus in ſe continet, quorum duo fabricati fuerunt in ligno ſanctiſsimæ crucis. In tertio quoque perſenſit amaritudinem ualde moleſtam, uidelicet quando potatus in cruce fuit aceto, felle permixto. In his ergo tribus gradibus intelligere poteris tres animæ ſtatus, ut apertiùs tibi ſubiungatur. Primus gradus in pedibus intelligitur: quia ſicut pedes portant corpus, ſic affectus animam: Affixi pedes tibi faciunt unum gradum, ut ad uulnus lateris attingere ualeas. Secundus tibi cordis apertè manifeſtat arcana, poſtquam homo ſuper affectum pedum aſcenderit incipit iam guſtare cordis affectum diligentiſsimè conſiderans, intellectus oculo, cor apertum unigeniti filij mei, ubi reperire poteſt ineffabilem atque perfectiſsimum amorem uerè conſumatum. Conſumatum inquam, quia uos non amat ex aliqua utilitate propria: Nam utilitatem ei facere non ualetis, quoniam unum eſt mecum. Tunc anima repletur amore, conſiderando ſe tàm ineffabiliter amari. Poſtquam ergo gradum ſecundum aſcendit, peruenit ad tertium, uidelicet ad os omni ſuauitate repletum, ubi reperit pacem quietiſsimam, ex amariſsima guerra quam priùs incurrerat propter offenſiones eius. Igitur in primo gradu, leuando pedes affectus à terra, reſpuit uitia. In ſecundo repleuit animam uirtutibus. Sed in gradu tertio guſtat pacem. Itaque pons iſte tres habet gradus, ut aſcendentes primum atq; ſecundum peruenire poſsitis ad tertium. Eſt etiam iſte pons eleuatus in altum, quem

aqua decurrens lædere non valet, eò quòd in ipſo glorioſo ponte non fuit vnquam aliqua peccati macula. Et licet ipſe pons in altum extiterit eleuatus, tamen à terra fuit nullo modo ſeparatus. Scis filia chariſsima, quando leuatus fuit in altum. Quando affixus fuit in ligno ſalutiferæ crucis. Non tamen ſeparata fuit aliquo modo à terra noſtræ humanitatis, altitudo naturæ diuinitatis. Et ideo dixi, quòd licet in altum eſſet eleuatus à terra, tamen non erat ſeparatus ex vnione Deitatis, & humanæ naturæ. Nemo quippe poterat incedere ſupra pontem iſtum, vſquequo non extitit in altum eleuatus. Et ideo dixit ipſe. Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Ego verò conſiderans, quòd alio modo meliori trahi non poteratis, à mea paterna charitate ſolummodo motus, vobis eum tranſmiſi ſuper ligno ſalutiferæ crucis eleuandum & exaltandum, faciendo de corpore ſuo quandam incudem, in qua fabricaretur humani generis filius, auferendo ſibi mortem, & ei vita gratiæ reſtitueretur. Et iſto modo trahit ad ſemetipſum omnia, dilectionem inæſtimabilem oſtendendo vobis: quia cor hominis agiliùs trahitur amore quàm alio modo: & ipſe uobis maiorem amorem oſtendere non poterat, quàm uitam pro uobis exponere. Violenter igitur homo trahitur ab amore, niſi fortè propter ignorantiam & ingratitudinem eius, omnino renuerit, atq; reſiſtentiam damnabilem adhibuerit: dixit ergo, quòd ſi exaltatus eſſet à terra, omnia traheret ad ſe: & ita uerum eſt: hoc autem intelligi poteſt dupliciter. Vno modo, quòd hominis attracto corde per affectum amo-

ris, vt iam dictum eſt, etiam animæ potentiæ cæteræ ſunt attractæ, videlicet memoria, intellectus atque voluntas. Congregatis igitur & vnitis his tribus animæ potentijs, in nomine meo, tunc omnia quæ facit actualiter atq; mentaliter attrahuntur & vniuntur in me per affectum amoris. Ideo ſunt mihi valde grata pariter & accepta, quia ſunt in altum erecta, ſequendo dilectionem igniferam vnigeniti filij mei. Itaque verum eſt quod ait: ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me, quia videlicet attracto corde cum animæ potentijs, opera cuncta ſimiliter attrahuntur. Secundo modo poteſt intelligi, quoniam omnia creata ſunt in obſequium hominis, & non homo propter alias creaturas, immo propter me ſolummodo, videlicet vt mihi ſeruiat & affectuosè me diligat ex toto corde ſuo. Attendas ergo quòd homine ſicut dictum eſt, attracto, cætera ſunt attracta, dum omnia creata ſunt propter ipſum: Fuit igitur expediens quòd iſte pons in altum erigeretur, & quòd haberet etiam in ſe ſcalas, vt agiliùs ad ipſum aſcendere valeretis.

QVIBVS LAPIDIBVS ISTE PONS eſt muratus: vnde qui per pontem tranſit omnino ſaluus eſt, qui verò tranſit per fluuium, vadit ad mortem.

CAPVT. XXVII.

ISte pons conſtructus eſt ex lapidibus, vt venientibus imbribus viatores nullo modo prepediãtur. Noſti qui ſunt iſti lapides, proculdubio ſunt reales & vera

veræ virtutes. Qui lapides ante paßionem vnigeniti filij mei murati non erant. Ideo viatores impediebantur in tantum, quod nemo peruenire poterat ad terminum, ad quem ego creaueram eos quantumcunq; per viam virtutum ambulare conarentur. Cœlum adhuc omnino clauſum erat: clauis enim ſanguinis pretioſi filij mei dilectiſsimi nondum illud aperuerat. pluuia quoque diuinæ iuſtitiæ non admittebat aliquem pertranſire. Sed ex quo lapides iſti ſupra corpus ipſius vnigeniti filij mei, de quo tibi dixi me feciſſe pontem, dolati fuerunt atque contuſi, poſtmodùm ipſe murauit & fabricauit calcẽ ad murãdum, conſpergendo ſuo pretioſo ſanguine, quæ calx excocta cum igne dilectionis immenſæ, fortitudinem habuit inæſtimabilem vigore diuinitatis æternæ. Cum potentia mea lapides virtutum murati atque conſtructi ſunt ſuper eum: quia nulla virtus eſt quæ non extiterit in eo probata: & ab eo virtutes omnes habent vitam & efficaciam. Et ideo nemo poteſt habere virtutem aliquam, quæ vitæ gratiam exhibeat, niſi ſolùm ab eo, videlicet ſuam ſequendo doctrinam atq; veſtigia. Ipſe murauit atque plantauit virtutes tanquam viuos lapides in ædificio: firmauit & conſtruxit proprio ſanguine ſuo, vt omnes fideles expeditè tranſire valeant abſque timore ſeruili cuiuſcunq; pluuiæ diuinæ iuſtitiæ, quia miſericordia præuenit. Quæ miſericordia de cœlo deſcendit in incarnatione dilectiſsimi filij mei: Cum qua claue cœlum fuit apertum. Solummodo cum claue ſui pretioſi ſanguinis. Itaq; videre potes hunc ſalutiferum pontem eſſe conſtructum atque muratum, ac

etiam coopertum ineffabili miſericordia. Super quo viridarium Eccleſiæ ſanctæ velut apotheca conſiſtit, in qua panis vitæ miniſtratur eſurientibus & ſanguine pretioſo ſitientes abundantſsimè potantur, ne viatores atque peregrini, veluti feſsi deficiant in via. Et ex hoc ordinauit affectuoſa mea paterna charitas, vt vobis corpus atque ſanguis vnigeniti filij mei quotidie miniſtretur, qui verus Deus & verus eſt homo. Cùm verò pertranſieritis pontem, peruenietis ad ianuam quæ tamen ianua idem eſt & pons, per quam omnes vos indubitanter oportet ingredi. Vnde dixit in Euangelio: Ego ſum via, veritas & vita: qui vadit per me, non ambulat in tenebris: ſed habebit lumen vitæ. Et alibi dixit idem. Nemo venit ad patrem niſi per me. Et ita ſe veritas habet. Nam eſt via, veritas & vita. Et ſi benè meminiſti, iam tibi monſtraui, quæ eſt via ſub forma pontis. Et quia mecum eſt vnum qui ſum æterna veritas, etiam idem eſt, videlicet æterna veritas: quia qui ſequitur eum, in veritate perambulat. Eſt inſuper vera vita, quia qui ſequitur ueritatem iſtã, uitam gratiæ recipit: neq; fame perire poteſt, quia veritas ſe vobis exhibuit in cibum: neq; poteſt in tenebris ire, quoniam ipſe uera lux eſt, omnẽ hominem illuminãs, omni mendacio priuatus, immo cum veritate ſuæ lucis irritauit, & annihilauit omnino mendacium aduerſarij, cum quo deceperat Euam. Quod vtiq; Diaboli mẽdacium iter ad cœlum vobis irrupit, veritas verò reparauit: illud, vt iam dixi, fabricando pretioſo ſanguine ſuo. Igitur omnes qui viam iſtam in veritate ſequũtur, vtiq; ſunt veritatis alũ-

ni,

ni, quia ueritatem imitantur, & per portam ueritatis intrantes, ad me mare pacificum vnitum cum hac æterna veritate, porta pariter & via fœliciſsimè perueniunt. Qui uerò declinat, & omnino renuit hanc viam ſaluberrimam ambulare: vadit infra per fluminis alueum. vbi non eſt via conſtructa lapidibus: ſed aqua procelloſa decurrens. Et quia nullum eſt ibi ſuſtentaculum ſiue ſubſidium, nullus inde tranſire poteſt, quin ab aqua ſubmergatur atq; ſuffocetur. Tales proculdubio ſunt huius mūdi delici, æſtatus & oblectamenta ſuæ vanitatis, eò quòd affectus hominis ſuper viuo & angulari lapide non eſt collocatus, immo veriùs in creaturis, & alijs vanitatibus eſt extra me poſitus, illas inordinatè amando atque poſsidendo: ſimilitudinem habent cum aqua quotidie decurrēti. Similiter & homo vnâ currit cum illis ſingulis diebus infalibiliter vnam dietam agit, ad mortis terminum properando. vellet vtiq; ſemetipſum conſeruare, ne curreret ita vnâ cum rebus quas diligit. Hoc autem eſt eis penitùs impoſsibile: quia neq; ſe, neque ſua multo tempore conſeruare poteſt. Statutum eſt enim hominibus indubitantiſsimè ſemel mori: etiam ea quæ poſsidet neceſſarium eſt omnino relinquere. Quia vel ipſe per mortem auferetur eis, vel illa per ordinationem ſiue permiſsionem meam auferentur ei. Iſti mendacium imitantur, ideo merito filij Diaboli nominari debent qui mendax eſt & mendacij pater. Et quia tranſeunt per mendacij portam, æternam incidunt iuſtiſsimè damnationem. Nunc autem oſtendi tibi veritatem atq;

mendacium videlicet viam meam quæ veritas eſt: & viam Diaboli quæ mendacium in ſe continet.

QVOMODO PER VIAM DEI, VIdelicet per pontem iſtum, ac etiam per viam contrariam, videlicet per flumen cum labore tranſitur.

CAPVT. XXVIII.

ISTæ ſunt duæ viæ: ſed per vtramque cum difficultate tranſitur. Attende diligenter hominis ignorantiam, & affectatam eius cæcitatem, qui viam habens expeditam atq; ſalubrem: vult ambulare per flumen ad interitum. Via verò mea tantæ conſolationis eſt electis meis ambulantibus in ea, quòd omnis amaritudo efficitur eis valde dulcis, & omnia pondera leuiſsima. Qui licet adhuc habitent in corpore tenebroſo lumen inueniunt: atq; mortales exiſtentes vitam inueniunt immortalem, deguſtando per amoris affectum, cum lumine fidei veritatem æternam: quia promitto refrigerium inæſtimabile cunctis qui fideliter amore mei laborant, valde namq; ſum liberalis & gratus atq; iuſtus, vnicuiq; retribuens iuxta merita ſua. Quare nullum malum eſt impunitum, nec aliquod bonum aliquando remanet irremuneratum. Iucunditatem verò quam habet ambulans in veritate per viam iſtam lingua tua narrare nō valet, nec auris audire, nec oculus videre pro eo, quod etiam in vita præſenti participando guſtat illud ineffabile bonum quod ei præparatur in vita durabili. Ergo verè ſtultus eſt ille qui bonum huiuſmodi recuſat: & potiùs

eligit

eligit in hac vita miſerabiliter arram inferni guſtando recipere, tendendo per viam fluminis in qua cum anguſtioſo labore perambulat abſque refrigerio, vel aliquo bono: quia propter eius culpam & iniquitatem eſt omnino priuatus me, qui ſum æternum atque ſummum bonum. Ergo rationabiliter vos electi mei ſtatis in amaro dolore cordis, propter offenſas quas iugiter ab homine recipio, & ex compaſſione ſuæ damnabilis ignorantiæ cum qua me grauiter offendit, in detrimentum, immo dãnationem animæ ſuæ, hoc enim à vobis accepto gratanter, & ita volo vos agere. Nunc verò vidiſti atque comprehendere potuiſti qualitatem & diſpoſitionem huiuſmodi ſalutiferi pontis ad declarationem eius quòd tibi dixeram, quia pontem humano generi feceram ex vnigenito filio meo. Et iſta veritas eſt apertè tibi patefacta, vt iam dictum eſt.

QVOMODO ISTE PONS, CVM aſcendiſſet ad cœlum die aſcenſionis non tamen ſe à terra ſeparauit.

CAPVT. XXIX.

POſtquam autem vnigenitus filius meus ad me redijt, quadrageſimo die poſt eius glorioſam reſurrectionem, iſte pons eleuatus eſt à terra: videlicet à conuerſatione corporali mortalium, & aſcendit in cœlum virtute diuina, ſedens ad dexteram mei patris eius æterni, prout angelus ipſa die aſcenſionis eius diſcipulis ait, qui mente ſuſpenſi ſtabant ex eo quod eorum corda in cœlum aſcenderant vnà cum ipſo filio meo dicens. Non expedit, vt hic vltra moremini, quoniam iſte Dominus

Ieſus aſcendit in cœlum, & ſedet ad dexteram æterni patris. Cùm aſcendens in altum, ad me corpore ſuo rediſſet: quia nunquam ex diuinitate diſceſsit: ego miſi magiſtrũ optimum humano generi, videlicet ſpiritum ſanctũ qui venit cum potentia mea, & cum ſapientia verbi mei, pariter & cum clementia ſuamet, videlicet eiuſdẽ ſpiritus ſancti. Qui ſpiritus vnum eſt mecũ, & cum vnigenito meo. Vnde confirmauit viam atq; doctrinam, quã ipſa mea veritas in mundo reliquerat, & apertè docuerat. Et ideo licet humana conuerſatione diſceſſerit à mundo, remanſit ibi ſaluberrima doctrina ſua pariter, & veræ virtutes, quæ ſunt velut viui lapides fundati & conſtructi ſuper ipſa doctrina ſua, quæ vobis eſt certiſſima via facta pro ſalute mundi, ab iſto ponte glorioſo, priùs ipſe cœperit viam iſtam inchoare, coruſcantibus virtutibus, dando vobis doctrinam iſtam, exemplo & opere magis quàm verbo, immo plus incœpit opere facere quàm verbo docere. Doctrinam huiuſmodi clementia ſancti ſpiritus validè confirmauit, mentes diſcipulorum, virtuosè roborando vt annuntiarent, atq; conſtantiſsimè faterentur in vniuerſo mundo veritatem, & viam iſtam, doctrinam videlicet Ieſu Chriſti filij mei, publicè mundum arguendo de ſuis iniuſtitijs, atque falſis iudicijs, de quibus alias apertiùs tibi pandam. Iſta verò volui tibi narrare, ne forſitã in mentibus aliquorum error valeat exoriri dicentium. Apertè fatemur, quia de Ieſu Chriſti corpore factus eſt humono generi pons ex vnione naturæ diuinæ cum humana: ſed iſte pons aſcendit in cælum, diſcendens à vobis. Ipſe vobis erat apertiſſi-

pertiſſima via ſalutis, efficaciſſimè vos docendo veritatem, & omnes virtutes verbo pariter & exemplo. Nũc autem vbi poſſumus exemplum intueri vel viam inuenire? Reſpondeo talibus, lucidiſſima doctrina ſua confirmata fuit à ſpiritu ſancto per Apoſtolos: in ſanguine declarata Martyrum innumerabilium: lumine ſanctorum doctorum illuminata: quam apertiſſimè declarant & publicè confitentur. Et hæc etiam Euangeliſtæ ſpiritu ſancto repleti vobis fidem pleniſſimè faciunt etiam per publicum inſtrumentum. Omnes apertiſſimum & acceptabile teſtimonium exhibent in corpore myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ Chriſtianæ veritati veluti lucerna clariſſima ſuper candelabro poſita, vt viã veritatis oſtendant quæ verè conducit ad vitam. Et illam non ſolùm verbo docuerunt, immo per experientiam in ſemetipſis apertiſſimè demonſtrant. Itaque quicunque voluerit vti ratione ſalubriter de tali veritate poteſt informari niſi voluerit ab amore proprio damnabiliter excæcari. Indubitanter ergo noueris quòd veriſſima ſua doctrina remanſit in mundo, veluti nauis tutiſſima vt animas cruata procelloſo mari, & incolumes adducat ad fœliciſſimum portum æternæ ſalutis. Itaque priùs humano generi feci pontem, ex vnigenito filio meo, actualiter in mundo conuerſando cum hominibus. Poſtea verò ab actuali conuerſatione ſublato, remanſit in mundo loco pontis via ſaluberrimæ doctoinæ ſuæ quæ doctrina condita eſt à potentia mea, cum ſapientia dilectiſſimi filij mei, & cum clementia ſancti ſpiritus. Potentia dat virtutem omnibus imitantibus

huiuſ-

huiuſmodi viam: ſapientia verò eis lumen infundit ad agnoſcendam veritatem & amor infunditur à Spiritu ſancto, qui penitùs aufert ab anima proprium amorem ſenſitiuum, & ſolummodo remanet amor virtutū. Quolibet ergo modo ſiue per actualem in mundo conuerſationem, vel per doctrinam, veraciter ipſe via, veritas eſt & vita. Quæ via eſt ille pons qui vos adducit ad cæleſtem altitudinem. Et hoc exprimere voluit vbi dixit. Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem, & veniam ad vos &c. Quaſi dicat, pater meus me miſit ad vos, faciendo me pōtem veſtrum, vt incolumes euadatis à flumine damnationis, & peruenire poſſitis ad viam æternæ ſalutis: poſtea ſubiecit. Non vos relinquam orphanos, vado, & ueniam ad vos, & mittam vobis paraclitum. Quaſi dicat: ego vadam ad patrem, & ad vos veniam quia videlicet Spiritus ſanctus aduenien, qui paracletus dicitur, apertè vobis oſtendit me viam veritatis in vobis confirmādo verba ſalutaria quæ docui vos. Promittendo ſe rediturum, verùm dixit quia ſpiritus ſanctùs venit cum potentia mea, cum ſapientia filij mei, & cum clementia eiuſdem ſpiritus ſancti: vides ergo quia redijt, non quidē actualiter, ſed ex virtute: ſicut iam dixi, fortificando & illuminando viam doctrinæ ſuæ. Quæ via deficere non poteſt, neq; violenter auferri volentibus eam imitari, & per eam ambulare: quia ſtabilis atq; firmiſſima procedens à me qui ſum immobilis & non mutor: viriliter ergo debetis per iſtam uiam ita ſaluberrimam ambulare ſine quacunq; tenebroſa nube, ſed cum lumine fidei,

quæ

quæ pro principali ueſtimento uobis exhibetur in ſancto Baptiſmo. Nunc oſtendi tibi plenè declarando pontem actualem, atq; doctrinam quæ unum eſt cum ipſo ponte. Et ignorantibus oſtendi, quis uiam huius patefecit in ueritate, & ubi morantur illi qui docent eū, narrando quòd erāt Apoſtoli Euangeliſtæ, Martyres, Confeſſores atque ſancti Doctores in corpore myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ, ueluti lucerna ſplendida collocati. Item oſtenditur quomodo ueniens ad me redijt ad uos non corporali præſentia ſed uirtute ſpirituali, uidelicet adueniente ſpiritu ſancto ſuper Apoſtolos, & alios fideles Diſcipulos. Quia cum pœnitentia ſuæ maieſtatis non ueniet ultra, niſi cum in ultima die iudicij ueniet in maieſtate ſua & diuina poteſtate mea iudicaturus orbem, ut electos in anima cum ſuo corpore pro laboribus eorum æterna mercede remuneret. Reprobos uerò qui malè uiuere decreuērunt in mundo, cum Dæmonibus in inferno perpetuo cruciandos igne condemnet. Nunc ego ueritas æterna tibi monſtrare uolo, quod antea tibi promiſi, uidelicet illos qui ambulant imperfectè & eos qui uadunt perfectè: alios etiam qui ſunt imperfectione magna & qualiter ambulant: Inſuper & iniquos homines qui cum ſuis iniquitatibus eligunt uoluntariè ſemetipſos in flumine ſuffocare, inde peruenientes ad æterna ſupplicia. Exhortor ergo uos electos atq; filios meos chariſſimos, ut uadatis ad pontem, quoniam illa eſt uia ueritatis atq; ſalutis, & non infra per fluuium, quoniam illa eſt uia perditionis & mendacij pquā ambulant iniqui peccatores, de quibus in præſenti narrare tibi diſpono. Iſti ſunt illi peccatores pro quibus

bus ego vos affectuoſè deprecor, vt aſsiduè me rogetis pro ſalute quorum à vobis exigo ſudores atque lachrymoſas orationes, vt eis impendam, vt opto, miſericordiam gratioſam.

QVALITER ANIMA STVPEfacta miſericordia Dei, multa dona narrat humano generi conceſſa.

CAPVT. XXX.

TVnc hæc anima diuina charitate multùm inflamata, quaſi tanquam ebria, non videbatur quòd ſemetipſam in ſe continere poſſet, ergo ſtabat in conſpectu Dei velut attonita & abſorpta, dicens. O diuina miſericordia, & æterna bonitas, quæ diſsimulas ita libenter, & operis iniquitates creaturarum tuarum, ego non admiror ſi de conuerſis peccatoribus ad te redeuntibus dicis. Ego non ero memor iniuriarum quas mihi feciſtis. O ſtupenda miſericordia, penitùs inæſtimabilis, ego non valde ſum admirata, quòd ita dicas illis qui peccata declinant & abhorrent, ad te redeuntes humili corde, quando loquens ita de illis, qui ſic erecta ceruice, te ſuis iniquitatibus quotidiè perſequuntur. Ego, dicis, volo quòd me pro illis affectuoſè rogetis, vt ego eis miſericordiam impendam, vt opto. O miſericordia incompræhenſibilis, quæ de ſinu æternæ Deitatis egreditur: quæ potentia tua gubernas vniuerſum orbem: in tua miſericordia creati ſumus: in tua miſericordia recreati ſumus: in ſanguine Ieſu Chriſti Domini, noſtri tua miſericordia

tordia nos in quolibet opere bono gratioſè conſeruat. Miſericordia tua fecit et ordinauit vnigenitũ inire duellũ in ligno ſanctiſsimæ crucis cũ morte. Tunc vita pugnauit acerrimè cũ morte, & econuerſo mors aduerſus vitã. Sed vita glorioſè triumphauit de morte peccatorum noſtrorũ, & ibi mors huiuſmodi perempta fuit in tali cõflictu. Mors verò culpa noſtræ corporalem vitam abſtulit agno totaliter immaculato. Quis ergo fuit in tali bello victus? proculdubio mors. Et hoc vnum proceſſit? Solùm à miſericordia tua. Miſericordia tua vitam veram exhibet, atq; lumen valde ſalutiferum, quo mediante, clementia tua cognoſcitur in omnibus creaturis, videlicet in iuſtis & in peccatoribus. In cœli ſublimitate anima tua reſplendet, videlicet in ſanctis tuis. Si conſidero terram, miſericordia tua ſuperabundat. Etiam in tenebris infernalibus habitat ipſa miſericordia tua, non inferendo reprobis tantam pœnam quantam habere meruerunt. Cum ineffabili miſericordia tua mitigas gratioſè rigorem diuinæ iuſtitiæ. Ex pura miſericordia loti ſumus à ſorde peccatorum in ſanguine filij tui pretioſo. Quòd etiam ex ipſa miſericordia voluiſti cum tuis creaturis licet immundis conuerſari ſuper terram. Tuus etiam vnigenitus infatuatus ex ingenti dilectione videtur. Non ei enim ſuffecit incarnari, ſed etiam ex immenſo deſiderio noſtræ ſalutis vtiliſsima morte mori decreuit. Nec etiam hoc apparuit ei ſuffeciſſe, ſed etiam deſcendit in limbum, inde liberando patres antiquos qui tibi virtute ſeruierunt, vt in eis tua veritas miſericorditer impleretur:

eò quod

eò quod æterna tua bonitas æternum præmiū ualde gratioſè promittit omnibus tibi ſeruientibus in ueritate. Ideo deſcendit in limbum ut eòs à tenebroſo carcere liberaret, & eis fructum laborum ſuorum abundantiſsimè largiretur. Iterum attentè conſidero, quia miſericordia tua coêgit humano generi etiam ampliora concedere nobis in cibum exhibendo corpus, & in potum ſanguinem unigeniti filij tui, ne nos infirmi deficeremus in uia: & ueluti immemores & ignorantes, obliuioni daremus excellentiam beneficiorum tuorum. Ideo ſingulis diebus in altari nobis offertur, atque præſentatur iugiter in corpore myſtico ſanctæ matris Eccleſiæ. Quis obſecro te coêgit & induxit ad hoc? ſolummodo tua benigna miſericordia. O miſericordia ineffabilis, in tui conſideratione deficio, & in ea cor meum omnino ſuffocatur, undecunque namque me uerto non inuenio niſi miſericordiam. O pater æterne digneris obſecro gratioſè parcere paupertati, & ignorantiæ meæ, quia loqui præſumpſi coram altiſsima maieſtate tua. Sed amor huius ampliſsimæ tuæ miſericordiæ me reddat excuſatam in conſpectu tuæ paternæ benignitatis.

DE INDIGNITATE TRANſeuntium per flumen, videlicet ſub ponte, quorum anima vocatur à Domino mortis arbor, quæ radices habet in quatuor vitijs.

CAPVT.

CAPVT. XXXI.

POſtquam hæc anima cor ſuum aliquantulùm in Dei miſericordia, verbo ſuo dilatauerat, humiliter expectabat atq; petebat, vt promiſſo ſibi facta effectualiter impleretur. Vnde reſumendo verba ſua, Dominus ait. Chariſſima filia, quædam ante me narrâſti de miſericordia mea, quia guſtandam illam exhibui tibi, præſertim in verbo, quod ego tibi protuli, dicens: iſti ſunt illi peccatores, pro quibus vos affectuosè deprecor, vt me quotidiè rogetis. Sed indubitãtiſſimè noueris quòd abſq; comparatione valde maior eſt erga vos miſericordia mea, quàm tu videre poſſis, quia videre tuum eſt imperfectum atq; finitum, ſed miſericordia mea perfecta eſt & infinita. Itaq; de finito ad infinitum nulla proportio ſiue comparatio datur. Volui quòd miſericordiam iſtam aliquãtulùm intelligendo guſtares, vnà cum hominis dignitate, de qua tibi dixi, vt apertiùs agnoſcas, & intelligas iniquorum hominum indignitatem atq; crudelitatem, qui potiùs ire volũt infra per flumen æternæ damnationis, quàm per pontem exoptandæ ſalutis. Igitur aperi tui oculum intellectus, & videbis iſtos, qui voluntariè ſuffocant in flumine ſemetipſos, & conſidera diligenter, in quantam indignitatem atq; miſeriam ex culpa propria deuenerunt. Ipſi principaliter effecti ſunt imbecilles & ægroti. Et hoc accidit eis ex quo mortale peccatum in corde conceperunt & poſtmodum opere perficiunt, vnde gratiæ vitam amittunt. Et accidit eis veluti

homini mortuo qui nullo membro ſuo poteſt vti, neq; per ſemetpiſum aliquo modo mouere, niſi quantum ab aliquo mouetur. Sic iſti qui ſunt in flumine ſubmerſi, mortui ſunt ad gratiam, atq; ſuffocati ſub aquis amoris inordinati, deliciarum vitæ præſentis. Et quia mortui ſunt, vt dixi, memoria minimè retinet in ſe beneficia mea quæ ſibi gratioſè conceßi. Oculus intellectus videre nequit veritatem meam, ex eo quia ſenſus eius omnino mortuus eſt, videlicet intellectus, nihil vltra ſibi propoſuit in obiectum, niſi ſecũ amore proprio ſuæ ſenſualitatis. Et ideo etiam voluntas mortua permanet, quoad voluntatem meam, quia non amat, niſi quæ mortua ſunt. Extinctis igitur his tribus animæ potentiis, omnes operationes eius actuales & mentales proculdubio mortuæ ſunt quoad gratiam; nec vllo modo ſe tueri poteſt homo per ſemetipſum ab inimicis eius, quia niſi per me fuerit gratioſè adiutus adiuuare ſe nullatenus valet. Verum eſt nihilominus, quòd dum iſte mortuus eſt in tempore viuens in corpore mortali, qui ſolummodo liberum habet arbitrium, à me ſubſidium in veritate poſtulando ipſum adiuuare promitto, ſed vt dixi, per ſemetipſum adiuuare ſe non valeret. Ipſe factus eſt ſibimetipſi moleſtus & importabilis. Et exoptans iſti mundo cum ambitione dominari, ſubiugatur à Domino peccati, quòd omnino nihil eſt. Peccatum eſt ſolummodo priuatio gratiæ. Sicut ergo cæcitas nihil eſt niſi priuatio luminis, ita peccatum omnino nihil eſt. Et ipſi ſunt effecti ſerui atq; mancipia peccati.

cati. Ego creaueram eos, veluti arbores amoris cum vita gratiæ quã obtinuerunt in ſancto Baptiſmo, & ipſi ſemetipſos fecerunt arbores æternæ mortis, quia mortui ſunt ad gratiam. Nunquid agnoſcis vbi radices iſta deteſtabilis arbor habet? In elatione ſuperbiæ, quam amor proprius valde periculoſè fouet atq; pernitioſè nutrit. Medullum eius eſt impatientia: ſed filius eſt indiſcretio. Iſta ſunt quatuor vitia principalia, quæ penitùs occidunt animam eius, de quo tibi dixi, ꝙ erat arbor mortis, qui in ſe vitam gratiæ non habuit. Inſuper infra dictam arborem, oritur atque nutritur vnus vermis conſcientiæ, qui dum homo viuit in peccato mortali cœcatus eſt ab amore proprio, & ideo modicùm illum aduertit. Fructus autem huius arboris omnino mortiferi ſunt, ex eo quia venenatum humorem attraxerunt à radice ſuperbiæ. Vnde miſerabilis anima repletur ingratitudine: poſtmodum inde ſuccedunt omnia mala ſibi. Quia ſi grata fuiſſet, agnoſceret innumerabilia beneficia mea & ita me diligeret. Agnoſceret etiam ſemetipſam atq; fragilitatem propriam, & in hoc humiliaretur: Et in dilectione mea conſiſteret. Sed ipſa velut ab ignorantia cœcata conatur applicare ſe fluuio decurrenti: nec aduertit quòd aqua feſtinat in ſuo curſu, nec eum expectat.

TRACTATVS

QVOMODO FRVCTVS HVIVS arboris varij ſunt, veluti peccata varia ſunt.

CAPVT. XXXII.

NOueris quia tantũ varij ſunt huius arboris fructus, qui mortem inferunt, quantum exiſtunt varia genera peccatorum. Aliquos videre potes eſſe cibos animalium immundorum, prout illi ſunt qui ſtare delectantur in fœtore luti, tanquã immundiſſimæ ſues quæ ſe circumuoluunt in luto carnalitatis, animam cum corpore damnabiliter inquinantes. O anima miſerabilis & ignominoſa, vbi nobilitatem atq; dignitatem, qua te gratioſè dotaui, colocaſti? Creaueram.n. te ſororem Angelorum: ex tua verò miſeria nunc ès velut animal immundum, ita fœdidum & abominabile, q; non ſolùm ego, qui ſum excellentiſſima puritas, verùm etiam aduerſarij dæmones, quorum te feciſti ſeruam, hanc immunditiam abhorrent. Nulla tranſgreſſio eſt in conſpectu meo ita deteſtabilis & quæ tantũ auferat homini lumen intellectus, vt eſt iſta, præcipuè contra naturam. Hoc etiam infideles Philoſophi cognouerunt, non ex lumine gratiæ quo carebant, immo ſolùm ex inſtinctu naturali, & ne ſuus intellectus obfuſcaretur. Ab hac immunditia continenter viuebant, vbi in ſuo ſtudio magis eſſent illuminati. Inſuper à ſe diuitias eiiciebant, vt illarum excogitatio ſollicita corda ſua non occuparet, & à ſtudio retardaret. Non agit ita Chri-

Chriſtianus ingratus, & ignorans qui voluntariè gratiam amiſit ex culpa ſua.

QVOMODO FRVCTVS ALIquorum eſt auaritia: & de malis quæ procedunt ab illa. CAPVT. XXXIII.

FRuctus aliorum quorundam eſt ex terra. Iſti ſunt auari, cupidi, & vſurarij. Tales directè faciunt, veluti talpa quæ quotidie de terra nutritur vſq; ad mortem: poſtea verò nullum omnino remedium inuenire poſſunt. Iſti cum auaritia ſua meam gratioſam liberalitatem, & temporis diuitias contemnunt, quia tempus à me liberè cōceſſum proximo ſuo cum ſua cupiditate vendunt. Ita faciunt vſurarij, veluti crudeliſſimi, ſuos proximos iuxta ſe conantur expoliare, ex eo ꝙ obliuioni tradiderunt opera miſericordiæ meæ. Quia ſi memores eſſent proculdubio non eſſent ita crudeles animæ propriæ, neque proximo ſuo, immo piè miſericordia virtuosè viuendo fruerentur, atq; proximo ſuo charitatiue ſubuenirēt. O quot, & quanta mala iugiter ab iſta nequitia procedunt? Oriuntur. n. homicidia, furta, rapinæ, proditiones, illicita lucra; cordis impietas & iniuſtitia contra proximum. Cum his & aliis iniquitatibus eorum, occidunt animam ſuam, facientes ipſam diuitiaurm atq; Mammonæ ſeruam: vnde vilipendunt vtilia præcepta mea. Tales nullum omnino, diligunt niſi propter vtilitatem propriam. Hoc vitium à ſu-

perbia proculdubio procedit, atq; ſuperbiam nutrit & fouet. Vnum ab altero procedit, quia ſecum habet reputationem propriam & illico peruenit in aliud vitium. Et ita de malo procedit in deterius ex deteſtibili ſuperbia quam ſemper elata reputatione ſui procedit: Hinc eitam quidam valde peſtifer ignis oritur, obſcurum ex ſe fumum vanitatis cordis, & inanis gloriæ mendosè producens. Vnde cum falſitate frequentiſſimè gloriantur in illis, à quibus alieni ſunt. Hæc eſt vna radix quam ramos aliquos in ſe continet, quorum principalis eſt propria reputatio: vnde libido dominandi proximo ſuo procedit, & in omnibus illo maior apparere deſiderat. Ideo non habet in corde ſimplicitatem, ſed cum duplicitate fictè cum omnibus ambulat: vnum verbo demonſtrando & oppoſitum corde retinendo. Ex vtilitate propria non veretur occultare veritatem, impudentiſſimè proferendo mendacium. Hinc etiam oritur inuidia quædam, parturiens vermem vnum, à quo iugiter anima ſua conſumitur, neq; permittit eum aliquo bono ſuo vel alieno læto corde gaudere. Iſti miſerrimi tot iniquitatibus inuoluti quomodo pauperi proximo ſuo ſubuenient, exhibendo ei de ſubſtantia propria, quando rapere non deſinunt aliena? Quomodo purgabunt immundam animam ab immunditia ſua: quãdo mundam animã in fæcibus immunditiæ ſubmergunt. Nam aliquando ſunt ita beſtiales, q; filiis atq; filiabus, vel aliis attinentibus in quocunq; gradu non deferunt, ſed etiam cum illis immundè

multas iniquitates operantur. Nihilominus à miſericordia mea clementer expectantur, & non iubeo terræ vt viuètes eos abſorbeat, & huiuſmodi culpas emendet. Quia non opto mortem peccatoris, immo potiùs vt conuertatur & viuat. Sed iſti miſeri, quomodo vitam corporalem in ſalutem animarum exponent, quando renuunt etiam vilem temporalem ſubſtantiam expendere? Quomodo pxoximo ſuo dilectionem affectuoſam impendent, quando proximum ipſum ex inuidia lacerant? O vitia deteſtabilia, quæ cœlum animæ viliſſimæ proſternunt. Cœlum ipsam voco, quia feceram ipſam tanquam cœlum, vbi per gratiam habitare delectabar, cœlando me infra eam, ibi manſionem eligendo per affectum amoris. Nunc autem heu tanquam adultera talis anima diſceſſit à me, creaturas amando plus quàm me, immo de ſe quem fecit idolum, & Deum: me verò perſequitur cum variis iniquitatibus eius atque multis generibus peccatorum: Hæc autem omnia facit, quia velut ingratiſſima beneficium effuſi ſanguinis Ieſu Chriſti filij mei, cum inæſtimabili charitate renuit excogitare.

QVALITER ALIQVORVM QVI ſtatum terrenæ dominationis occupant, iniuſtitiæ fructus eſt.

CAPVT XXXIIII.

A*L ij quoque ſunt, qui prætextu terrenæ dominationis, ingenti ſuperbia caput erigunt, in quo ſta-*

tu vexilum iniuſtitiæ geſtant, erga me Deum ſuum, contra proximum atq; ſemetipſos iniuſtitiam exercentes. Erga ſe nãq; procedunt iniuſtè, qui ſibimet virtutis debitum non impendunt, mihi verò ſubtrahunt honoris & gloriæ debitum, quod nomini meo iugiter offerre debent, vt obligantur, immo veluti fures auferunt à me, quod eſt propriè meum & ancillæ ſuæ ſenſualitatis attribuunt. Itaq; committunt iniuſtitiam erga me pariter & erga ſe, tanquam ignorantes & excæcati ab amore proprio, non agnoſcendo me in ſemetipſis. Prout accidit illis Iudæis atq; Phariſeis, qui propter inuidiam, & amorem proprium excæcauerunt ſemetipſos, & ideo non agnouerũt veritatem, videlicet vnigenitum filium meum. Ideo debitum ſuum nullo modo reddiderunt, ignorantes vitam æternam, quæ tunc inter eos erat, vt ipſa veritas mea dixit eis. Regnum Dei eſt inter vos. Ipſi verò, quia lumine rationis carebant, quod vtiq; perdiderant voluntariè quantum in eis erat, mihi ſimiliter & ei qui mecum eſt, vnum debitum abſtulerunt videlicet honoris & gloriæ. Quare veluti cæci tàm execrabilem iniuſtitiam commiſſerunt, ipſum opprobrioſè perſequendo crudeliter vſq; ad mortem ignominioſæ crucis. Similiter etiam iſti valde culpabiliter & iniuſtè procedunt erga me, & proximum, atq; contra ſemetipſos abſq; miſericordia ſine diſcretione quacunq;.

QVOMODO PER HAEC ET ALIA plurima quis in currit in iudicium falſum.

CAPVT. XXXV.

EX hoc ergo & aliis defectibus in falſum iudicium incidunt, vt id antea tibi clariùs aperui. Ipſi quotidie ſcandalizantur in omnibus operibus meis, quæ ſunt omnia iuſta, & in veritate facta, ſolùm ex paterna charitate procedentia. Etiam hoc iniquo iudicio, cum veneno ſuperbiæ pariter & inuidiæ calumnioſè redarguebantur ab impiis opera ſancta dilectiſſimi filij mei. Falſiſſimè namq; dicebant, hic in virtute Belzebub eiicit dæmonia. Sic huiuſmodi peruerſi & iniqui, fundati ſuper amore proprio, immunditia polluti, ſuperbia inflati, auaritia & inuidia putridi atq; corrupti, ſibimetipſis per impatientiam importabiles, per cæcitatem & ignorantiam indiſcreti, cum aliis iniquitatibus, quas ipſi frequentiſſimè committunt, quotidie ſcandalizantur in me pariter & in ſeruis meis mendoſè iudicando, quod ipſi fictè virtuoſè viuāt. Et hoc accidit eis, eò quia cor eorū omnino putridum eſt, vnde procedit quòd etiam iuſtus eſt infectus & alteratus. Quare dulcia iudicant velut amara, & econuerſo. Similiter opera bona iudicant eſſe mala, & econtrario, propter vitam eorum inordinatam, opera mala iudicant eſſe bona. O cæcitas humana, cur attendere negligis dignitatem tuam? Ab altitudine namq; digniſſima deſcendiſti, propter ini-

quitatem tuam, ad ſtatum infimum atq; deteſtabilē. Dominum ego te feceram honorabilem, tu verò te feciſti ſeruum valde miſerabilem: eligendo ſuper te Dominium vilioris Domini, quod eligere potueris, videlicet peccati cuius te feciſti ſeruum. Et ita factus es talis, qualis eſt illa res cui ſeruis. Et quia peccatum nihil eſt, ergo tu nihil es effectus, quantum ad gratiam: Abſtuliſti tibi vitam, & elegiſti mortem. Huiuſmodi dominium & vitam habuiſtis omnes ab vnigenito filio meo, de quo ſalutiferum & glorioſum pontem ego feci vniuerſo generi humano. Cùm.n. eſſetis ſerui diaboli, vos omnino liberauit ab ipſa ſeruitute ſua: Ipſum vnigenitum meum ordinaui fieri ſeruum, vt vos à ſeruitute peſſima liberaret. Impoſui ſibi obedientiam vt annihilaretur inobedientia perpetrata per Adam. Semetipſum humilitauit vſq; ad mortem opprobrioſæ crucis, vt omnino ſuperbia cõfunderetur. Omnia vitia ſua ſacratiſſima morte deſtruxit, ita quòd nullus in veritate dicere poteſt, ꝑ aliquo delicto non eſſe ſatiſfactum, neq; id eſſe impunitum, immo omnia fuerunt fabricata, punita & annihilata ſuper corpore ſuo, de quo tibi dixi, quia feceram ego quaſi vnam incudem, vbi talia fabricarentur. Hominibus omnia remedia prouidi, vt ſi voluerint, euadere poßint valdè faciliter æternam damnationem. Ipſi verò ſanguinem iſtum ita pretioſum vilipendunt, ipſum conculcando pedibus affectus inordinati. Et hoc eſt iniuſtitia & iudicium iniquum & falſum, de quibus arguuntur: & etiam in die iudicij

dicij mundus arguetur. Vt exprimere videbatur veritas mea, dicens: Paracletus autem quem mittet pater in nomine meo, ille mundum arguet de iniuſtitia, & de falſo iudicio. Tunc verò reprahenſus extitit, quando Spiritum ſanctum ſuper Apoſtolos effudi.

DE TRIBVS REPRAEHENSIONIBUS, quarum vna eſt continua.

CAPVT. XXXVI.

Noueris chariſſima filia, tres eſſe reprahenſiones, quarum vna fuit in aduentu ſancti Spiritus in diſcipulos, vt iam dixi. Qui fortificati à potentia mea, & illuminati à ſapientia dilectiſſimi filij mei, plenè fuerunt edocti, cum eiuſdem ſancti ſpiritus plenitudine, qui eſt vnum mecum, & cum filio meo, & per os illorum apertiſſimè mũdus eſt argutus, cum doctrina mea veritatis. Ipſi cæteriq; ſequaces eorũ agnoſcentes veritatẽ quotidie mundũ arguunt. Hæc eſt illa quotidiana reprahenſio qua mundũ arguo: videlicet cũ efficacia ſacræ paginæ ſeruis meis illum arguentibus. Nam à Spiritu ſancto linguæ eorum eruditæ fiunt atq; diſertæ ad annunciandũ veritatem meam: prout aduerſarius inimicus inſtruit, atq; diſertas facit in malũ ſeruorũ ſuorũ linguas: videlicet eorum qui per fluuium vadunt ad mortem. Hanc ergo reprahenſionem dulcem & acceptabilẽ ordinaui mundo, cũ affectu magnæ paternæ dilectionis in animarũ ſalutem. Itaq; nẽo poteſt excuſare, dicens:

Ego

Ego non habui docentem, vel arguentem, quia iã eis oſtendi veritatem apertè cognoſcentibus virtutem & vitium, atq; demonſtraui præmium virtutum, & execrabile detrimentum vitiorum, vt habeant in ſe timorem & amorem ſanctum, cum diſplicentia vitiorum & amore virtutum. Inſuper iſta ſaluberrima veritas non extitit oſtenſa vobis per angelum aliquem ſolummodo, ne quis inaniter excuſare ſe velit, dicens. Angelus equidem impaſſibilis eſt atq; beatus, & offendere non valet, neq; ſentire poteſt moleſtias huius corporis, prout & nos. Hoc ablatum eſt, nec aliquis opponere poteſt, quia monſtrata fuit ab vnigenito filio meo, qui verè fuit indutus veſtra mortali carne. Sed etiam vtriusq; ſexus innumeri, qui virtuosè ſicuti ſunt huiuſmodi veritatem: qui, ſiue quales vel vnde fuerunt? Proculdubio creaturæ mortales & paſſibiles, vt eſtis vos, cum impugnatione carnis aduerſus ſpiritum, à qua non fuit exceptus etiam Apoſtolus præcipuus & electus præco meus, & alij plurimi ſancti, q; diuerſis modis impugnati fuerũt ad augmentum virtutum & coronæ. Tamen ita nati fuerunt in peccato, ſicut & vos, eodem educati cibo. Et idem Deus in præſenti tempore ſum, ſicut eram tunc. Neq; mea manus infirmatur, & infirmari non poteſt aliquo modo, quin omnia quæ volo poſſim. Itaq; ſubuenire & poſſum, ſcio, volo paterna charitate omnibus à me ſubueniri poſtulantibus. Tunc verò demonſtrat aliquis à me velle ſubueniri, quando fluuium egreditur, & vadit per pontem, viam atq; doctri-

doctrinam immitando dilectiſſimi filij mei. Et ideo nullam excuſationem habent, quoniam via demonſtratur eis, & iugiter arguuntur: vnde niſi ſe correxerint dum tempus adeſt, in ſecunda reprahenſione condemnabuntur, quæ fiet in vltima extremitate, videlicet in morte vbi iuſtitia mea clamat, dicens: Surgite mortui, venite ad iudicium: videlicet tu qui mortuus es, ad gratiã, atq; morti corporali ꝑpinquas, exurgens veni coram iudice ſummo cum iniuſtitia & falſo iudicio tuo, cum extincto lumine fidei, quod vtiq; ſuccenſum & ardens extraxeras à ſacro Baptiſmate: tu autem extinxiſti cum vento ſuperbiæ pariter & vanitate cordis. Ex his ordinaſti tibi quodammodo velum vnum: illud exponens ventis valde contrariis, tuæ ſaluti. Ventum. n. propriæ reputationis augebas & nutriebas cum velo peruerſi amoris proprij. Quare velociſſimè currebas per fluuium deliciarum, atq; mundanæ perſperitatis, voluntariè ſequendo deſideria carnis atq; tentationes diabolicas. Ipſe namq; diabolus cum velo tuæ voluntatis, inordinatè nauigare te fecit per decurrẽtem & mortiferum fluuium, & ſic vnâ ſecum ad æterna tartara meritò perueniſti.

DE SECVNDA REPRAEHENSIOne, in qua reprahenditur de falſo iudicio & iniuſtitia.

CAPVT. XXXVII.

I*Sta ſecunda reprahenſio, filia chariſſima, iam eſt* *in*

in facto: quia deuenit ad ſua mortis extremitatem vbi non valet vltra remedium inuenire. Tunc.n. vermis conſcientiæ, de quo tibi dixi, quòd erat excæcatus amore proprio, incipit apertè videre. Nam iſte in extremitate tali, clarè cognoſcit euadere non poſſe manus meas. Vnde valde rodendo, ſemetipſum arguit, attendens ex defectu ſuo ſolummodo ſe deductum ad huiuſmodi miſeriam intolerabilem. Si tamen etiam tunc anima lumẽ haberet, culpam agnoſcendo propriam, & in veritate pœniteret atq; doleret, non quippe propter pœnam quam ſe videt incurrere, ſed intuitu mei quem offendit, qui ſumma ſum & æterna bonitas, adhuc inueniret in conſpectu meo miſericordiam. Si uerò mors inuaſerit cum absq; tali lumine, vel absq; ſpe ſanguinis vnigeniti filij mei, ſed tantummodo cum verme conſcientiæ ſiue propria paſſione, dolendo magis de pœna ſua, quàm de meis offenſionibus indubitanter æterna damnatione punietur. Tunc.n. irremediabiliter à mea iuſtitia corripietur, tàm de iniuſtitia quàm de falſo iudicio ſuo. Et non ſolùm in generali, prout eſt vſus in omnibus operibus ſuis in mundo viuens impiè: ſed etiam arguetur in particulari de iniuſtitia & de iudicio falſo, quibus eſt vſus in hac extremitate ſua: videlicet iudicando falſiſſimè: ponendo & æſtimando maiorem iniquitatem ſuam ineffabili miſericordia mea. Hoc eſt illud irremiſſibile peccatum, cui non parcitur in præſenti ſeculo nec in futuro, quia deteſtabili modo contemnere decreuit inæſtimabilem miſericordiam

meam.

meam. Nam amplius ego deteſtor, & abominor hāc vltimam eius iniquitatem, quam omnia peccata ſua quæ prius in vita commiſerat. Unde noueris abſq; dubitatione, quòd illa deſperatio perfidiſſimi Iudæ diſplicuit amplius, mihi ſimul, & vnigenito filio meo, quam illa crudeliſſima proditio ſua. Itaq; tales acriter arguuntur de falſo iudicio ſuo, pro eo quod æſtimauerunt eſſe maiorem iniquitatem ſuam, quam ſit diuina miſericordia mea. Ex quo poſtea cum dæmonibus irremediabiliter æterna punitione cruciantur. Inſuper arguuntur de iniuſtitia, pro eo quia magis de ſuo detrimento dolent quam de ſuis offenſis contrà me factis. Tunc. n. iniuſtiſſimè procedunt & iudicant, non exhibendo mihi quod meum eſt, neq; ſibi quod ſuum eſt. Mihi namq; reddere debent affectuoſum amorem, & amaritudinem, atq; cordis veram contritionem, offerendo mihi propter offenſas contra me factas, & ipſi faciunt oppoſitum, exhibēdo ſibimet amorem carnalis compaſſionis, atq; dolorem amariſſimæ pœnæ quam ex culpa commiſſa præſtolantur. Igitur apertè patet eos iniuſtiſſimè iudicare. Vnde merito de vtroq; puniuntur, videlicet de falſo iudicio pariter & iniuſtitia. Et quia miſericordiam meam ita contempſerunt, exigente iuſtitia cruciandos eos ordinaui, vnâ cum ſerua crudeliſſima ſenſualitatis eorum: & impio Dæmone cuius tyrannidi ſe ſpōte ſubmiſerunt, vt ſicut inſimul offenderunt, ita puniātur & excruciētur inſimul à miniſtris meis, Dæmonibus, quos ordinauit iuſtitia mea lictores ad puniendos omnes iniquos.

TRACTATVS DE QVATVOR PRINCIPALIBVS tormentis damnatorum, quæ cætera ſubſequuntur.

CAPVT. XXXVIII.

Filia chariſſima, nulla creata lingua pœnas infœlicium iſtarum animarum enarrare ſufficit. Et prout iſta tria ſunt vitia principalia: videlicet amor proprius, vnde progreditur vana reputatio ſuæ virtutis, & inde ſubſequitur elata ſuperbia cum iuſtitia falſa, aliis impiis & immundis iniquitatibus quæ poſtea ſequũtur: ita tibi dico quòd quatuor in inferno principalia tormenta recipiunt quæ cætera ſubſequuntur. Primùm eſt, quòd ipſi benefica viſione mea ſe priuatos eſſe conſpiciunt ex culpa ſua. Et in hoc inæſtimabili pœna cruciantur, & affliguntur in tantum, quod ſi poſſibile foret, ipſi potiùs eligerent igne comburi videndo me, quàm omni cruciatu carere, non videndo me. Iſta grauiſſima pœna eis innouat aliam, videlicet quia vermis conſcientiæ rodit animã inceſſanter, attentè conſiderando ſe priuatos viſione mea pariter & angelica conuerſatione, ſolùm ex defectu ſuo quem voluntariè contra me commiſſerunt: vnde ſe fecerunt dæmonum conuerſatione dignos, & eorum horribili viſione. Quorum aſpectus omnem eis cruciatum mirabiliter augmentat atq; duplicat. Et hæc eſt pœna tertia. Vnde ſicut in uiſione mei, ſancti ſemper exultant, & cum inæſtimabili gaudio renouatur in ipſorum anima fructus laborum, quos in vita ſua perinlerunt amore mei, atq; diſplicentia ſui, con-

contemnendo ſemetipſos: ſic econuerſo damnati, miſeri & infœlices iugiter innouantur in peccatis atq; cruciatibus in aſpectu Dæmonum. Nam illorum viſione ſe cognoſcunt ampliùs & apertiùs, quia cognoſcunt quòd ſolummodo propter inordinatam propriam voluntatem, ſe dignos huiuſmodi viſibili conuerſatione fecerunt. Et ideo vermis conſcientiæ validiùs ardendo atq; cruciando rodit, nec vnquam aliquo tempore moritur ſiue rodere deſinit. Augetur etiam eis amariſſima pœna, quia Dæmones vident in propria figura, quæ tantùm eſt horribilis, quòd nullus hominum excogitare poſſet. Et benè recolis, quando ſemel eum in forma ſua tibi monſtraui quaſi per ictum oculi poſtquam ad ſenſus corporeos reſtituta fuiſti, tu potiùs eligebas ire per vnam viam igneam, vſq; ad diem iudicij duraturam, quam ampliùs eũ intueri. Nihilominus licet eum ita videris in breuiſſimo ſpatio temporis, adhuc ignorans quantum eſt horribilis. Quoniam operante diuina iuſtitia horribiliùs videtur ab anima tartaro deputata: plùs vel minùs prout exigunt infœlicium animarum exceſſus. Quartum verò tormentum eſt ignis qui iugiter ardet, conſumere tamen nullo modo poteſt. Nam anima non eſt materialis, quæ conſumi poſſit, ſed eſt incorporea, ideo non deficit in eſſe ſuo. Sed exigente diuina iuſtitia ſic ordinaui, quòd igne damnatorum animæ comburantur afflictiuè ſed nõ conſumantur: tamen inæſtimabili pœna ſemper affliguntur atq; cruciantur plùs vel minùs, vt eorum demerita requirunt, diuerſimodè iuxta diuerſitatem iniquitatũ eorum. Iſta quatuor principalia tormenta plurima

G ſubſe-

ſubſequuntur, cum intolerabili calore, & inæſtimabili frigore, atq; lamentabili dentium inaudito ſtridore. Sic igitur irremediabiliter, æterna damnatione reprobi cruciantur, qui poſt repræhenſionem eis in vita ſua factam, de falſo iudicio, & iniuſtitia, corrigere ſe noluerunt, vt iam dixi, nec etiam in ſecunda repræhenſione: videlicet in morte, ſperare voluerũt in me pariter & in ſanguine filij mei dilectiſſimi, nõ dolentes de culpa contra me commiſſa, quamuis de ſua pœna quam ſubſequi culpam agnouerunt.

DE TERTIA REPRAEHENSIONE, quæ fiet in die iudicij.

CAPVT. XXXVIIII.

NVnc verò de tertia repræhenſione quæ fiet in die iudicij dicendum eſt, vt apertè cognoſcas quantum excæcatus & ignorans homo ſe decipit, ego declarabo tibi de repræhenſione tertia: videlicet de generali & vltimo iudicio, in quo animabus infœlicibꝰ augebitur & innouabitur amariſſima pœna, propter vnionem quam cũ ſuis corporibus habebunt, cum intolerabili repræhenſione, quæ generabit eis verecundiam confuſibilem, atq; ruborem inæſtimabilem. Noueris ergo quòd in nouiſſimo die iudicij, quando veniet vnigenitus filius meus in excelſa maieſtate ſua, vt orbẽ arguat & iudicet in potentia diuina, non veniet velut pauperculus, prout eo tempore quo natus ex virgine fuit, & in ſtabulo reclinatus inter animalia, poſtea moriendo ſuper ligno crucis, vt malefactor inter duos latrones. Tunc enim

enim abſcondi potentiam meam in eo, permittendo ipſum velut hominem pœnas & opprobria tolerare. Natura tamen diuina ſeparata non erat ab humana natura, ſed ego permiſi quòd ipſe pœnas illas toleraret vt verus homo, vt ordinatè ſatisfieret iuſtitiæ diuinæ pro culpis veſtris. In hoc autem vltimo iudicio non ita veniet, immo cum potentia magna perſonaliter arguet & iudicabit vniuerſum orbem, in æquitate, ita quòd in conſpectu ſuo omnis creatura contremiſcet. Ipſe verò iuſtè retribuet vnicuiq; prout in uita ſua operando promeruit. Reprobi, miſerabiles et infœlices ex aſpectu iudicis huius, tantum timorem atq; terrorem habebũt, quòd lingua carnis exprimere non valet. Iuſti verò timorem habebunt, non quippe ſeruilem ſed filialem, cum reuerentia & inæſtimabili gaudio. Non quòd in ſe facies immutetur, immutabilis enim eſt, nam eſt vnum mecum ſecundũ naturam diuinam, ac etiam ſecundum naturã humanam, ex quo glorioſè reſurrexit à mortuis, ipſius facies eſt immutabilis: ſed oculo reprobi talis apparebit, videbit enim eum cum oculo terribili & obſcuro, prout habet in ſemetipſo. Sicut oculus infirmus de luce ſolis non videt niſi tenebras: oculus verò ſanus, videt lucem valde gratam atq; delectabilem. Hoc verò non accidit ex defectu ſiue uarietate ſolis, immo ſolùm ex defectu infirmãtis oculi. Simili modo damnati videbunt in odio & confuſione tenebroſa, non ex defectu diuinæ maieſtatis, cum qua veniet iudicaturus orbem, immo procedet ex eorum iniquitate perfida.

QVOMODO DAMNATI NON poſſunt velle bonum aliquod vel optare.

CAPVT. XL.

Tantùm eſt odium quod habent iſti miſeri damnati, quod ipſi non poſſunt velle ſiue deſiderare bonum aliquod, me quotidie blaſphemántes. Cauſa verò propter quam ipſi nequeunt bonum aliquod appetere, patens eſt, quia videlicet in morte ligatur arbitrium liberum, vnde poſtea nemo poteſt aliquod opus meritorum operari, Ergo quicunq; moritur in odio, cum graui culpa peccati mortalis, exigente diuina iuſtitia, ſemper in odio perſeuerat obſtinatus in illis iniquitatibus, in quibus eũ hora mortis inuenit, quotidie corrodendo ſemetipſum & augendo ſibi pœnam. Et præcipuè propter pœnas alicuius creaturæ de cuius damnatione fuit in cauſa: prout apertè cognoſcere potes exemplo diuitis epulonis in Euangelio nominati, qui petebat ex gratia, Lázarum ſuis fratribus in mundo dirigi, vt eis annunciaret amariſſimas pœnas eius vt illas euadere poſſent. Hoc autem ex charitate non dicebat, vel ex compaſſione fratrum, quia priuatus erat omni charitate, neque poterat optare bonum in honorem meum, vel illorum ſalutem, eò quòd ipſius vita finita fuit in odio mei pariter & virtutum: Sed ideo dicebat, quia maior atq; principalior extiterat inter eos, & eos vitioſè nutrierat in ſuis iniquitatibus. Cùm igitur ipſe cognoſceret eis exhibuiſſe materiam & occaſionem æternæ damnationis, videbat augmentum

ſuæ

ſuæ pœnæ ſi deueniſſent illuc vbi quotidie ſe rodunt cũ odio,quandocunq; vita finitur in odio.

DE GLORIA BEATORVM. CAPVT. XLI.

SIc anima iuſti creſcere quidem in virtute non valet,licet in affectu charitatis vita finita fuerit: ſed cum ea dilectione, cum qua venit ad me, ſemper amare poteſt,& cum ea menſura remetitur ei. Quotidie me cupiens habere, iugiter habendo me poſſidet. atq; fruitur. Ipſius ergo deſiderium nunquam eſt vacuum,immo continuò plenum: quia dum auidè fameſcit abundantiſſimè ſaturatur: ſaturata verò fameſcit: procul tamen eſt à ſaturitate faſtidium, & omnis anxietas eſt à fame remota. Semper verò gaudet in æterna mei viſione, participando in ſe bonum illud ineffabile quod eſt in me. Quilibet habet in ſemetipſo iuxta menſuram eius, hoc eſt quod cum ea menſura charitatis, cum qua venit ad me, cum eadem ei remetitur, eò quòd vniti fuerunt in charitate mea periter & proximi ſui. Vnde quotidie gaudent omnes, & exultant in me. Quilibet eſt in ſe particeps cuiuſcunque gaudij proximi ſui, cum affectu ſynceriſſimæ charitatis, vltra bonum vniuerſale, quo generaliter omnes exultant. Etiam cum angelica natura,beatorum animæ ſingulare feſtum iugiter habẽt,præcipuè cum angelis illis cum quibus iuxta merita ſua collocatæ ſunt, ſecundum varias virtutes quas in mundo principaliter habuerunt. Et licet omnes vinculo perfectæ charitatis indiſſolubiliter vniti ſint, habent nihi-

lominus iucundã atq; familiarem participationem, cum quodã ſingulari gaudio, cũ his quos amore ſingulari dilexerunt in mundo: & amore ſuo ſancto creſcebant in gratia, ſemper augmentando virtutem: & vnus erat occaſio ſalutis alterius: vnde nomini meo reſultabat honorifica laus & gloria. Itaq; poſtmodũ in vita durabili ſanctus amor eorum non eſt imminutus, immo cum abundantia maiori fœliciùs inter ſe participant, vltra gaudium atq; bonum vniuerſale cæteris à bonitate mea conceſſum. Nec tamen exiſtimes quòd illud gaudium particulare, de quo dixi, ſolùm ipſi poßideant, immo participatur ab omnibus electis, atq; ciuibus ſupernæ ciuitatis et etiam ab omnibus angelis. Cùm enim anima ſancta peruenit ad vitam æternam, omnes beati participant illius animæ fœlici beatitudine, ſimiliter & ipſa participat omnium fœlici bono. Non tamen intelligas quòd illorum vaſa vel illius animæ creſcere poßint vltra: ſiue quòd egeant ampliùs impleri, quia plena ſunt & ampliari non valent: ſed habent vnã iucundam exultationẽ, quæ recentatur & renouatur in eis cũ gaudioſo iubilo, ex agnitione fœlicitatis illius animæ. Nam attentè conſiderant ipſam à cõuerſione terrena ſublatam, à miſericordia mea cũ plenitudine gratiæ. Sic igitur exultant in me propter illius animæ bonum, quòd à mea benignitate recepit. Et econuerſo ſimiliter anima lætatur & exultat in me, videns atq; deguſtans pulchritudinem atq; dulcedinẽ, æternæ meæ charitatis, in animabus atq; ſpiritibus angelicis. Quorũ affectuoſa deſideria corã maieſtate mea, quotidie clamant pro ſalute totius orbis: pro eo, quòd eorum vita finita

nita fuit in charitate proximi, quã proculdubio non amiſerunt, immo cum illa tranſierunt per ianuam vnigeniti filij mei, vt infra tibi pandam. Itaq; potes apertè cernere, quòd cum eodẽ gradu ſiue nexu dilectionis, in quo finiuit illorum vita, permanent in æternum. Ipſi ſunt omnes ita voluntati meæ conformes, quòd optare vel velle nequeunt, niſi quod ego volo, quoniam ipſorum arbitriũ eſt ita ligatum vinculo charitatis, quòd hominis uita deficiente in ſtatu gratiæ non poteſt vltra peccare. Et in tã tum voluntas eius eſt voluntati meæ conformis & vnita, quòd quamuis in inferno parentes vnigenitũ ſuum aſpiciant, ipſi nulla compaſſione mouentur, immo valde contentantur illum videre puniri ſiue cruciari tanquam inimicum meum. Et à me nunquam in aliquo diſcrepãtes, habent eorum deſideria plena, deſideria beatorum appetunt in vobis viatoribus atq; peregrinis, qui quotidie curritis ad mortis terminum, videre meum honorem & in honoris mei deſiderio ſalutem veſtram affectuosè peroptant, & ideo quotidie maieſtatem meam pro vobis exorant. Hoc autem ipſorum deſiderium ex parte mea ſemper impletur, inquantum vos ignorantes & ingrati miſericordiam meam acceptare velletis, & ei cum veſtris iniquitatibus non obuiaretis. Beati quoque deſiderant habere dotem corporum ſuorum, ſed huiuſmodi deſiderium eos nullatenus affligit, quamuis ipſa corpora non habeant, immo gaudent & exultant in me, quia certiſsimè ſciunt huiuſmodi deſiderium ad implendum. Et non affliguntur interim, quoniam beatitudo eis non deficit: vnde nullã omnino pœnam inde recipiunt. Neq;

tamen exiſtimare debes, quòd poſt reſurrectionem glorificatio corporis ampliorem beatitudinem afferat animæ, quia ſi hoc eſſet, vtiq; ſequeretur quòd beati donec haberent corpora, ſuam beatitudinem haberent imperfectam, quod eſſe nullo modo poteſt, nam eis nulla perfectio deficit. Itaq; corpus non afferet, vel augebit animæ beatitudinem, immo corpori dabit anima beatitudinem ex abundantia ſua cum in vltimo die iudicij veſtietur indumento propriæ carnis, quam habuit in mundo viuens. Sicut enim anima creata eſt immortalis, in me ſtabilita: ſic in vnione tali corpus efficietur immortale, perditaq́; ſua corruptibili grauedine, tenue ſine corruptione fiet atq; leue. Vnde corpus glorificatum, per impenetrabilem murũ trãſire poteſt, nec vnquã offenditur ab aqua vel igne: nõ quippe uirtute propria ſed animæ virtutẽ, quã ei gratioſè conceſſi ex ineffabili dilectione mea; cum qua illam ad imaginem & ſimilitudinem meam creaui. Oculus intellectus tui videre non ſufficit, nec auris audire, neq; lingua narrare, neq; cor excogitare quanta beatitudo ſit electorum. O quale gaudium eſt videre, contemplari, & frui me qui ſum æternum atq; ſummum bonum. O quantam iucunditatem habebunt vnà cum corpore glorificato, qua tamen vſque ad diem iudicij carendo, non habent inde pœnam aliquam, quoniam anima beatitudine perfecta repleta eſt: quam vtiq; beatitudinem etiam corpori poſtea participabit, vt iam dictum eſt. Nunc volo tibi dicere, breue quid aperiẽdo ſuper ineffabili gaudio, quod habebit corpus beatorum in humanitate glorificata dilectiſſimi filij mei, quæ certitudinem vobis impendit.

pendit veſtræ futuræ reſurrectionis. Vnde iugiter exultant in aſpectu ſacratiſsimorum vulnerum eius, quorum cicatrices in corpore ſancto ſuo recentes apparent, & ita conſeruantur, quæ quotidie pro vobis in conſpectu meæ diuinæ maieſtatis miſericordiam acclamant & inſtantiſsimè poſtulant. Omnes vnâ cum eo ineffabiliter exultabunt, & omnimodam conformitatem habebũt. Oculus cum oculo, manus cum manu, atq; totum corpus cum ipſius filij mei corpore. Commorantes in me ſtabitis in illo, quoniam vnum eſt mecum. Oculus tamen veſtri corporis in humanitate dilectiſsimi filij mei delectabitur. Et accidit hoc pro eo, quod ipſorum vita finita eſt in dilectione meæ charitatis: & ideo durabit in æternum. Non quòd ipſi poſsint vltra bonum aliquod operari meritorum, quia ſolummodò dum in mundo viuitur, meritum acquiritur ſiue peccatur, vt voluntati cuiuſcunq; placet cum arbitrio libero. Sed in eo beatorum animæ gaudent bono, quod ex operibus eorum factis in mundo ſecum attulerunt. Iſti non expectant cum timore ſeruili diuinum iudicium, ſed cum alacri gaudio. Neq; dilectiſsimi filij mei facies terribilis apparebit, vel odio plena, quoniam ipſorum vita finita eſt in dilectione mea, & in beneuolentia proximi. Itaq; certum eſt quòd mutatio faciei non erit in eo, quoniam veniet in maieſtate mea, iudicaturus orbem vniuerſum: ſed in his qui iudicabuntur ab eo. Quia damnatis apparebit cum odio & iuſtitia: ſaluatis verò cum miſericordia & amore.

TRACTATVS QVOMODO POST IVDICIVM generale damnatis augebitur pœna.

CAPVT. XLII.

ALiqua tibi narraui de dignitate iuſtorum, vt amplius agnoſcas miſeriam impiorum atq; damnatorum. Hæc eſt enim alia pœna reprobis, videre beatitudinem iuſtorum, quæ quidem viſio generat eis augmentum pœnarum: & iuſtis & electis meis viſio damnatorum eſt in augmentum exultationis, & immenſi gaudij, meæ bonitatis intuitu, quia contraria iuxta ſe poſita magis luceſcunt: vt apertè videtur in albo & nigro, in tenebris & luce. Pœna erit igitur eis aſpectus electorum, & cum amariſſima pœna diem vltimi iudicij præſtolantur, eò quòd apertè cognoſcunt pœnarũ ſuarum futurum augmentum. Et ita firmiter erit: Quoniam in illa terribili voce, ſurgite mortui, venite ad iudicium, anima reuertetur ad proprium corpus. In iuſtis quidem erit glorificatum: in reprobis autem erit æternaliter in inferno cruciatum: & intolerabilem verecundiam & improperium habebunt in conſpectu tremendi iudicis & omnium beatorum. Vermis verò conſcientiæ crudeliter arboris interiora corrodet, uidelicet animam, ac etiam exteriorem corticem: videlicet corpus. Audent improperium effuſi ſanguinis pretioſi pro ſua redemptione perſoluti, & opera meæ miſericordiæ quæ ipſis vnigenito meo mediante feci, tàm temporalia quàm ſpiritualia. Et id quod obligabantur in proximo

ximo facere neque fecerunt, vt in Euangelio continetur. Etiam valdè terribiliter arguentur de crudelitate quam ergo proximum exercuerunt, cum ego magnam eis miſericordiam impenderim. Item de ſuperbia cordis eorum: amore proprio & immundicia pariter & auaritia. In morte ſua ſolùm eorum anima repræhenſa fuit: in iudicio verò generali ſimul anima cum corpore redarguetur, quia corpus aſſociauit animam, & ipſo mediante fecit anima bonum vel malum, ſicut voluntati propriæ placuit: Omnis operatio bona ſiue mala, mediante corpore, perpetratur. Et ideo, chariſſima filia, valdè congruè remunerantur electi mei gloria, & infinito bono cum corpore glorificato, ſimul & anima prout inſimul amore mei laborauerunt. Et ita reddetur iniquis æterna pœna: vt in anima crucientur vnâ cum corpore, quo mediante, peccata perpetrauerunt. Ipſis ergo renouabitur amariſſima pœna, reaſſumpto corpore in aſpectu dilectiſſimi filij. Miſera quoque ſenſualitas eorum cum immundicia ſua confuſibiliter arguetur, attendendo naturam humanam in Ieſu Chriſti corpore, diuinæ naturæ conformatam & vnitam in puritate maxima, ſuper chorus omnium Angelorum exaltatam. Et iniqui ſe vident ex eorum ſolummodo defectu in profundo tartari ſic immerſos. Immenſam verò Dei miſericordiam conſiderant in electis & iuſtis abundantiſſimè ſuperfluere qui recipiunt agni ſanguinis effuſi fructum, & apertiſſimè vidēt pœnas omnes, quas illius amore portauerunt, in corpore glorificato ſtare velut ornamentū, vel auri friſium in panno ſeu veſti

mento non quidem virtute corporis, immo ſolùm ex animæ plenitudine, quæ corpori fructum laborum ſuorum repræſentat, quoniam eam aſſociauit in operibus virtuoſis. Itaq; fructus huiusmodi laborum ab extra demonſtratur, vt in ſpeculo facies hominis apparet modo prædicto. Dum igitur attendunt iſti miſeri tenebroſi, tàm excellentem dignitatem qua priuati ſunt ipſi propter iniquitates eorum augetur eis amariſſima pœna & intoleranda confuſio, quoniam in corporibus eorum apertè ſigna demonſtrantur iniquitatum ſuarum, quas in ſeculo commiſerunt. Vnde quotidie cruciantur. In illo namque terribili verbo quod audient, item maledicti in ignem æternum, ibit anima cum corpore ſimul ad conuerſationem atque ſocietatem Dæmonum abſque remedio cuiuſcunque ſpei, & ſic circumuoluti cum omni putredine totius orbis, vnuſquiſque per ſe diuerſimodè, ſecundum varias iniquitates eorum. Auarus enim inuoluetur in auaritiæ putredine quam inordinatè dilexit, & igni comburetur vnâ cum vana mũdi ſubſtantia. Crudelis verò cum tua in crudelitate: & immundus cum immunditia putridæ conſcientiæ ſuæ valde fœdantis. Iniuſtus cum impijſſima iniuſtitia ſua: inuidus cum inuidia: qui proximum oderunt cum odio ſuo. Qui ſemetipſos amore proprio & inordinato dilexerunt, vnde proceſſerunt alia mala, quoniam eſt velut origo atq; principium aliarum iniquitatum, elata ſuperbia ſociante, perpetuo cruciabuntur igne cum atrociſſima pœna. Itaq; omnes in gradu ſuo punientur indubitanter, in anima ſimul & in corpore. Sic ergo miſeri

ſeri peccatores ambulantes per inferiorem viam fluminis, qui noluerunt de ſuis iniquitatibus in veritate pœnitere, neque miſericordiam meam acceptare, quam ego libenter eis impendiſſem, perueniunt ad mendaciorum ianuam, eò quòd imitati ſunt Diaboli doctrinam, qui eſt pater omnis iniquitatis atque mendacij. Vnde per eum tanquam per ianuam ſuam omnes iniqui tranſeunt, per quam tranſeuntes ad æterna ſupplicia perducuntur, ſicut iam dixi. Sic econuerſo filij & electi mei, per ſuperiorem viam, videlicet per pontem, ambulantes imitati ſunt viam veritatis, ideo veritas eſt ipſorum vera ianua. Et idcirco veritas ipſa mea dixit: Nemo poteſt venire ad patrem niſi per me. Ipſe quidem eſt via & ianua, per quam ambulare atque pertranſire debent omnes electi, vt quieſcere valeant in me mari pacifico: Sed illi reprobi miſeri tranſire voluntariè decreuerunt econtrario per viam obſcuri mendacij, vbi mortuam aquam inuenerunt. Et ad illam ipſe Dæmon eos inuitat quaſi dicat. Quicunque ſitit, & aquam mortuam habere deſiderat, veniat ad me, quia illi dabo ſatis, & bibat iuxta libitum. Et ipſi veluti ſtulti & omnino cæci, quia fidei lumen amiſerunt, voluntariè ſequuntur illum, & non aduertunt neque conſiderant horribile præcipitium ſuum.

TRACTATVS DE VTILITATE TENTATIO-num: Et qualiter anima in mortis extremitate guſtat & intelligit locum ei deputatum, etiam antequam à corpore ſeparetur.

CAPVT. XLIII.

ETiam intelligere debes, quòd ipſe Diabolus eſt veluti lictor, atque miniſter à mea diuina iuſtitia, conſtitutus & ordinatus, ad cruciandos omnes iniquos qui me miſerabiliter offenderunt. Sed in mundo permittendo concedo, vt hominibus frequentiſſimè tentationes atque moleſtias inſerat, non quidem vt homines in tali bello ſuccumbant, ſed vt in bello vincant, & poſtmodum à me recipere coronam gloriæ pro victoria mereantur, et interim virtus experimento probetur. Nõ enim coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Vnde nemo debet expaueſcere propter quamcunq; tentationem Diabolicam, vel aliam tribulationem, ſiue bellum vndecunq; procedat, quoniam omnes ego roboro iugiter, atq; voluntatem hominis in ſanguine dilectiſſimi filij mei fortificaui, quæ vinci non valet à quocunq; Dæmone, vel alia creatura, niſi ſponte conſentiat: quoniam eſt veſtra, vobis à me conceſſa, cum arbitrij libertate. Cum hac ergo libertate poteſtis voluntatem ipſam inclinare ſeu refrenare iuxta libitum veſtrum. Et iſta gratioſè conceſſi vobis, velut inexpugnabilem armaturam. Quando verò ſponte peccatum acceptatis, armaturam veſtram in manu Diaboli ponitis: & iſte gladius eſt, quo vos percu-

percudit & occidit. Si verò gladius iſte voluntatis, in manu Diaboli non exhibetur, voluntariè videlicet acceptando tentationes atq; moleſtias eius, homo nunquam offendetur ab aliqua peccati mortalis occaſione cuiuscũque tentationis vel moleſtiæ prouenientis vndecunq;, immo fortificabitur inde ſi oculum intellectus aperuerit ad videndã & intelligendam charitatem meam verè paternã, quæ permittit huiuſmodi tẽtationes ſolùm vt homines in ſe virtutes acquirant, & in eis experiãtur. Ad virtutes verò non peruenitur niſi mediante cognitione propriæ fragilitatis atq; meæ bonitatis, & iſta cognitio perfectiùs acquiritur tẽpore tentationis, quã tempore cõſolationis & quietis: quia tunc apertè cognoſcit, ſe, per ſe nõ eſſe: quia ſe liberare nõ valet ab illis moleſtijs quas vtiq; vitare vellet & illis omnino carere: me verò cognoſcit in volũtate ſua, quæ fortificatur à bonitate mea, quare nõ acquieſcit illis moleſtijs atq; tentationibus: & quia prudenter aduertit, quòd ego concedo ſibi propter vtilitatẽ eius ex charitate mea: Diabolus enim infirmus eſt, & omnino nihil agere poteſt, niſi quantum ego ſibi concedo. Hoc autẽ ei concedo non ex odio veſtri, ſed ex charitate paterna, ſicut iam dixi: non vt in bello huiuſmodi ſuccũbatis, ſed vt in bello tali triumphum obtineatis, & vt exinde veniatis ad veram cognitionem veſtri, atque meæ bonitatis, & vt virtus experientia probetur, quæ proculdubio nõ probatur niſi per oppoſitum eius. Ergo diligenter attende, quia Dæmones eſſe conſtitui, & ordinaui miniſtros meos, vt impios atq; reprobos in inferno, cruciẽt, & in mundo tentationibus atq; moleſtijs electos

exer-

exerceant, vt virtutes in anima probentur: quamuis intentio Diaboli non ſit, vt virtus in vobis augeatur ſiue probetur, quia charitate priuatus eſt, immo iuxta poſſe laborat, vt omni virtute priuemini: hoc autem agere nullo modo poteſt, niſi velitis ei conſentire. Nunc videre potes hominis amentiam qui vult eſſe debilis, vbi factus eſt à mea bonitate fortis atque robuſtus & ipſemet voluntariè ſe ponit in manibus inimici ſui crudeliſſimi, qui quotidie quærit animæ ſuæ mortem æternam. Vnde volo te noſſe, quod ex quo ſponte reprobi ſe Dæmoniacæ ſeruituti ſubiecerunt in vita, poſtmodum, in extremitate mortis exiſtentes ipſi ſub huiuſmodi crudeli dominio non expectant aliud iudicium à me: ſed ipſimet ſui iudices exiſtunt à conſcientia compellente. Quare veluti deſperati feſtinant ad æterna ſupplicia. Et antequam ingrediantur infernum in extremitate mortis, illum amplectuntur cum odio cuiuslibet virtutis, & cũ Dæmonibus quos in Dominos elegerunt ꝓ pretio ſuorum operũ habent infernum: ſicut econuerſo iuſti & electi mei poſtquam imperfecta virtute vixerunt, ad mortis extremitatem adducti: vera charitate ſuccenſi cum oculo perfectæ fidei, cum firma ſpe fructiferi ſanguinis agni, videlicet vnigeniti filij mei, vident illud æternum præmium eis à me præparatum, & cum veræ dilectionis brachijs ãplectuntur, aſtringẽtes amoris amplexibus me ſummum & æternum bonum, in hac extremitate: ſic quòd vitam æternam affectuosè deguſtant, antequam egrediantur à corpore mortali. Alij verò, qui vitam in quadam duxerunt charitate communi, &

non

non in tanta perfectione, venientes ad vltimum vitæ, miſericordiam meam amplectuntur cum eodem lumine fidei atq; ſpei, prout habuerunt illi perfecti, ſed imperfectè. Qui licet imperfecti fuerint, aſtrinxerunt tamen affectuoſè miſericordiam meam, exiſtimantes & intelligentes valde maiorem eſſe diuinam miſericordiam omnibus offenſionibus eorum. Peccatores autem iniqui faciunt oppoſitum, quia cum in remediabili deſperatione, & odio crudeli, vident & amplectuntur locum ſuæ damnationis, vt iam dixi. Itaq; nec electi, neq; reprobi præſtolantur iudicari, ſed in egreſſu à corpore, quilibet videt & intelligit & quaſi poſsidet ei locum aſsignatum, etiam antequam à corpore fuerit anima ſeparata. Nam animæ damnatorum egrediuntur cum odio atq; deſperatione, perfectorum verò cum amore & lumine fidei, & cum vera ſpe ſanguinis agni: imperfectorum autem cum miſericordia, & cùm eâdem fide perueniunt ad purgatorium.

QVOMODO DIABOLVS HOminis decipit, ſub alicuius boni colore.

CAPVT. XLIIII.

Dixi tibi Diabolum ad aquam mortuam homines inuitare, videlicet ad illam quam ipſe pro ſe poſsidet, illos excæcando cum delicijs atq; mundi ſtatibus: & cum decipula vel hamo terrenæ delectationis, eos incautiſsimè capit ſub colore boni. Nam aliter eos capere non poſſet, niſi viderent, vel iudicarent inue-

nire bonum aliquod proprium, vel aliquam delectationem, proculdubio ſe capi nullo modo permitterent. Naturaliter enim anima quotidie bonum habere deſiderat. Sed anima propter amorem proprium excæcata non intelligit nec agnoſcit, vbi, ſiue quod eſt verum & appetibile bonum, quod animæ proſit & corpori. Et ideo Diabolus aſtutus & iniquus, attendens animam excæcatam ab amore proprio ſenſitiuo, ſibi proponit varias delectationes, cum aliqua bonitate vel vtilitate coloratas, vnicuiq; ſecundum gradum eius, & ſecundũ vitia principalia, in quibus viderit aliquem irretitum vel inclinatum. Aliud enim anteponit ſeculari, & aliud religioſo. Aliud in prælatura poſitis, & aliud in ſublimitate ſecularis dominij collocatis, & ita de cæteris. Iſta tibi narraui: quia tibi dicam de his qui per fluuium ambulantes, in eo ſe ſubmergunt. Imprudentiſſimè procedunt, nullum omnino reſpectum habentes, niſi ſolùm ad ſemetipſos cum iniquo amore proprio, meas offenſiones vilipendendo, quorum exitum in parte narraui. Nunc autem apertè tibi monſtrare volo, quomodo ſemetipſos in veritate decipiunt: quia volentes effugere pœnas, incidunt in pœnas: quia videtur eis quòd labor exceſſiuus eſſet in ſeruitio meo, videlicet ambulando per pontem à dilectiſſimo filio meo fabricatum, & ideo ſe ſubtrahunt à parua ſpina territi: hoc accidit eis, quia ſunt excæcati penitùs, & ideo non vident veritatem, nec agnoſcunt illam. Sicut in principio vitæ tuæ monſtraui tibi, quando me rogabas, vt ego miſericordiam orbi facerem, homines extrahendo de tenebroſis peccatis eorũ.

Noſti

Noſti quòd oſtendi me tibi, ſub figura cuiuſdã arboris, cuius non videbas principium, neque finem, niſi quòd videbas radicem terræ vnitam: & hoc innuebat vnionem naturæ diuinæ cum humana veſtra natura. Iuxta ſtipitem arboris, videbas aliquas vepres paruas, quarum horrore ſiue terrore cuncti propriæ ſenſualitatis amatores elongabantur, atque recuſabant arbori propinquare, currentes ad quendam monticulum corticis frumenti ſiue quiſquiliarum. In quo declaraui tibi, quòd omnia mundi delectamenta ſignificabantur. Ille frumenti cortices apparebant eſſe frumentum, & tamen non erant. Quare videbas animas illuc euntes, ibi fame perire. Multæ verò cognoſcentes mundi fraudes atque defectum indilatè redibant ad arborem, tranſeundo ſpinas & vepres illas: videlicet deliberationem voluntatis. Quæ deliberatio priusquam fiat, videtur eſſe vna ſpina pungens in ſequendo viam veritatis & ſalutis, quia pugna quædam exercetur inter conſcientiam atque ſenſualitatem. Sed quando cum odio ſancto, & diſplicẽtia ſuæ ſenſualitatis, virili corde deliberat, dicens: Ego volo ſequi Ieſum Chriſtum crucifixum: vepres ſiue ſpinas illico calcat illæſus, & inuenit admirabilem indilatè dulcedinem, prout illo tempore tibi monſtraui: tamẽ amplius vel minus iuxta diſpoſitionem atque ſolicitudinem ipſorum. Et vt iam dixi tibi: Ego ſum Deus veſter immobilis, neq; mutor, nec ab aliquo qui velit ad me venire me ſubtrabo, ſed omnibus oſtendi veritatem, naturam diuinam inuiſibilem ordinando viſibilem. Etiam eis oſtendi quid eſt aliquid amare ſine me. Sed ipſi

velut excæcati penitùs à nube amoris proprij inordinati, neq; me neq; ſe cognoſcunt. Vides apertè quantum ſe decipiunt, quia potiùs volunt ſame perire quàm paucas vepres pertranſire. Nemo quippe poteſt abſq; pœna in præſenti vita ſtare, nemo ſine cruce pertranſit, exceptis illis qui per viam ſuperiorem vadunt. Non tamen euadunt omnem pœnam, ſed huiuſmodi pœnam exiſtimant ſibi fore refrigerium. Et quia propter peccatum Adæ, mundus humano generi ſpinas atq; tribulos germinauit, & iſte procelloſus fluuius, veluti quoddam inquietum mare periculosè fluxit, ideo vobis ordinaui pontem, de quo tibi dixi, ne periretis in ipſo flumine. Nunc videre potuiſti qualiter ipſi ſe decipiunt cum inordinato timore: & quia ſum Deus veſter qui non mutor, neq; ſum perſonarum acceptor, immo virtutis atq; ſancti deſiderij. Hoc autem vidiſti, præſertim in illius arboris congrua figura.

OSTENDITVR QVI SVNT ILLI quibus minimè nocent ſpinæ, quas mundus per peccatum germinauit.

CAPVT. XLV.

NVnc verò tibi monſtrare decreui, qui ſunt illi quibus vepres & ſpinæ quas propter peccatum iſte mundus germinauit, inferunt damnum & quibus non. Et quia iam tibi monſtraui damnationem ipſorum, vnà cum bonitate mea, & etiã vidiſti qualiter ipſi decipiuntur à propria ſenſualitate ſua, nunc attende diligenter, quòd ipſi ſolùm offenduntur ab huiuſmodi ſpinis.

ſpinis. Nemo viuens in mundo pertranſire poteſt abſq; pœna corporali ſiue mentali. Laborem quippe corporalem etiam electi mei tolerant, eorum verò mens eſt omnino libera: quia non habet afflictionem de labore, ſiue quacunq; pœna pro eo, quod eorum voluntas in omnibus eſt conformis & vnita voluntati meæ: quæ voluntas eſt illa res, vnde procedit afflictio ſiue pœna, hinc enim affligitur homo, vel habendo quod habere nollet: vel nõ habendo quod habere vellet. Ablata verò voluntate propria pacificè quieſcit. Igitur iſti diſcordes à voluntate mea, ſunt illi qui corporaliter atq; mentaliter affliguntur. Nam & in mundo viuentes arram inferni deguſtant, ſicut econuerſo ſerui mei guſtant arram æternæ vitæ. Vnde noueris quòd valde ſingulare bonum beatorũ eſt, habere voluntatem plenam omnium quæ deſiderãt. Ipſi cupiunt habere me, cupientes verò me, guſtãt, fruuntur atq; poſſident abſq; rebellione quacunq;, quia depoſuerunt in morte corporis grauedinem atq; moleſtiam, vnde ſentiebant impugnationem atq; bellum contra ſpiritum. Corpus enim erat eis obſtaculum, ne perfectè cognoſcerent veritatem, & impediebat eos, ne me facie ad faciem videre poſſent. Poſtquam autem anima depoſuit onus corporis, voluntas eſt omnino plena: quia deſiderantes videre me quotidie, me vidẽt, in qua viſione fœliciſſima beatitudo veſtra conſiſtit. Videntes agnoſcunt, & agnoſcentes amant, & amantes guſtant me ſummum & æternum bonum, in quo guſtu ſatiatur cum plena refectione volũtas eorũ, id eſt deſiderium quod habent videndi & agnoſcendi me, quia deſiderantes habent & ha-

bendo deſiderant. Et vt iam dixi, procul eſt ab omni pœna tale deſiderium, & omne faſtidium à tali ſatietate remotum. Itaq; ſerui mei principaliter beatitudine glorioſa perfruũtur, videndo, cognoſcendo & amando me: quæ quidem viſio replet eorum voluntatẽ, habendo quicquid exoptat, & ita ſatiata quotidie reperitur. Et ideo tibi dixi, quòd vitam æternam guſtare, præcipuè cõſiſtit in hoc, vt voluntas habeat omne quod optat. Noueris tamen, quòd ipſa ſolummodo videndo, cognoſcendo, & amando me ſatiatur, vt iam dixi. Igitur etiam in hac vita præſenti guſtat arram æternæ vitæ guſtando illud, de quo poſtea ſatiatur. Guſtatur autem hæc arra vitæ durabilis, in præſenti tempore bonitatem meam in ſe videndo, & in agnoſcendo veritatem meam. Iſtam verò notitiam habet intellectus illuminatus, in me qui eſt oculus animæ. Hic autem oculus pupillam habet almæ Chriſtianæ fidei: & lumen huiuſmodi fidei facit agnoſcere pariter & imitari viam atq; doctrinam veritatis: videlicet incarnati verbi dilectiſſimi filij mei. Nullus enim abſq; pupilla fidei Chriſtianæ videre poteſt, niſi ſicut homo, qui formam habet oculi, ſed pupillã quæ videre facit hominem, habet pãniculo coopertam. Sic oculus intellectus loco pupilio fidem habere debet, ſuper qua ſi pannus infidelitatis, ortum habens ab amore proprio, ſuperponatur rectè videre non poteſt. Formam habet oculi, ſed minimè lumen quia ſemetipſum illo priuauit. Itaq; vides quòd ſerui mei videndo cognoſcunt, & agnoſcendo diligunt, & amando perdunt voluntatem omnem propriã & abnegant. Priuati verò voluntate propria ſubitò volunta-

luntatem meam induunt, quæ non quærit & optat niſi ſanctificationem veſtram. Et indilatè retrocedunt ab inferiori via pontem aſcendentes, vepreſq; virili corde calcantes, illæſi pertranſeunt abſque nocumento quocunq;, quia pedes affectus eorum voluntate mea calciati ſunt & valde muniti. Et ideo dixi tibi, quòd ipſi pœnam habebant corporaliter: ſed non mentaliter, quia ſenſitiua voluntas in eis omnino mortua fuerat, quæ pœnam infert atq; mentem hominis affligit. Ablata voluntate propria, ſubitò pœna fugatur ab homine. Quare tolerant omnia cum affectuoſa reuerentia, reputantes ad gratiam ſingularem amore mei cruciari, nec optant aliquid, niſi quod ego volo. Vnde ſi eos vexari permitto multis & varijs Diabolicis tentationibus, vt in virtute probentur, ipſi cum voluntate firma reſiſtunt, quam in me fortificatam habent, & cum humilitate profunda ſe reputant indignos omni quiete, ſed afflictione dignos. Et ita cum ſancto gaudio pertranſeunt, & cum vera cognitione ſui, vitando pœnam omnem afflictiuam. Si verò permitto quòd homines eos perſequantur, vel eis volo concedere corporalem ægritudinem, vel inopiam temporalium, vel vt à ſtatu ſuo deijciantur in mundo, vel eis auffero filios, vel alias creaturas quas affectuosè diligunt. Quæ quidem omnia ſpinæ videntur & vepres, quas poſt peccatum Adæ terra germinauit: omnia cum lumine rationis atque fidei ſanctæ patientiſſimæ tolerant: attendentes quia ſumma ſum bonitas, neque velle poſſum niſi quod bonum eſt, & intuitu boni, concedo totum amore paterno mo-

 tus

tus & non ex odio. Poſtquam autem in me perfectum amorem agnouerunt, ad ſemetipſos oculum vertunt, defectus proprios verè cognoſcentes, Et cum lumine fidei cognoſcunt apertè, quòd nullum bonum erit abſq; præmio, & omnis culpa ſine dubio punietur. Diligenter etiam attendunt quòd omnis culpa, quantumcumq; leuis appareat, eſſet infinita pœna digna: quoniam eſt contra me perpetrata, qui ſum bonum infinitum. Et acceptant à me pro ſingulari gratia, quòd in vita præſenti eis velim iniungere pœnitentiam atq; diſciplinam, eò quòd tẽpus eſt finitum & breue. Igitur iſto modo & contritione cordis, pro ſuo peccato ſatisfaciunt, & cum perfecta patientia meritum acquirunt: eorum verò labores à me poſtea remunerantur æterno præmio. Etiam apertè cognoſcunt quòd omnis labor vitæ præſentis eſt valde breuis ex breuitate temporis. Tempus verò quod habetis eſt vnus punctus: videlicet præſens iſtans, quia præterito caretis, nec futurum habetis. Ergo deficiente vobis tempore, pariter & omni pœna caretis, & ita qualibet pœna in vita præſenti breuis eſt. Ipſi tolerant omnia patientiſſimè, calcãtes huiuſmodi ſpinas illæſi: quia non offenduntur, neq; tanguntur ab eis, eò quòd ipſorum cor alienum eſt ab eis, amore ſenſitiuo contempto, & vnitum eſt in me per affectum veræ charitatis. Ergo manifeſtè patet quòd iſti guſtant arram æternæ vitæ, dum etiam in mortali corpore viuunt. Stantes in aqua non madeſiunt, nec aliquo modo balneantur: per vepres atque ſpinas acutiſſimas illæſi pertranſeunt, nullum aculeum inde ſentientes: quia nouerunt me ſummum bonum

num ibi perquirentes vbi reperire potuerunt, videlicet in vnigenito filio meo.

DE MALIS PROCEDENTIBVS ex cæcitate intellectualis oculi: Et quòd bona facta in peccato mortali, non valent ad vitam æternam.

CAPVT. XLVI.

HOc vtiq; tibi declarandum duxi, vt apertiùs agnoſcas, qualiter iſti guſtant arram inferni, quorum audiſti deceptionem erroneam. Modo vero ſubiungam: vnde procedit hæc erronea deceptio, & qualiter arram inferni guſtant. Hoc autem accidit eis, quoniam oculum intellectus habent excæcatum cum infidelitate, quam ab amore proprio traxerunt: quia prout omnis veritas acquiritur ab homine cum lumine veræ fidei, ſic econuerſo mendacium atq; deceptio, cum infidelitate conquiruntur: de illorum infidelitate loquendo, qui ſanctum Baptiſma receperunt, in quo pupilla fidei fuit oculo intellectus immiſſa. Qui tempore diſcretionis adueniente, ſi ſe poſtmodum in virtutibus exerceant, ipſum fidei lumen in anima ſua conſeruant & ex inde virtutes viuas atq; reales operantur in proximo fructiferè pariendo. Sicut accidit in muliere quæ parit infantem viuum, quem ita viuentem iucundo corde ſponſo repræſentat: ita faciunt iſti, qui virtutes viuas mihi repræſentant, qui ſum animæ ſponſus. Cuius oppoſitum iſti miſeri faciunt. Adueniente namq; tempore diſcretionis, vbi deberent exercere lumen veræ fidei,

virtutes cum vita gratiæ pariendo, & ipſi pariunt eas omnino mortuas. Mortuæ *quippe ſunt eò quòd ipſorum opera facta ſunt in peccato mortali: quia priuati ſunt ipſo lumine fidei. Habent vtiq; ſancti baptiſmi formam, ſed minimè lumen quo priuati ſunt: quia nubes peccatorum amore proprio patratorum oculi pupillam, vnde virtuosè videbãt, operuit. His qui fidem abſq; virtuoſis operibus habent, apertiſſimè dicitur: quia fides eorum eſt omnino mortua. Vnde, ſicut ille qui mortuus eſt videre nequit, ita nec oculus habens pupillam opertam non videt, neq; cognoſcit ſemetipſum, neq; ſuos defectus, neq; bonitatem meam, à qua ſuum habuit eſſe, & omnem gratiam fundatam ſuper eſſe. Et quia non agnoſcit me, neq; ſe, non odit in ſe propriam ſenſualitatem, ſed inordinatè diligit eam, quærendo quotidie ſuo appetitui ſatisfacere: ſicq́ue pariter omnes filios mortuos: videlicet multa peccata mortalia committendo. Me quoq; non amat: & ita me non amando, nec etiam illud quod ego diligo, diligit: videlicet proximum eius. Neq; delectatur operari quæ mihi grata ſunt & acceptã, videlicet veras atq; reales virtutes de quibus habeo complacentiam, illas in vobis videndo non ex vtilitate mea, quia mihi nullo modo prodeſſe poteſtis, quia ſum Deus veſter & non indigeò bonorum veſtrorum. Omnia namq; creata ſunt à me, ſolùm excepto peccato: quia nihil eſt. Et anima gratia ſe priuando, reperit quoque ſe eſſe me priuatam, qui ſum omne bonum. Itaq; propter vtilitatem veſtram, virtutes mihi placent in vobis, vt in veniam vnde vos æterno præmio remunerare valeam, in me vita durabili. Vi-*

des

des ergo fidem iſtorum eſſe mortuam, quia non habent opera, nam opera quæ faciunt, licet in ſe bona ſint, non tamen eis valent ad vitam æternam: quia vita gratiæ priuata ſunt. Nihilominus operari bonum etiam abſq; gratia nunquam intermitti debet, quoniam omne bonum à me remunerabitur. Vt etiam omnis culpa tempore ſuo punietur. Bonum quod homines operantur in ſtatu gratiæ: videlicet abſq; peccato mortali, valet ad vitam æternam acquirendam: illud verè quod operantur in culpa mortali, proculdubio non valet ad vitam æternam, tamen à me diuerſimodè renumeratur. Nam aliquando præſtolor eos gratiosè, tempus commodando, vt emendare valeant: vel eos in corde aliquorum ſeruorum meorum imprimo, vt pro illis humiles atq; continuas orationes in conſpectu meo fundant, quibus interuenientibus à me gratiam obtineant: vt à ſuis iniquitatibus egrediantur. Quando verò non acceptant gratiam huiuſmodi commodati temporis, nec etiam fructum illarum orationum, aliquando remunero tales in abundantia rerum temporalium. Et his accidit ſicut vitulo ſiue porco qui ſatis impinguatur, vt ad macellum poſtea congruentiùs adducatur. Ita continget iſtis qui quotidie recalcitrauerunt voluntati meæ: tamen aliqua bona faciunt non in ſtatu gratiæ, ſed in peccato mortali, nec acceptare voluerunt gratiam conceſſi temprris: nec orationes pro eis effuſas: nec alios modos, quibus eos gratiosè vocaui multoties: vt opera ſua bona facerent in ſtatu gratiæ, veluti reprobi, niſi ſe correxerint, vltimo punientur æterno ſupplicio. Interim verò mea bonitas

nitas pro paruis illis bonis, quæ fecerunt in tali ſtatu, remunerat eos in tali minima compenſatione: videlicet diuitiarum huiuſmodi temporalium. Itaq; valde decepti ſunt. Quis eos decepit? Ipſimet, quia ſponte lumine viuæ fidei ſe priuauerunt. Et veluti excæcati palpantes inhærent ſolùm his quæ tangunt. Et ideo nihil vident niſi oculo tenebroſo, quia poſuerunt affectum ſuum ſolùm in his tranſitorijs, & ideo decepti ſunt. Ipſi directè faciunt veluti ſtulti, qui reſpiciunt & vident aurum ſolummodo, ſed minimè venenum, quod ibi latet & occidit incautos. Vnde noueris quòd iſta mundana cum oblectamentis eorum, quantumcunq; grata videantur, abſque me poſſeſſa vel acquiſita: ſed cum amore proprio & inordinato directè portant & habent in ſe ſcorpionum effigiem & figuram, vt in principio vitæ tuæ poſt illam arboris figuram, ego tibi monſtraui, dicens: Quòd ante ſe portabant aurum, poſt tergum autem venenum. Neque venenum erat abſq; auro, neq; aurum abſq; veneno. Aurum tamen erat in aſpectu primo, nec aliquis homo ſe tueri poterat à veneno, niſi tantùm illi, qui erant illuminati lumine veræ fidei.

QVOMODO PRAECEPTA SERuari non poſſunt, niſi ſeruentur etiam conſilia: Et qualiter in omni ſtatu Deus acceptat bonam hominis voluntatem.

CAPVT.

CAPVT. XLVII.

IAm tibi dixi, quòd iſti ſic illuminati cum gladio bicipiti, videlicet cum odio vitiorum & amore virtutum intuitu meæ dilectionis à ſe præcidebant venenum propriæ ſenſualitatis & voluntatis. Et cum lumine rationis acquirebant, poßidebant, atq; tenebant aurum in his temporalibus, ſcilicet qui retinere ea volebāt. Qui verò magna volebant vti perfectione, mentaliter & actualiter omnia contemnebant. Iſti ſunt omnes illi qui conſilium perfectionis à mea veritate traditum actualiter obſeruant. Alij verò, qui poßident hæc exteriora ſunt illi, qui præcepta quidem obſeruant actualiter, conſilia verò mentaliter, ſed non actualiter obſeruant. Et quia conſilia ligata ſunt & connexa cum præceptis, ideo nemo poteſt obſeruare præcepta, quin etiam conſilia ſeruet, non actualiter, ſed mentaliter: videlicet huiuſmodi poßidendo diuitias cum humilitate, non cum elata ſuperbia, poßidendo non tanquam proprias, immo tanquam à mea bonitate ſibi cōmodatas ad vſum, vt in veritate ſic eſt. Vnde tantum habetis, quantum ego vobis impendo, & etiam tanto tempore relinquo vobis, quantum video veſtræ ſaluti conuenire. Et iſto modo vos vti debetis: & ita quiſquis mandatum obſeruat, videlicet amandò me ſuper omnia & proximū tanquam ſemetipſum, viuit cum libertate cordis, & eas ex affectu contemnit & vilipendit: ac licet actualiter eas poßideat, tamen voluntati meæ nullo modo contradicit. Obſeruant quoq; conſilium ex affectu mentis, quem

à ſe

à ſe præciderũt venenũ amoris in ordinati. Tales in cõmuni charitate morãtur. Illi verò qui ſeruãt actualiter atq; mẽtaliter præcepta pariter et cõſilia, ſunt in ſtatu perfectæ charitatis. Et cũ vera ſimplicitate ſeruãt veritatis meæ, videlicet Ieſu Chriſti conſilium, exhibitum inueni petenti quid agere deberet, vt vitam æternam obtinere poſſet, qui audiuit, obſerua mandata. Quo reſpondente: ita iam feci, ei ueritas ait: Si uis eſſe perfectus, uende quæcunque poſsides, & da pauperibus. Iuuenis uerò contriſtatus eſt, quia diuitias adhuc amore nimiò poſſidebat, ideo contriſtatus eſt. Sed iſti perfecti conſilia realiter obſeruant: mundum & omnes diuitias eius affectuosè relinquentes, macerando corpus cum abſtinentia, uigilia & oratione continua. Illi uerò qui uiuunt in charitate communi, non relinquendo diuitias eorum actualiter, non priuantur ex hoc æterna uita: quia non obligantur ad hoc ex præcepto: ſed ſi uolunt eas habendo poſsidere, faciant, ut iam dixi. Nec offendunt illo modo tenendo: quoniam omnia bona ſunt à me creata, qui ſum æterna & ſumma bonitas in obſequium creaturarũ mearum, quæ rationem habent, & non ut ipſæ delicijs mundi ſeruiant. Et ſi placet illas habẽdo poſsidere, non optantes aſcendere huiuſmodi gradum perfectionis, habeant atque teneant non tanquam domini, ſed tãquam ſerui mei. Deſiderium eorum mihi debent offerre, cætera uerò poſsidendo tenere, non tanquam propria ſed uelut à me cammodata. Ego uerò non accepto perſonas uel perſonarum ſtatum, immo ſancta deſideria. In omni ſtatu quem homines eligere uolunt, habendo ſan-

ctam

ſtam uoluntatem accepto gratanter & in eis habeo complacentiam. Omnes ergo qui uenenum amoris inordinati præciderunt à uitijs, cum odio ſancto propriæ ſenſualitatis & amore uirtutis, ordinatè poſſunt illas habere. Inſuper ablato ueneno uoluntatis inordinatæ, poſtquam illam ordinauerit cum uera dilectione, atq; ſancto timore mei, poteſt eligere quilibet cum ſancta fiducia ſtatum ampliùs ei gratum, & ubique lucrari poteſt uitam æternam, fauente gratia mea: quamuis indubitanter eſt maioris perfectionis, atque mihi magis acceptum eſſe amore mei mentaliter & actualiter omnia mundana relinquere. Qui uerò nequit hanc attingere perfectionem, fragilitate propria contradicente, poteſt unuſquiſque ſtare iuxta gradum ſuum in prædicta charitate communi. Et hoc ordinauit affectuoſa charitas mea paterna, ut nullus in quocunque ſtatu fuerit, excuſare ſe legitimè propter peccatum ualeat ullo modo. Quia uerè nullam excuſationem homo poteſt inuenire legitimam, uel etiam apparentem. Valde namque gratioſè condeſcendi fragilitati & imbecillitati ſuæ, taliter quòd ille qui uult in ſeculo uiuere, poſsit in ſtatu ſalutis eſſe etiam poſsidendo diuitias, tenere dominij ſtatum, uxorem ducere, filios procreare, laborando uictum acquirere. Poſtremò quilibet eſſe poteſt in illo ſtatu quem eligere uoluerit: dum tamen uerè præcidere ſtudeat à ſe uenenum propriæ ſenſualitatis, & uoluntatis, quæ conducit indubitanter ad mortem æternam. Et uerè uenenum eſt: quia ſicut uenenum inficit hominem in corpore, tandem inferendo ſibi mortem, niſi uomere

feſtinet,

feſtinet, ſiue ſalubrem aliquam aſſumpſerit medicinam: ita venenum huiuſmodi ſcorpionis deliciarum mundi venenat & inficit animam, inferendo ſibi poſtea mortem, niſi per confeſſionem ſanctam euomat illud, extrahendo virtuosè cordialem affectum. Et hoc eſt ſaluberrima medicina, quæ liberat hominē à veneno peccati, licet amara videatur miſeræ propriæ ſenſualitati. Peſtiferum atque mortiferum venenum attendere debes, non conſiſtere in rebus creatis, quoniam in ſe bonæ ſunt, & vt iam dixi, creatæ ſunt à me, qui ſum æterna bonitas: ſed intelligo de peruerſitate voluntatis hominis quæ bonis gratioſè conceſſis in mortem propriam abutitur. Videas ergo quomodo ſunt huiuſmodi miſerabili modo decepti: quia poſſunt habere me per gratiam, vitando triſtitiam omnem, & habere ſanctum gaudium atque conſolationem, & ipſi potiùs eligunt habere malum ſub colore boni. Cupiunt & habent aurum inſatiabiliter, amore nimis inordinato. Et quia ſunt excæcati cum infidelitate ſua, non vident neque agnoſcunt venenum. Se venenatos eſſe conſpiciunt, & ex infideli cæcitate ſua, negligunt aliquod aſſumere remedium: Ipſi profectò crucem Diaboli portant, arram inferni in præſenti vita guſtantes.

QVOMODO SERVI MVNDI, quamuis multa poſsideant, ipſi tamen ſaturari nequeunt: Et de pœna quam peruerſa voluntas eis exhibet.

CAPVT.

CAPVT. XLVIII.

Dixi iam tibi quia ſola voluntas hominem affligebat, & quod ſerui mei, quia voluntate propria priuati ſunt illam abnegando, & induerunt voluntatem meam, ideo non habēt neq; ſentiunt aliquam pœnam afflictiuam, immo quotidie conſolati, me per gratiam habent in animabus ſuis. Qui verò gratia mea priuati ſunt, non poſſunt in aliquo ſatiari ſiue cōſolari, licet vniuerſo mundo dominarentur, pro eo quod omnia quæ ſunt in mundo minora ſunt homine: quia creata ſunt propter hominē, & non homo propter illa: & idcircò non poſſunt ab illis habere ſatietatem. Solus ergo ego Deus æternus cum ineffabili ſatietate quietare poſſum. Vnde miſerabiles iſti ſic excæcati quotidie laborando fatigantur, & nunquam habere ſatietatem vllo modo valent, optantes ea quæ non inuenient vnquam: quia nō expoſcunt à me qui pleniſſimè poſſum adimplere deſideria ſua. Vis audire qualiter affliguntur? Tu noſti quòd amor affligit homines, quando perdunt ea cum quibus erant affectuosè conformati. Iſti conformati ſunt in terra diuerſimodè, per inordinatum amorem, & ideo terra ſunt effecti ſiue terreni. Aliqui ſe conformant cum diuitiis. Quidam cum temporali ſtatu ſiue cum filiis. Aliqui me perdunt vt obediant alicui creaturæ: alij faciunt vt animalia irrationabilia, corpora ſua fœdātes in immunditia deteſtabili. Et ita diuerſimodè ſe miſerabiliter de terra nutriunt. Vellent iſta fore manſura, cuius oppoſitum

experientia quotidie docet: quia vel hiis quæ diligunt aufferuntur ipſi, morte mediante, verl ex mea diſpenſatione res aufferuntur ab eis, & ipſis omnino priuantur. Vnde iugiter affliguntur intolerabili pœna, & illa cum tanto dolore perdunt, cum quanto amore inordinato poſſidebant. Si poſſediſſent ea, tanquam à mea bonitate commodata, & non tanquam propria, non habuiſſent in tali priuatione pœnam. Affliguntur igitur iuſtè: quia non obtinent ea quæ deſiderant à mundo, à quo proculdubio ſatiari nullo modo poſſunt. vnde pœnam habent veluti vacui atq; famelici. Quot pœnas habent iniquè viuentes à ſtimulo cõſcientiæ? Qualiter affligitur ille qui vindictam appetit. Quotidie namq; tabeſcit & afflictione conſumitur, & ante ſemetipſum occidit: videlicet animã quam inimico nocuerit vel in minimo: gladius autem odij ſuam iam occidit animam. Quantum affligitur auarus, qui ſibi ſubtrahit ex auaritia, quæ ſunt vitæ ſuæ neceſſaria. Quãtum affligitur inuidus, cuius anima ſemp amaricatur ex omni fœlicitate proximi ſui. Tales ex omnibus quæ ſic inordinatè diligũt, extra me ſemper habent afflictionem atq; miſeriam. Et ita cruce diabolica quotidie tormentantur, & etiam in vita præſenti guſtant, & habent arram inferni. Corpus etiam ipſorum ex hoc aliquando grauiter infirmatur, & niſi ſe corrigant incurrunt hominis vtriuſq; mortem æternam. Igitur iſti ſunt quos vepres atq; ſpinæ multarum anguſtiarum offendunt. Ipſi namq; ſemetipſos affligunt, cũ deteſtabili & inordina-

ta

ta voluntate propria: Ipſi merito cruciantur, intùs & extrà. Videlicet in anima ſimul & corpore, cum pœnoſo tormento viuentes abſq; merito quocunq;: quoniam in tribulatione ſua fuerunt impatientes: aurum atq; delicias vitæ præſentis inordinatè diligentes, gratia mea priuati atq; charitatis affectu, mortis arbores effecti ſunt: & ideo ipſorum opera mortua ſunt amaritudine plena. Sponte vadunt per fluuium in quo ſuffocantur, & ita perueniunt ad aquam mortuam, cum odio tranſeuntes per ianuam Dæmonij, & ſic æterna damnatione merito puniuntur. Nunc ergo vidiſti quomodo ſemetipſos iſti miſeri decipiunt, & cum quanta pœna lucrantur infernum: quia ſpõte ſe fecerunt Martyres Diaboli. Vidiſti quoq; quid eſt iſtud quod eos excæcat: videlicet obſcura nubes amoris porprij ſuper pupilla luminis veræ fidei collocata. Item attendere potuiſti, qualiter amici mei corporaliter, à mundi tribulationibus atq; perſecutionibus offenduntur: ſed non mentaliter: quia ſunt conformati voluntati meæ: quia valde contentantur amore mei pœnas quaſque ſuſtinere: conſiderantes illas à me conceſſas qui ſalutem ipſorum affectuosè deſidero. Serui verò mundi multipliciter affliguntur intùs & extrà. Singulariter autem intùs, à timore perdendi quæ poſſident, ac etiam ab amore proprio & inordinato, deſiderando quæ nullo modo poſſunt obtinere. Alios verò labores afflictiuos, qui poſt hos duos principales eis occurrendo ſubſequuntur, lingua tua non eſt enarare ſufficiens.

Itaq; cernis apertè quòd etiam in mundo valdè melius eſt iuſtis amicis meis, quàm iniuſtis atq; reprobis, quorum vitam atq; terminum occultata fide vidiſti.

QVOMODO TIMOR SERVILIS non ſufficit ad æternam vitam obtinendam: ſed cum exercitio timoris huius peruenietur ad amorem virtutum.

CAPVT. XLVIIII.

ETiam volo te noſſe, quòd aliqui ſunt ſtimulati frequenter à mundi tribulationibus, quas ego concedo: vt anima cognoſcat apertè finem ſuum in vita præſenti non eſſe, ſed omnia temporalia tranſitoria ſunt, atq; ſolummodo me diligat & optet habere, qui ſum optabilis finis hominum: & ita debet intelligendo cognoſcere. Tales igitur incipiunt amouere nubem ab oculo fidei, propter huiuſmodi pœnas à quibus opprimuntur, & etiam propter illam quam poſt culpam attendunt eſſe futuram. Et cum iſto timore ſeruili egredi incipiunt à via fluminis ita procelloſi, venenum extra vomendo, quod incautè ſuſceperant à ſcorpione, ſub aurifigura: & inordinatè ſine modo ab eodem acceptauerant. Hoc verò poſtea cognoſcentes, ab eo purgantur, & ad ipſius fluuij ripam dirigere greſſus incipiunt, vt ad pontem valeant applicare. Sed attende, quia nullo modo ſufficit ambulare ſolummodo cum ſeruili timore: quia purgare domum à ſpurcitia peccati mortalis, non implendo vir-

virtutibus eam in amore fundatis, & non tantùm in timore, non ſufficit ad vitam æternam. Oportet ergò quòd hos duos pedes apponat in primo gradu pontis: videlicet culpæ diſplicentiam cum pœnæ timore, & virtutis amorem atq; deſiderium. Hi ſunt duo pedes qui baiulant animam in affectum meæ veritatis: videlicet vnigeniti filij mei, de quo vobis feci pontem. Iſte primus eſt gradus quem aſcendere debetis, quamuis iſte quaſi generalis modus eſt quem obſeruant homines a ſeculo recedẽtes: quia priùs formidine pœnæ mouentur, quàm amore virtutis atq; iuſtitiæ: quia vexationes & tribulationes quas à mundo ſuſtinent, aliquando faciunt homines ex quodam anguſtioſo tædio ſibimetipſis importabiles: vnde ſumunt valde diſplicentiam. Si autem exercebunt huiuſmodi timorem virtuosè, cum lumine fidei peruenient ad amorem virtutum. Sed aliqui ſunt qui cum tanto tempore procedunt, quod in eo ſæpè recidiuant. Nam ex quo peruenerunt ad fluuij ripam, attendentes atq; ſentientes ventos eis contrarios, illiduntur ab vndis huius procelloſi maris vitæ præſentis. Si occurrat eis ventus proſperitatis, antequam ex negligentia ſua gradum primum aſcenderint, videlicet cum affectu ſuo, & cum amore virtutis, ipſi retrocedũt iterum ad mundi delicias, cum amore, ſicut priùs, inordinato ſe conuertentes. Etſi tali ventus aduerſitatis occurrat, ipſe retrocedit ex impatientia: quia non odit culpam ſuam, ex offenſa mihi facta, ſed ex timore propriæ pœnæ qua ſe conſiderat ex culpa ſua fore puniendum.

Cum iſto namq; timore ſeruili, cum vomitu peccatorũ incœperat à vita ſua priſtina reſurgere, ſed omnis virtus vult habere perſeuerantiam. Quiſquis verò virtuosè viuendo, perſeuerare non curat, peruenire non poteſt ad effectum ſui deſiderij: nec ad illum finem propter quem incœpit. Expedit ergo perſeuerare, ſi peruenire deſiderat. Dixi tibi, quòd iſti retrocedunt à bono propoſito, prout eis aliqui contrarij motus occurrunt, vnde moleſtiam habeant: vel à ſemetipſis, vel à ſenſualitate propria contra Spiritum impugnante, vel ex parte creaturarum: videlicet cùm eas inordinatè diligit extra me, ſiue cùm impatienter portat iniuriam ab aliquo ſibi factam: vel ex parte Dæmonum, cùm eum variis tentationibus infeſtant. Etiam aliquando facta ſua contemnere videntur, vt ad confuſionem adducant, homini dicentes: Iſta bona quæ facere cœpiſti, nihil omninò tibi proſunt, propter innumera peccata tua. Et hæc aduerſarius ait, vt homo retrocedat, & committat, agere bonum illud exercitiũ, q incho auerat. Et aliquando tentat hominem ad interitum adducere, cùm præſumptione miſericordiæ meæ, dicens: Quare vis tantùm in hoc exercitio laborare: Gaudeas in vita præſenti cum iucunditate, poſtmodum in fine vitæ tuæ poteris humiliter adeo miſericordiam expoſcere, & indubitanter obtinebis. Et iſto modo Diabolus iuxta poſſe conatur, vt ipſi perdant illum timorem, cum quo cœperant. His igitur & aliis quàm pluribus aduerſantibus, & occurrentibus eis, agillimè retroce-

trocedunt, eò quòd non ſunt in ſancto propoſito conſtantes neq; perſeuerantes. Et hoc accidit eis eò quòd radix amoris proprij, non eſt ab eis auulſa prout expedit. Ideo non perſeuerant, immo valde præſumunt vltra, quàm debeant, de ſpe miſericordiæ meæ, multùm inordinatè, non ſicut oportet: ſed velut ignorantes atq; præſumptuoſi ſperant in miſericordia mea quam iugiter offendunt. Ego non offero miſericordiam hominibus, vt ipſi cum ea me ſemper offendant, ſed vt cum ea ipſi ſe tueri valeant à malitia Diaboli, & ab inordinata confuſione mentis. Ipſi verò frequentiſſimè faciunt oppoſitum: quia cum brachio miſericordiæ meæ grauiter offendunt. Et hoc eis accidit eò quòd mutationem primam, virtuosè non exercuerunt: ſed cum timore ſolummodò pœnæ, necnon & à ſpina multarũ anguſtiarum atq; tribulationum impulſi, ſurrexêre à miſeria mortalium offenſarum. Vnde ſe non aliter emendantes & exercentes, non perueniunt ad amorem virtutum, & ideo in perſeuerantia defecerunt. Anima quippe ſtare non valet immobilis, videlicet in vno ſtatu, vnde neceſſarium eſt ipſam procedere ſiue retrocedere: veluti nauicula quæ ducitur contra curſum fluuij decurrentis. Ita quòd iſti non procedendo virtuosè, relinquentes imperfectionem huiuſmodi timoris, nec ad amorem feſtinantes oportet, quòd omnino retrocedant.

QVALITER HAEC ANIMA MVLtùm amaricata fuit ex illorum cæcitate, qui in flumine mergabantur,

CAPVT. L.

TVnc hæc anima cum ingenti deſiderio anxia, ſuam & aliquorum attendens imperfectionem, afflictione magna cruciabatur in corde, videndo pariter & audiendo tantam in homine cæcitatem: attendendo præcipuè, quòd diuina bonitas obſtacula cuncta, quæ poſſent impedire ſalutem eius, ab eo remouerat: & in quocunq; ſtatu perſiſtere vellet, inuenire gratiam Dei poterat, qua mediante cuncta redundabant in bonum, & ad exercitium, experimentum ac augmentum virtutis. Et nihilominus his non obſtantibus, ipſa plurimos aſpiciebat ex amore proprio, & inordinato affectu, voluntariè tranſire per flumen. Et quia ſe non emendabant, videbat eos in ignem apertè præcipitari. Aliqui tamen erant ibi, qui retrocedere feſtinabant, ex cauſa quam audierat à dulciſſima bonitate Dei, qui dignatus fuerat ita gratioſé manifeſtare ſeipſum ei. Erat igitur ex his amaro corde. Firmauit inſuper oculum intellectus in patrem æternum, & ait: O amor ineffabilis & inæſtimabilis, cum grandi cæcitate creaturæ tuæ ſe decipiũt: ſed obſecro, ſi bonitati tuæ placet, quòd apertiùs exponere mihi digneris illos tres gradus in corpore dilectiſſimi filij tui ſignificatos. Et qui modus eſt habendus, ad exeundũ ex toto de flumine, ac etiam qui ſunt illi qui ſcalam aſcendunt.

QVO-

QVOMODO TRES GRADVS IN ponte figurati: videlicet, in filio Dei ſignificant tres potentias animæ.

CAPVT. LI.

DIuina verò bonitas oculo miſericordiæ ſuæ reſpiciens illius animæ deſiderium ita famelicum, ait. Amabilis atq; chariſſima filia, nunquam ego contemno, immo gratenter accepto ſancta deſideria: Quare tibi declarare decreui, hæc, quæ petiſti. Tibi declarari poſcis de figura trium graduum, & quod etiam tibi dicam, qui modus teneri debet, vt exeuntes à flumine põtem aſcendere poſſitis. Et quãuis ego ſupra narrando tibi cæcitatẽ hominum, & vnde procedebat eorum vitanda deceptio, & quomodo veluti Martyres Dæmonũ, in vita præſenti arram inferni guſtabant: poſtmodum verò percipiebant æternam damnationem, in fructum operationum iniquarum. Illo tunc expreſſi tibi modum, quem ipſi tenere debebant: nunc autẽ apertiùs oſtendam, tuo deſiderio ſatisfaciendo. Tu noſti, quòd omnia mala fundata ſunt in amore proprio & inordinato, & inde trahunt originem, qui amor eſt velut vna obſcura nubes, quæ priuat hominem lumine rationis: quæ ratio continet in ſe lumen veræ fidei: nec vnum amittitur abſq; reliquo. Animam ego creaui ad imaginem & ſimilitudinem meam, exhibendo ſibi memoriam, intellectum, & voluntatem. Intellectus verò nobilior pars eſt animæ. Intellectus ipſe

mouetur ab affectu: intellectus verò nutrit affectum. Manus autem amoris, videlicet affectus implet memoriam beneficiorum, à me gratiosè ſibi conceſſorum: ita vt iugiter in me delectetur. Quorum affectuosa memoria facit eum ſollicitum atq; gratum, & omnino vitare facit, hominem eſſe negligentem & ingratum. Per hunc ergo modum vna potentia contribuit alteri: & ita nutritur anima ſemper in vita gratiæ. Non. n. poteſt anima viuere ſine amore, ſed ſemper optat aliquid amare, quoniam ex amore condita fuit: Nam ipſam ex amore puriſſimo creaui, & ideo tibi dixi ſuperiùs, intellectum ab affectu moueri, quaſi dicens: Ego diligere volo, quia cibus ex quo nutrior, eſt amor. Tunc intellectus ab affectu ſe percipiens excitari, ſurgit quaſi dicens: Ego dabo tibi, ſi vis amare, quid amare ſalubriùs valeas. Et illicò conſurgens attentè conſiderat animæ dignitatem, in qua creata fuit, ac indignitatem in quam ex culpa ſua deuenit. In dignitate quidem eſſentiæ ſuæ guſtat inæſtimabilem bonitatem atq; charitatem increatam, qua fuit à me creata: ſuam verò miſeriam attendendo guſtat ineffabilem miſericordiã meam, quoniam ex paterna miſericordia præſtiti ſibi tempus ad pœnitentiam, atq; de tenebris eam extraxi. Tunc affectus amore paſcitur & nutritur, & aperiens os deſiderij ſancti, çomedit odium atq; diſplicentiam propriæ ſenſualitatis, humilitate profunda peruncta cum vera patientia, quam ab odio ſancto traxit. Virtutibus verò conceptis imperfectè patiuntur, atq;

per-

perfectè, ſecundum quòd anima perfectionem exercet in ſemetipſa, ſicut inferiùs apertè tibi pondam. Sic econuerſo, ſi ſenſitiuus affectus mouetur ad amandum ſolummodo ſenſibilia, tunc oculus intellectus ad illa mouetur, atq; tantummodo tranſitoria cum amore proprio ſibi proponit in obiectum, cum diſplicentia virtutum, & amore vitiorum: vnde ſuperbiam & impatientiam attrahit. Memoria verò non impletur niſi tantùm eorum quæ ſibi porrexit affectus. Hic amor peſſimus obſcurauit oculum qui non videt, neq; diſcernit aliquid apertè, niſi cum quadam obfuſcata claritate. Quæ claritas obfuſcata conſiſtit in eo, quod quæcunq; videt intellectus, & affectus amat cum quadam claritate, ſiue ſpecie boni, ſiue delectationis: quia non eſſet hæc apparentia boni, homo non offenderet: quia naturaliter homo non appetit niſi bonum. Itaq; vitium amore, atq; colore boni proprij coloratur: & ideo culpa committitur. Quoniam igitur oculus ex obfuſcatione ſua minimè diſcernit, neq; veritatem agnoſcit, ex hoc errat quærendo bonum, atq; delicias vbi non ſunt. Iam. n. pateſeci tibi quòd deliciæ mundi, ſunt abſq; me ſpinæ pungentes atq; venenoſæ, ita quòd intellectus in ſua viſione fallitur, & voluntas in diligendo, quia diligit ea quæ non debet amare. Similiter etiam in retinendo, memoria fallitur. Intellectus. n. agit, veluti latro agere ſolet aliena rapiendo. Et ita memoria recordatur eorum quæ ſunt extra me. Hoc ergo modo priuatur anima gratia.

Tanta

Tanta eſt vnitas vel vnio trium iſtarum animæ potentiarum, quòd vna me non offendit abſq; reliquis, quoniam vna porrigit alteri bonum ſiue malum, vt arbitrio libero placet, ſicut ex præcedentibus apertè colligere potuiſti. Liberum hoc arbitrium eſt affectui colligatum, & ideo mouet illum, vt ei placet, aliquãdo cũ lumine rationis, aliquãdo ſine tali lumine. Vos habetis in me rationem alligatam, in qutãum amor inordinatus, arbitrio libero mediante, non diuidat atq; præcidat. Et in vobis habetis legem peruerſam, quæ quotidie contra Spiritum inpugnat. In vobis ergo duæ partes exiſtunt, videlicet ſenſualitas atq; ratio. Senſualitas omnino ſeruire debet animæ: idcirco vobis à mea bonitate conceſſa, vt ipſo corpore mediante probetis, & in vobis virtutes exerceatis. Anima vobis libera eſt: nam à culpa liberata fuit in ſanguine dilectiſſimi filij mei, neq; poteſt in ſeruitutem redigi niſi ſponte conſenſerit. Voluntas autem eſt libero arbitrio colligata, & ipſum liberũ arbitriũ voluntati ſemper vnitur & cum ea concordat. In medio namq; conſiſtit inter ſenſualitatem aq; rationem, & ad vtrãq; partem, vt ei placuerit, vertere ſe liberè poteſt, vel inclinare. Verùm quando vult anima manu liberij arbitrij ſuas potentias in nomine meo congregare, ſicut iam dixi, tunc opera cuncta, Spiritualia videlicet atq; temporalia, quæ creatura facit, ordinata ſunt & aggregata: & illo tunc liberum arbitrium à propria ſenſualitate ſoluitur, & virtuoſæ rationi connectitur. Et ego per gratiam in eorum

medio conſiſto. Et hec eſt quod veritas incarnata voluit exprimere, dicens: Vbi duo ſiue tres congregati fuerint in nomine meo, ego ero in medio eorum. Et ita verum eſt. Ego iam dixi tibi, quòd nemo poterat ad me venire niſi per eum. Ideo factus eſt humano generi pons cum tribus gradibus. Qui gradus tres animæ ſtatus apertiſſimè figurant, vt infra patebit.

QVOMODO SI ANTEDICTAE tres animæ potentiæ non ſunt vnitæ, non poſt haberi perſeuerantia, ſine qua nullus ad ſuum terminum peruenire poterit.

CAPVT. LII.

TRium graduum figuram in genere tibi ſignificare dixi tres animæ potentias, quæ ſimilitudinariè tres apparent eſſe ſcalæ. Nec aliquis aſcendere poteſt vnã abſq; reliquis, volẽdo tranſire per pontem atq; doctrinam vnigeniti filij mei. Nec anima poteſt habere perſeuerantiam, niſi tres has pototentias vnitas habuerit in ſe: de qua perſeuerantia tibi ſupra dixi, quòd abſq; illa nemo poterat ad ſuum temınum peruenire. Duo namq; termıni ſunt, & vterq; perſeuerantiam exigit, videlicet virtus & vitium. Qui vult ad vitam attingere, perſeuerare debet in virtute. Si quis verò vellet æternaliter igne cruciari, perſeuerare poteſt in vitio. Itaq; cum ſancta perſeuerantia peruenitur ad me, qui ſum æterna vita.

vita: Et econuerſo cum perſeuerantia peruenitur ad aquam mortuam cum Dæmoni guſtandam.

EXPOSITIO ILLIVS VERBI IESV CHRISTI: Si quis ſitit, veniat ad me & bibat.

CAPVT. LIII.

Vos omnes eſtis à veritate mea particulariter atq; generaliter inuitati cum anxio deſiderio, clamabat in templo filius meus, dicens: Siquis ſitit, veniat ad me & bibat, quia ſum fons aquæ viuentis. Non. n. dixit vadat ad patrem & bibat: ſed ait, veniat ad me. Quare dixit ita: Quoniam in me patre, nulla poteſt eſſe ſiue cadere pœna, ſed in dilectiſſimo filio meo ſic. Vos verò dum eſtis in vita mortali, viatores atq; peregrini, non poteſtis abſq; pœna tranſire, quia terra propter inobedientiam Adæ, ſpinas humano generi germinauit, vt iam dictũ eſt. Sed quare dixit, veniat ad me & bibat? Quia ſectantes doctrinã eius, & veſtigia, ſiue per viam cõmunis charitatis: videlicet obſeruando mandata eius actualiter, & conſilia mentaliter, vel ambulando per viam perfectæ charitatis, videlicet actualiter obſeruando mandata pariter & conſilia quocunq; modo perueneritis ad ipſum, inuenietis abundantiſſimè quid potare poſſitis: inuenientes atq; guſtantes fructum pretioſi ſanguinis eius, ex vnione naturæ diuinæ in humana natura vnitæ. Cùm autem eſtis in eo, reperitis vos & in me conſiſtere, qui mare ſum valde pacificum,

quo-

quoniam ipſe mecum,& ego ſecum vnum ſumus. Indubitanter igitur eſtis inuitati, ſicut dictum eſt: ad fontem aquæ viuentis diuinæ gratiæ. Sed vos oportet omnino per ipſum habere tranſitum, veluti per ſalutiferum pontem veſtrum cum ſancta perſeuerantia: ita quòd occaſione ſpinæ cuiuſcunq; tribulationis, vel aduerſitatis, ſiue proſperitatis, à ſancto propoſito nullo modo retrocedatis vnquam, quouſq; perueniatis ad me, qui do fidelibus meis aquam viam, quam vobis abundantiſſimè dare promitto, dulciſſimo verbo filio meo glorioſo mediante. Sed quare dixit? Ego ſum fons aquæ viuæ. Quoniam ipſe fuit, & eſt ille fons, qui me continebat, qui viuam aquam exhibeo cunctis amicis meis. Sed ideo dixit, veniat ad me, & bibat, quoniam in me nullo modo pœna cadere poteſt, & vos abſq; pœna nullatenus pertranſire poteſtis. Ideo vobis pontem ex ipſo conſtruxi, vt per eum ſolum ad me venire poſsitis illæſi. Et ita dixit ipſa veritas in Euangelio: Nemo venit ad patrem niſi per me, quod vtiq; veriſſimum eſt. Iam ergo vidiſti viam per quam vos oportet ambulare, vnâ cum modo quem tenere debetis, videlicet cum iugi perſeuerantia. Nam alio modo bibere non poſſetis, nec ad aquam viuam perueniretis: quia ſola perſeuerantia corona glorioſæ victoriæ coronabitur à me, qui ſum omne bonum.

QVEM MODVM TENERE DEbent homines, vt exire de pelago poſsint illæſi, & tranſire per pontem.

CA-

CAPVT. LIIII.

IN præſenti reſummo narrandum de tribus gradibus, quos vos oportet aſcendere, ſi cupitis in fluuio non immergi, & ad aquam viuam illæſi peruenire, ad quam ita dulciter inuitamini: & vt ego quotidie ſim in medio veſtri. Quia tunc in itinere veſtro ſum in medio quieſcendo: videlicet per gratiam in animabus veſtris. Oportet igitur, hanc viam ambulare cupientes habere ſitim, quia ſolummodo ſitientes inuitātur, cum dicitur. Si quis ſitit veniat ad me & bibat. Qui verò minimè ſitit, in itinere non perſeuerat, ſed ambulare deſiſtit, aut occaſione laboris, vel occaſione delectationis alicuius. Et omittit vas habere ſecum, in quo poſſit haurire: nec eſt ei cura ſocietatem habere, cum tamen ſolus ambulare nequeat. Et ideo retrocedit, quando ſentit aliquarum anguſtiarum ſiue tribulationum aculeos: Illas. n. abhorret. Timet etiam quando ſolus eſt, ſi. n. aſſociatus eſſet, proculdubio non timeret. Inſuper ſi tres illos gradus aſcendiſſet, veriſſimè ſecurus eſſet, eò quòd aſſociatus eſſet. Oportet ergo vos habere ſitim & congregatos eſſe. Quare veritas incarnata dixit: Vbi duo fuerint vel tres, vel etiam plures, in nomine meo congregati &c. Sed propter quid dixit. Vbi fuerint duo, vel tres? Quia duo minimè ſunt abſq; tribus, neq; tres abſq; duobus: Neq; tres ſiue duo abſq; pluribus. Vnus eſt excluſus, quia nō ſum in medio ſui, pro eo quòd aliquē ſociū ſecū habere noluit, vt in medio ſtare poſſē, & ideo reducitur ad nihilū. Nam ille qui conſiſtit in amore

proprio

proprio ſui ſolus eſt atq; ſeparatus à gratia mea, priuatus etiam ſui proximi charitate. Cùm igitur ex culpa ſua excluſus ſit à me, meritò gratia mea priuatus, redigitur in nihilũ: quia ſolus ego ſum ille, qui ſum. Igitur unus ille qui priuatus charitate fraterna, ſolus in amore ꝓprio cõſiſtit, non eſt auctoritate mea computatus, neq; mihi acceptus. Ait ergo: Vbi fuerint duo ſiue tres, vel plures in nomine meo congregati, in medio eorum ſum, dixi tibi, quòd duo non erant abſq; tribus, neq; tres abſq; duobus, & ita verum eſt. Tu noſti quòd præcepta legis in duobus tantummodo pendent, ſine quibus nullum aliud obſeruari poteſt, videlicet vt homo ſuper omnia Deum ex toto corde diligat, & proximum tanquam ſeipſum. Hîc omnino conſiſtit omnium mandatorum diuinæ legis principium, medium, atq; finis. Ita duo non poſſunt in nomine meo congregari ſine tribus, videlicet abſq; trium animæ potentiarũ aggregatione, quæ ſunt memoria, intellectus & voluntas: Videlicet vt memoria iugiter in ſe retineat abundantiam beneficiorum meorum, & inæſtimabilem bonitatem meam in ſe. Intellectus verò diligenter attẽdat amorem ineffabilem, quem humano generi porto, atq; demonſtraui mediante dilectiſſimo filio meo, quem in obiectum intellectus oculo collocaui, vt in eo cõſideret ignẽ diuinæ charitatis. Voluntas etiam inſimul aggregetur, vt me diligat, & affectuoſo deſiderio peroptet, qui ſum omne bonum, & omnium finis optabilis. His ergo tribus animæ potentijs inſimul aggregatis, ego ſum per gratiam in medio. Et quia tunc homo ſe repletum inuenit vera charitate mea, pariter & proximi ſui, ſubitò ſocie-

tatem inuenit verarum virtutum. Tunc ad ſitiendum, appetitus animæ ſe diſponit, ſitiendo, videlicet virtutes veras & honorem meum atque ſalutem animarum, extincta ſiti quorumcunq; corporalium atq; temporalium. Et ita primum gradum aſcendens, valde ſecurè graditur abſque timore quocunq; ſeruili. Poſtquam affectum ſuum expoliauit amore proprio, ſupra ſemetipſum aſcendit & ſuper vniuerſa tranſitoria mundi, res & diuitias amando atq; poſsidendo, ſi ſibi retinere placet, iuxta beneplacitum voluntatis meæ non abſq; me: videlicet cum ſancto timore pariter & amore virtutum. Tunc verò ſe reperit aſcendiſſe gradum ſecundum: videlicet ad lumẽ intellectus, quo diligentiſsimè ſpeculatur, & attendit amorem exceſsiuum atq; cordialem, quem vobis apertiſſimè demonſtraui, dilectiſsimo filio meo Ieſu Chriſto mediante. In hoc autem gradu ſecundo quietem atq; pacem inuenit, eò quòd memoria non eſt vacua, ſed plena charitate mea. Tu noſti quòd vas vacuum, quando percutitur ab aliquo, reſonat. Simili modo quando memoria cum lumine intellectus repletur amore vero, licet exagitetur à tribulationibus vndecunq; perueniant: non reſonat per impatientiam: vel ſi delicijs vitæ præſentis alliciatur, in ordinato gaudio nullo modo diſſoluitur, quoniam anima me per gratiam habet, qui ſum eſſe bonum, & eam fœliciſsimè repleui. Poſtquam autem aſcendit hos gradus in congregatione ſancta ſe reperit: quia ſi ratio poſsideat hos tres gradus trium potentiarum animæ congregatæ ſunt in nomine meo. Congregatis illis duobus, qui ſunt amor mei & proximi: & congregata

memo-

memoria, vt me retineat, & intellectu vt videat: & voluntate vt amet, anima ſe reperit optimè ſociatam, quia ſum vbiq; ſecum, exhibendo ſibi fortitudinem atq; ſecuritatem. Et ita reperit ſocietatem virtutum: & iſto modo ſecuriſsimè procedit, quia ſum in medio tunc illarum. Poſt hæc illicò mouetur anxio deſiderio, ſitiendo uiam veritatis, per quam inuenit aquæ fontem abũdantiſsimum. Propter huiuſmodi ſitim quam habet honoris mei, & ſalutis animæ ſuæ & proximi ſui, viam inuenire & perambulare deſiderat, quia ſine via peruenire nequiret. Ideo ſollicitè vadit: & ambulando ſecum aſſert vas cordis, vacuum omni affectu & amore quolibet inordinato vitæ præſentis. Et illicò, quia vacuum eſt impletur, quia non eſt dare vacuum. Vnde ſi quid aliqua re materiali vacuum eſt impletur aëre. Simili modo cor eſt vnum vas, quod nullo modo vacuum eſſe poteſt, ſed extractis inde rebus tranſitorijs, per amorem inordinatum illicò repletur aëre, videlicet amore cœleſtium atque diuino, cum quo peruenit ad aquam gratiæ. Poſtquam autem attigerit per ianuam Ieſu Chriſti crucifixi, pertranſit in me mare pacificum, vbi reperit aquã viuam, qua iugiter abundantiſsimè ſitiendo potatur.

REPETITIO SVMMATIM ALIquorum iam dictorum.

CAPVT. LV.

N*Vnc apertè tibi monſtraui modum, quem generaliter omnis homo tenere debet ad exeundum de*

pelago, ne ſuffocetur in eo, vnde poſtea perueniat ad æterna ſupplicia. Oſtendi quoq; tibi tres gradus in generali, qui ſunt tres animæ potentiæ, quorum homo non valet vnum aſcendere ſine reliquis. Item verbum incarnatæ veritatis explanaui cum ait, vbi fuerint duo ſiue tres congregati &c. qualiter iſta congregatio eſt animæ trium potentiarum, atq; trium graduum prædictorum, vnâ cum concordia duorum principalium præceptorum legis, videlicet dilectionis Dei atq; proximi. Poſtquam verò homo huiuſmodi ſcalam aſcenderit in nomine meo, facta congregatione ſalubri, prout iam ſupra dixi, ſubitò ſitit aquã viuã, vnde tranſit per pontẽ, videlicet ſolicitè viam atque doctrinam incarnatæ veritatis, id eſt, Ieſu Chriſti filij mei, de quo feci pontem humano generi. Tũc illæſi ſecuriſſimè curritis, poſt vocem eius vos inuitantis, cùm in templo clamabat: Si quis ſitit veniat ad me & bibat, quia ſum fons aquæ viuæ. Patefeci tibi quid ipſe dicere volebat, atq; ſicut intelligi debet, vt apertiùs agnoſcentes abundantiam excellentiam excellentiſſimæ charitatis meæ & confuſibilem cæcita[illegible]orum, qui videntur auiditate magna currentes ambulare per viam Dæmonũ, eos ad aquam mortuam atq; mortiferam inuitantiũ. Nunc audîſti & ordinatè vidiſti declamationes eorum, de quibus à me petiſti, videlicet de modo tenendo, ne quis in flumine ſubmergatur: hoc eſt aſcendendo per pontem, per ſupradictos gradus, vt ſupra ſeriosè dictum eſt. Et iſte modus eſt ille, quem omnes in quocunq; ſtatu fueritis, in vita veſtra tenere debetis. Vnde nemo ſe poteſt excuſare, dicens: Iſta facere nequeo, quia

ſtatus

ſtatus in quo ſum omnino mihi contradicit, ſiue propter uxorem ſiue propter filios, aut huius mundi proſpera vel aduerſa, nemo legitimam inuenire poteſt excuſationem, quia iam tibi dixi, quòd in omni ſtatu quicunq; ſeruat bonam in ſe voluntatem, valde mihi placet, & acceptus eſt in conſpectu meo. Quoniam omnia facta ſunt à me, qui ſum æterna bonitas, neq; ſunt vobis à me conceſſa: vt inde mortem incurratis, immo potiùs, vt vitam vobis inueniatis. Quod enim à vobis exigo, leuiſſimum eſt. Nihil enim eſt agiliùs, neq; tantæ dulcedinis atq; conſolationis, vt eſt amor: & ego ſolùm à vobis amorem exquiro, videlicet vt me pariter & proximum affectuosè diligatis. Hoc itaq; fieri poteſt omni tempore, in omni loco, et in quocunq; ſtatu quiſq; fuerit, etiam amando quæcunq; poſſidet, atq; tenere voluerit ad laudem & gloriam nominis mei, voluntate ſancta & ordinata. Recordare, me tibi dixiſſe, quòd illi qui ſine lumine vadũt, amorem proprium induentes, iſta creata poſſidendo ſine me, ſe damnabiliter eſſe fundatos inueniunt: & ſibimetipſis importabiles cruciati, cum multo labore in vita præſenti pertranſeunt. Et niſi ſe corrigant, vt iam dictum eſt, ad æterna ſupplicia deducuntur. Apertè nunc expoſui tibi generaliter, qui modus à quolibet homine tenendus eſt.

QVOMODO DEVS OSTENDIT huic animæ, quòd tres gradus pontis in particulari ſignantur per tres animæ ſtatus.

CAPVT. LVI.

QVia ſupra dixi, qualiter ambulare debẽt illi, qui morantur in charitate communi, videlicet obſeruantes actualiter præcepta, conſilia verò mẽtaliter. Nũc pandere tibi propoſui de his qui ſcalas aſcendere cœperunt, & ambulare deſiderant viam veræ perfectionis: videlicet actualiter obſeruando præcepta pariter & omnia conſilia. Inſuper aperiam in particulari tres gradus atq; ſtatus animæ cum tribus illis gradibus, de quibus in genere tibi dixi, pro tribus animæ potentijs intelligendis, quorum vnus eſt imperfectus, alter eſt perfectus, alius verò perfectiſſimus. Vnus eſt mihi ſeruus mercenarius, alius eſt mihi ſeruus fidelis, alius eſt mihi filius: quia me diligit in veritate ſine reſpectu ſui. Iſti ſunt tres animæ ſtatus, qui poſſunt in quàm pluribus eſſe, etiam in eâdem perſona. In eâdem perſona poſſunt eſſe, quando cum perfecta ſollicitudine currit per viam, ſuum exercendo tempus, ita quòd à ſeruili ſtatu perueniat ad liberalem, & à liberali ad filialẽ. Super temetipſam igitur exurgens, aperi oculum intellectus, & attende peregrinos atq; viatores iſtos, quomodo tranſeunt aliqui cum imperfectione, aliqui verò cum perfectione ſeruantes in vita ſua præcepta: quidam alij perfectiſſimè ſeruando præcepta pariter & conſilia. Tũc enim apertè cognoſces vnde procedit imperfectio: & unde ꝑfectio: et quantam fraudem anima recipit in ſemetipſa, quia radix amoris proprij nõ eſt adhuc euulſa. Neceſſariũ eſt enim in quocunq; ſtatu, quẽ tenuerit homo, vt occi-

dat in ſe penitùs hunc amorem proprium ita peſtiferum.

QVOMODO HAEC ANIMA DEuota reſpiciens in diuino ſpeculo, creaturas videbat varijs ambulare modis.

CAPVT. LVII.

T*Vnc hæc anima ſuccenſo deſiderio multùm anxia ſe ſpeculans in dulciſsimo ſpeculo diuino, creaturas varijs vijs atq; modis ambulare videbat, atq; diuerſis reſpectibus: vt ad ipſarum finem peruenire valerent. Quoſdam aſpiciebat incipientes aſcendere, quodam timore ſeruili eos impugnante: videlicet pœnam propriam abhorrentes atq; formidantes. Multos etiam videbat vocationem primam exercentes virtuosè, vnde perueniebant ad perfectionem. Pauciſsimos verò cõſiderabat ad maximam venire perfectionem.*

QVOD TIMOR SERVILIS SINE dilectione virtutum non ſufficit vitam æternam impendere: Et quòd lex antiqua timoris, & noua lex amoris, inſimul ſunt vnitæ.

CAPVT. LVIII.

T*Vnc æterna Dei bonitas volens huius animæ deſiderio ſatisfacere, dixit: Attende diligenter iſtos, qui cum ſeruili timore dereliquerunt mortalium peccatorum abominationes, niſi ſurgant atq; procedant*

tedant cum amore virtutum: iſte ſeruilis timor ad vitam æternam exhibendam nullo modo ſufficit. Amor verò cum ſancto timore benè ſufficiens eſt. Lex enim fundatur in amore pariter et in ſancto timore. Lex enim timoris erat antiqua lex quam exhibui Moyſi. Hæc in timore ſolummodo fundata fuit, eò quòd illicò commiſſa culpa punitio ſequebatur. Lex verò noua per vnigenitum meum verbum incarnatum exhibita, in amore fundatur. Tamen attende, quia per huiuſmodi nouam legē minimè ſoluitur, vel irritatur antiqua, ſed impletur. Ita dixit ipſa veritas incarnata, quia non venerat in mundum ſoluere legem, ſed ad implere. Vniuit ergo legem amoris cum lege timoris. Abſtulit antiquæ legi, pœnæ timoris imperfectionem, ſolūmodo remanente timore ſancto: videlicet peccatis & offenſionibus abſtinendo, non ex conſideratione pœnæ quæ ſequatur, immo ſolùm amore mei ne ſim offenſus, qui ſum æterna bonitas. Itaq; vetus lex imperfecta habuit à noua lege perfectionem amoris, ex quo venit vnigenitus filius meus, qui venit velut igneus currus igneæ meæ charitatis, vniuerſum orbem accendere. Igitur ex abundantia diuinæ miſericordiæ fuit ablata ſiue dilata pœna culparum, quæ frequentiſsimè perpetrantur: quia videlicet non indilatè puniuntur ipſo facto quo committuntur: vt in antiqua lege Moyſi fuerat ordinatum. Non expedit ergo vobis habere timorem huiuſmodi ſeruilem. Neq; tamen omittitur qui iuſtè culpa puniatur, quia reſeruatur in futura vita punienda cum anima ſeparata fuerit à corpore, niſi quis in præſenti ſatisfaciat cum ſancta confeſſione.

feſſione, contritione cordis atq́, debita ſatisfactione. Dũ homo viuit habet abundantiſſimè nunc tempus, ipſo verò mortuo erit ei tempus iuſtitiæ. Quilibet ergo virtuosè debet ab iſto timore ſeruili conſurgere, & ad amorem attingere cum ſancto timore mei. Aliàs abſq́, remedio precipitaretur in flumen, aduenientibus vndis aduerſitatum, ſiue ſpinis temporalium conſolationum, quæ rectè ſpinæ vocari debent, eò quòd animam eius excruciando pungunt, qui poſſidet eas & amat inordinatè.

QVALITER EXISTENS IN GRAdu timoris primo, peruenire poteſt ad gradum amoris, qui ſecundus eſt.

CAPVT. LVIIII.

Tibi iam dixi, quòd nemo poterat exire de flumine procelloſo, & ambulare per pontem, niſi tres illos gradus aſcendat: & ita verum eſt, quos, aliqui aſcendunt imperfectè, aliqui perfectè, quidam verò perfectiſſimè. Iſti qui mouentur à timore ſeruili, aſcenderunt quidem & aggregati ſunt imperfectè. Nam anima conſiderando pœnam quæ ſequitur poſt culpam, aggregat in ſe memoriam, vt ab ea reminiſcentiam vitiorum extrahat. Et intellectum, vt videat pœnam ex culpa ſua debitam: & ideo voluntas mouetur ad odium aduerſus eam. Et quamuis iſte ſit primus atq́, communis aſſenſus & congregatio, tamen oportet exercere virtuosè cũ lumine intellectus, et illuminata pupilla ſanctiſſimæ

fidei conſiderando non ſolummodo pœnam ſuam, immo fructum virtutum, & amorem affectuóſum quem ad homines habeo: vt cum amore filiali procedant, & aſcendant pedibus affectus animæ timorem ſeruilem exuendo. Si facient iſta mihi ſerui fideles efficientur, & nō infideles, mihi ſeruientes ex amore ſyncero, & non ex timore ſeruili. Si verò cum odio ſancto conabuntur euellere amorem proprium ab anima radicitùs, ſi fuerint virtuosè prudentes, conſtantes, & perſeuerantes verè poterunt illuc attingere. Plurimi verò ſunt quorum aſſenſus atq; principium eſt cum tanta & tali negligentia, tepore mentis & ignorantia quòd illicò deficiunt. Quilibet ventus quantumcunq; paruus ad velum ire compellit, & eos ab incœpta via retrocedere facit, quoniam imperfectè primum gradum aſcenderunt Ieſu Chriſti crucifixi. Et ideo non attingunt ad gradum ſecundum, videlicet ad cor.

DE IMPERFECTIONE SERVIENtium Deo, ſiue diligentium ex vtilitate, ſiue conſolatione propria.

CAPVT. LX.

ALiqui verò ſunt effecti ſerui fideles: quia videlicet mihi fideliſſimè ſeruiunt abſq; timore ſeruili, non ſeruientes timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ. Amor iſte quando reſpectu propriæ conſolationis, vel vtilitatis oriretur, eſſet imperfectus. Vis apertè cognoſcere, quòd amor huiuſmodi perſonarum eſt imperfectus? Quando priuatæ ſunt ipſarum conſolatione quam in me reperiebant, amor ille minimè perſeuerat, immo tepeſcit:

peſcit: & aliquando deficit. Et hoc etiam imperfecto amore proximum ſuum diligit. Erga me tepeſcit amor ille, quando volens aliquando ſeruum meum in virtutibus exercere propter vtilitatem ipſius, vt ab imperfectione reſurgat: ego ſubtraho conſolationem quam habere ſolebat in me, permittens ei moleſtias atque diuerſa bella prout expedire cognoſco, & eſt de voluntate mea. Et hoc ita permitto, vt ad ſui notitiam veniat & apertè ſe recognoſcat, omnino nihil à ſemetipſa poſſe, ac vt in tempore tempeſtatis atq; bellorum huiuſmodi, recurſum habeat ad me, cum humilitate me quærens atque recognoſcens, me eſſe benefactorem & adiutorem eius. Et ad hoc ego tribuo ſiue retraho conſolationem, ſed non gratiam meam. Tales autem iſto tempore tepeſcunt in amore retrocedentes cum impatientia mentis. Quandoq; multis modis exercitia ſancta, quæ ſolebant agere dimittunt: etiam aliquando ſub colore virtutis, in corde ſuo, dicentes: Hæc operatio tibi nullius eſt valoris, ex quo nullam inde recipis vtilitatem ſiue conſolationem in mente tua. Quicunq; dicit ita, facit velut imperfectus, qui pannum amoris proprij ſpiritualis à pupilla oculi ſanctiſſimæ fidei non amouit adhuc: quia ſi pannum illum amouiſſet, apertè videret quòd hæc omnia procedunt à me, immo neq; folium arboris abſq; prouidentia mea cadit. Et omnia quæcunq; concedo ſiue permitto ſeruis & amicis meis, do propter eorum ſanctificationem, vt uidelicet habeant illum finem ad quem eos creaui. Hoc.n. apertè debēt intelligēdo cognoſcere, ꝙ optò bonum atq; ſalutem ipſorum in ſanguine dilectiſſimi

filij

filij mei, vbi loti ſunt ab omnibus iniquitatibus eorum. In quo ſanguine manifeſtè cognoſcere poſſunt veritatem meam. Nam vt haberent vitam æternam, eos ad imaginem meam valde gratioſè creaui, poſtmodum autem ipſos filios adoptiuos ad gratiam in ſanguine filij mei vnigeniti recreaui. Sed quoniam ipſi ſunt imperfecti, ſeruiunt ex vtilitate propria, & in charitate proximi tepeſiunt. Primi retrocedunt atq; deficiunt ex timore volentes effugere pœnam. Iſti verò ſecundi tepeſiunt in amore proximi, ſubtrahentes vtilitatem, quam ei facere ſolebant, ſi ſe priuatos viderint vtilitate ſiue conſolatione, quam recipere ſolebant. Et eis accidit, quoniam amor eorum non erat verus, neq; purus, ſed imperfectus. Nam cum imperfectione qua me diligunt etiam amant proximum, videlicet ex vtilitate propria. Et niſi recognoſcant imperfectionem propriam, cum auiditate perfectionis, impoßibile videtur quòd ipſi non retrocedant. Igitur expedit omnino volentibus habere vitam æternam, vt abſq; vtilitatis propriæ reſpectu diligant. Non ergo ſufficit vitare peccatum formidine pœnæ: vel amplecti virtutes intuitu propriæ vtilitatis, ad vitam æternam acquirendam: ſed expedit vitare peccata, quia mihi diſplicent: & amare virtutes intuitu & amore mei. Verum eſt, quòd quaſi generalis eſt iſta prima vocatio peccatorum ad pœnitentiam, eò quòd anima priùs eſt imperfecta quàm perfecta. Et ab imperfectione procedere debet ad perfectionem, vel in vita, dum ei tempus adeſt: videlicet virtuosè viuendo, corde ſyncero atq; liberali, diligendo me ſine reſpectu

ſpectu ſuæ vtilitatis: vel in morte ſaltem agnoſcendo ſuam imperfectionem cum propoſito, quòd ſi ſuperuixerit mihi ſeruiet abſq; ſui reſpectu. Hac imperfecta dilectione amabat Petrus Ieſum unigenitum meum, valde ſyncerè ſentiendo dulcedinem conuerſationis ipſius. Sed adueniente tempore tribulationis omnino defecit, & non ſolummodo tunc vitam pro ipſo, vt aſſeruit, non expoſuit, verùm etiam ad tantum inconueniens deductus eſt, quod ex formidine pœnæ tunc eum etiam iuramento negauit, aſſerens eum nullatenus agnouiſſe. Anima quæ ſcalas iſtas aſcendit ſolummodo cum timore ſeruili & amore mercenario, proculdubio deducitur ad inconuenientia multa: debet ergo ſurgere ab his imperfectionibus ſuis, & tanquam verus filius ſeruire mihi fideliter abſq; reſpectu ſui. Ego verò remunerator omniũ exercitiorũ, quæ fiũt amore mei, retribuo vnicuiq; iuſtè ſecundũ gradũ ac exercitium ſuum. Et ſi tales exercitiũ orationis, & aliorum bonorum operum virtuosè proſequantur, iugiter augmentando virtutes in ſe peruenient ad filialem amorem, & ego diligam eos amore paterno: quoniam ego diligentes me diligo, illo amore quo diligor ab eis: videlicet ſi diligor ab aliquo, ſicut ſeruus dominum ſuum diligit: & ego tanquam dominus ei retribuo, prout iuſtè promeruit: ſed meipſum tali non manifeſto: quia ſecreta ſolùm amico fideli panduntur, qui factus eſt ex amore cordiali vnum cum amico ſuo. Quanquam iſte ſeruus, amorem & virtutem ſuam erga dominum ſuum augmentare poteſt, ita quòd amicus efficietur valde præcipuus: ita contingit huiuſmodi ſeruis meis. Dum enim in

amore mercenario commorantur, ego meipſum eis non manifeſto: ſi verò cum diſplicentia imperfectionis eorũ, & amore virtutum cum odio ſancto, radicem amoris proprij ſpiritualis peruerſi atq; venenati realiter euulſerint ab animo, & aſcendendo ſuper conſcientiæ ſedem ſibimet iuſtitiam egerint: ita quòd motus in corde ſeruilis timoris & amoris mercenarij ſine correctione non tranſeant: et illos cum lumine ſanctiſſimæ fidei puniant: ita faciendo mihi valde placebunt & ex inde peruenient ad amorem amici. Et ita manifeſtabo meipſum eis prout veritas incarnata dixit. Qui diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum: & ei manifeſtabo meipſum, & faciemus manſionem inſimul: Hæc eſt cõditio amicorum, qui ſe inuicem in veritate diligunt: quia ſunt duo corpora, ſed anima vna per affectum amoris atq; ſyncere dilectionis. Nam amor unit, atq; ſe transformat in creaturã ſiue rem quæ diligitur. Si eſt igitur vna tantùm anima duobus amicis, nullum in vno poteſt eſſe ſecretum, quod alterum aliquo modo lateat. Et ideo dixit veritas incarnata: Veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus: & ita verum eſt.

QVOMODO DEVS MANIFESTAT ſeipſum animæ diligenti eum.

CAPVT. LXI.

SCis tu qualiter in anima quæ me diligit in veritate, manifeſto meipſum, quando virtuosè doctrinam incarnatĩ uerbi dilectiſſimi filij mei ſequitur.

Multis modis vtiq, virtutem meam animæ patefacio, prout eius deſiderium exquirit. Præcipuè tamen tres in ea manifeſtationes facio. Prima quidem eſt, quòd ei patefacio meæ ſynceriſſimæ charitatis affectum, unigenito filio meo dilectiſſimo mediante: qui charitatis affectus apertiſſimè manifeſtatur in pretioſo ſanguine ſuo, qui fuit effuſus in cruce, cum inæſtimabili charitatis ardore. Iſte quippe charitas duplici modo manifeſtatur. Vnus eſt generalis & omnibus cōmunis: videlicet eis qui morantur in charitate communi. Eis itaq, manifeſtatur, attendēdo & probando charitatem meam, in multis & varijs gratijs quas à me recipiunt. Alius modus eſt particularis, illis tantummodo, qui ſunt iam effecti amici vltra manifeſtationem antedictæ communis charitatis, quam agnoſcunt, guſtant & experiuntur per ſenſum in animabus eorum. Secunda manifeſtatio charitatis eſt etiam in eiſdem, quibus me patefacio per guſtum & affectum amoris: non quòd in me ſit acceptio perſonarum, immo ſancta deſideria libenter accepto, ſed in anima meipſum manifeſto in ea perfectione cum qua me quærit. Nam aliquando manifeſto me, ſibi præbendo ſpiritum prophetiæ, monſtrando ſibi futura diuerſis atque varijs modis, prout ego nouero vel animæ propriæ vel creaturis alijs expedire. Tertia verò manifeſtatio, fit aliquando formando præſentiam incarnatæ veritatis: videlicet vnigeniti filij mei multis modis in anima, prout eius deſiderium appetit. Nam aliquando me quærit in oratione, volens agnoſcere potentiam meam: & ego ſibi ſatisfacio ita, quòd virtutem meam in ſe guſtat &

experitur. Aliquando me quærit in ſapientia filij mei, & ego ſibi ſatis facio, illum ponendo per obiectum oculo intellectus eius. Quandoq; me quærit in clementia ſpiritus ſancti: tunc verò bonitas mea facit eam guſtare ignem ardentiſſimè charitatis diuinæ, vbi concipit virtutes varias atq; reales in charitate puriſſima proximi ſui fundatas,

QVARE CHRISTVS NON DIXIT: Et ego manifeſtabo patrem, ſed dixit, me ipſum.

CAPVT. LXII.

VIdes igitur vnigenitum dilectiſſimum filium meum veritatem dixiſſe, cum ait: Si quis me dilexerit, erit vnum mecum, quia doctrinam eius in veritate ſectantes, eſtis vniti ſecum ex amoris affectu: & ita per conſequens eſtis etiam vniti mecum: nam vnum ſumus ego & ipſe. Et ita manifeſtabo me uobis: quia ſumus unū: unde manifeſtando ſe, me quoq; manifeſtabit, & econuerſo. Sed quare non ait: Ego manifeſtabo patrem meum uobis. Ita quidem ait in Euangelio triplici reſpectu. Vnus quidem eſt, quia propalare uoluit, quòd inter me & ipſum nulla ſeparatio eſſe poteſt. Vnde beato Philippo dicenti: Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis, ait: Qui me uidet, etiā patrem uidet, & econuerſo. Hoc ita dixit, quoniam eſt unum mecum: & id quod habet, indubitanter habet à me, non ego ab ipſo. Ideo dixit Iudæis, doctrina mea nō eſt mea, ſed eſt patris mei, qui me miſit: quia filius ipſe genitus eſt à me, nō ego ab ipſo: ſed unū mecū eſt, & ego ſecū. Idcircò nō ait: Ego

mani-

manifeſtabo patrem, immo dixit: Ego manifeſtabo me, quia videlicet vnum ſum cum patre. Secundus verò reſpectus eſt, quia manifeſtando ſe vobis, non aliud oſtendebat, quàm id quod à me patre ſuo receperat; quaſi dicens: Pater manifeſtauit apertè ſe mihi, quia ſecum vnum ſum: & ego manifeſtabo me pariter, & ipſum vobis mediante meipſo. Tertius quoq; reſpectus eſt, quoniam ego ſum inuiſibilis, & à vobis viſibilibus videri non valeo, niſi poſtquam à corpore ſeparati fueritis. Tunc videre me poteritis facie ad faciem, atq; verbum id eſt filium meũ vnigenitũ intellectualiter, vſq; ad tempus veſtræ reſurrectionis; cum humanitas veſtra conformabitur atq; delectabitur in humanitate ipſius verbi, ſicut iam tibi dixi. Non ergo me nunc videre poteſtis in eſſentia mea: Quare velaui diuinam naturam velamine veſtræ mortalis humanitatis, vt illam videre poſſetis: exhibendo vobis verbum, videlicet filium meum ita velatum, cum quà me vobis ipſe manifeſtat. Ergo non ait: Ego manifeſtabo patrem, ſed ait: Ego manifeſtabo me vobis. Quaſi dicat: Vt accepi à patre meo; manifeſtabo me vobis. Itaq; vides quòd in iſta manifeſtatione manifeſtando ſe, me quoq; manifeſtat; Inſuper audiſti, quare non ait: Ego manifeſtabo patrem vobis: videlicet, quia nullo modo poteſtis in corpore mortali meam eſſentiam intueri, ſicut dictum eſt; & quoniam ipſe mecum eſt vnum:

QVALITER ANIMA POST ASCENſum primi gradus ipſius pontis, ſtudet aſcendere ad ſecundum.

CAPVT. LXIII.

NVnc apertè comprahēdere potuiſti excellentiam illius, qui iam ad amorem amici peruenit. Iſte iam aſcendit pedes affectus, & ad cordis occulta peruenit: videlicet ad gradum ſecundum, trium graduum qui figurati ſunt in corpore filij mei. Dixi prius illos eſſe figuratos in tribus animæ potentijs: nunc verò pono ſignificare tres animæ ſtatus. Sed antequam ad tertium gradum explanandum accedā, volo mōſtrare qualiter attigit, vt amicus efficeretur: & cū fuerit amicus effectus, effectus eſt filius, videlicet ad amorem filialem attingendo. Et quid agit amicus effectus, & quomodo cognoſcitur apertè, ꝙ amicus ſit effectus. Primò tibi dicam, quomodo peruenit, vt eſſet amicus. Ipſe namq; prius imperfectus erat, in timore ſeruili conſiſtens. Exercendo verò ſe virtuoſè, cum perſeuerantia ſancta peruenit ad amorem quendam ſuæ delectationis, ſiue propriæ vtilitatis, quā in me reperit. Hæc eſt via per quam ille tranſit, qui peruenire deſiderat ad amorem perfectum, videlicet amici atq; filialem. Noueris amorem filialem eſſe perfectum, nam in amore filiali recipit hæreditatem à me ſummo & æterno patre. Et quoniam amor filij non eſt abſq; dilectione amici, tibi dixi, quòd ex amico factus eſt filius. Sed quem habuit in ſe modum,

vt

vt illuc attingeret. Dico tibi: Omnis virtus, & omnis perfectio procedit ex charitate: charitas aũt ab humilitate nutritur: & humilitas à notitia & odio ſancto ſui, videlicet ꝓpriæ ſenſualitatis. Huc attingentem oportet omnino perſeueranter in cella notitiæ ſui cõmorari. In qua ſui notitia cognoſcet in ſanguine dilectiſſimi filij mei miſericordiã meam, attrahendo cum affectu ſuo diuinã charitatem meã ad ſe iugiter, extirpando quamlibet voluntatẽ ꝓpriam, & peruerſam, ſpiritualẽ atq; temperalẽ à corde ſuo. Et habitare cum humilitate ſtudeat in domo notitiæ ſui, ꝓut egit Apoſtolus Petrus, qui poſtquã Ieſum filium meũ abnegauerat, latitando fleuit amarè: licet illo tempore planctus eius erat imperfectus, & quotidie fuit imperfect⁹ vſq; ad pentecoſtẽ. Poſtquã.n. vnigenitus filius meus ad me redijt ſecũdũ humanitatẽ aſſumptã, Apoſtoli cum aliis amicis meis in domo ſe clauſerunt, aduentũ ſancti Spiritus exſpectãtes, iuxta ꝓmiſſa veritatis incarnatæ. Clauſi quidem erant ex timore: quia donec anima ad amorem verũ attingat, quotidie timet. Illi verò ꝑſeuerãtes in humili et cõtinua oratione, poſtmodũ abundantiã habuerũt ſpiritus ſancti. Tamẽ timore quocũq; ſublato publicè prædicauerũt, perfectè ſequẽtes veſtigia Ieſu Chriſti crucifixi. Similiter anima q̃ ꝑuenire deſiderat ad perfectionẽ, ex quo poſt culpã ab iniquitate ſua ſurrexit, illa re cognita formidine pœnæ, cũ amaro corde deplorat. Poſtea verò cõſurgit attẽdẽdo miſericordiã meã. Sed vt illã attingere faciã ad perfectionẽ, interpollatim ab ea me ſubtraho, non per gratiã, ſed per ſenſum, quia me nõ ſentit in ſe.

Hoc veritas incarnata patefecit vobis, quando diſcipulis ait: Ego ibo, & ad vos iterum veniam. Omnia quæ dicebat illis in particulari, eſſet ab omnibus præſentibus atq; futuris intelligi debent. Dixit igitur: Ego ibo, & ad vos iterum veniam: & ita fuit. Quia Spiritu ſancto ſuper diſcipulos veniente, ipſe quoq; venit. Iam. n. ego dixi ſupra, quia Spiritus paracletus non venit ſolus, immo venit cum potentia mea: & cum ſapientia dilectiſſimi filij mei, qui mecum eſt vnum: & cum clementia eiuſdem Spiritus ſancti à me procedentis & ab ipſo filio meo. Simili modo dico tibi: quòd vt anima ſurgat ab imperfectione ſua, me ſubtraho, quia non habet neq; ſentit in ſe priſtinã conſolationem. Quando iacebat in culpa peccati mortalis, ipſa diſceſſit à me: tunc ego gratiam ſubtraxi ab ea propter eius culpam, quia ſancti deſiderij clauſerat ianuã: vnde ſole gratia priuata fuit, non ex defectu ſolis, ſed ex defectu peccatoris, qui ianuam deſiderij contra ſolem clauſerat. Recognoſcendo verò ſemetipſum atq; tenebras ſuas, aperiendo feneſtrã, euomendo putredinem peccatorum in ſancta & humili confeſſione: tunc ad animam indilatè cum gratia redeo. Sed aliquando ab ea me ſubtraho non per gratiam, ſed ſolummodo per ſenſum, vt iam dixi. Hoc autem ita facio, vt humilietur, & vt exercitium ſanctum aſſumat, in veritate quærendo me: & vt probetur in lumine fidei, & perueniat ad prudentiam. Tunc verò ſi diligit abſq; reſpectu ſui, & cum fide viua, & cum odio ſancto ſui, lætatur & exul-

tat in tempore laborum,ſe reputans indignam habere pacem atq; mentis quietem. Et hæc eſt ſecunda res ex tribus,de quibus tibi dixi,videlicet oſtendere qualiter ad perfectionẽ attingat,& quid agit poſtquam attigerit. Hoc eſt enim quod agit: quia quamuis anima ſentiat,quòd ab ea me ſubtraxerim: non tamen vllo modo retrocedit, immo quotidie perſeuerat humiliter in exercitio ſancto ſuo,recluſa perſiſtens in domo notitiæ ſuæ propriæ,vbi cum fide viua præſtolatur aduentum ſancti Spiritus, videlicet me,qui ſum ignis ardentiſſimæ charitatis. Ibiq; non exſpectat otioſè: ſed in vigilia & oratione ſancta & continua: & non ſolùm cum vigilia corporali ,ſed etiam intellectuali. Quia videlicet oculus intellectus iugiter eſt apertus, quia cũ lumine fidei vigilat ad extirpãdũ à corde cogitationes inutiles: attendendo diligenter meæ charitatis affectum, vbi cognoſcet apertè, quia nihil aliud volo ex eo niſi ſanctificationem eius. Et hoc indubitantiſſimè patet in ſanguine dilectiſſimi filij mei. Cum igitur oculus vigilat in cogitatione ſui atq; mei,ſemper orat oratione bonæ atq; ſanctæ volũtatis, & hæc eſt oratio continua. Orat etiam actualiter: videlicet in ordinato tempore per ſanctã Eccleſiam ordinato & conſtituto. Et hoc eſt, quod agit anima quæ diſceſſit ab imperfectione. Et vt ad illã attingeret,ideo me ſubtraxi non per gratiam,ſed per ſentimentum. Etiam ab ea me ſubtraxi, vt humiliter ſuum defectum agnoſceret: quia videndo ſe priuatam conſolatione mea,ſi ſentit in ſe pœnam afflicti-

uam atq; debilem, neq; virtuoſa ſtabilitate perſeuerare poſſe, reperit immediatè poſt hæc in ſe radicem ſpiritualis amoris proprij: unde materiam habet agnoſcendi ſuam imperfectionem. Et exurgere debet illicò ſupra ſemetipſam atq; ſupra ſedē conſcientiæ ſuæ, ſedēdo corripere debet huiuſmodi ſentimentum, nec illud impunè pertranſire permittat: ſed cum improperio euellat, à corde radicem amoris proprij gladio bicipiti: videlicet ipſius amoris odio, & amore virtutum.

QVOMODO DEVM IMPERFECTÈ diligens, etiam proximum imperfectè diligit, & de ſignis huius imperfecti amoris.

CAPVT. LXIIII.

Item volo te noſſe, quòd omnis imperfectio, ſiue perfectio manifeſtatur, & acquiritur in me. Similiq; modo manifeſtatur & acquiritur proximo mediante. Simplices hoc experiuntur: quia frequenter amant aliquos amore ſpirituali. Unde non mei dilectionem purè ſine reſpectu ſui recipiunt, & habēt etiam amorem proximi, purè bibunt. Sicut accidit vaſculo quod impletur in fonte, ſi foras extrahitur, & ita foris ex eo bibitur, indubitanter euacuatur. Si verò bibitur in fonte, non euacuatur, immo quotidie plenum eſt: ſic amor proximi ſpiritualis & temporalis, debet in me bibi ſine reſpectu propriæ commoditatis. A vobis .n. exigo, quòd me diligatis ea dilectione, qua

vos

vos ego diligo. Hoc verò mihi reddere nõ valetis, quia vos amaui non amatus à vobis. Omnis amor veſter erga me non eſt ex gratia, ſed ex debito. Nam eſtis obligati me diligere. Ego verò diligo vos ex gratia, non ex debito. Ergo mihi reddere non valetis hunc amorem quem à vobis exigo, ideo vobis aſſignaui proximum veſtrum, vt ei faciatis ea quæ mihi facere nõ poteſtis: videlicet vt eum gratioſè diligatis abſq; reſpectu propria vtilitatis ſiue commoditatis. Et ego reputo mihi facta quæcunq; facitis illi. Hoc apertè veritas incarnata demonſtrauit cum Paulo perſequẽti dixit. Saule, Saule quid me perſequeris? hoc ita dixit impudãdo ſibi factam perſecutionem, quam irrogabat diſcipulis ſuis. Itq; talis amor omnino debet eſſe purus. Et cum eodem amore quo me diligitis etiam proximum amare debetis. Nunquid filia mea noſti, propter quid noſcitur illum imperfectum eſſe, qui diligit hoc amore ſpirituali? Si ſentit in ſe pœnam afflictiuam, quando ſibi videtur, creaturam, quam ita diligit, amori non ſatisfacere, iudicando ſe non diligi quantum videtur ei diligere, ſiue quando priuatur conuerſatione, ſiue conſolatione ſua, ſiue quando videt alium diligi pluſquàm ſe. Adhoc & ad alia plurima perpendi poteſt, quòd hic amor tàm in me quã in proximo ſuo, imperfectus adhuc eſſe manifeſtè cõprobatur: & ꝙ vaſculũ huius amoris bibitur extrà fontẽ, quãuis amorem à me priùs attraxit. Sed quoniam imperfectè me diligebat, etiam imperfectũ amorẽ, oſtendit illi quem hoc amore ſpirituali diligit.

Et hoc abſq; dubio procedit eò, quia radix amoris proprij ſpiritualis à corde non erat in totum euulſa. Et ideo permitto frequenter, vt aliquis hoc amore diligat aliquam creaturam, vt hoc ipſo ſemetipſum agnoſcat atq; ſuam imperfectionem. Interdum inſuper ab anima me ſubtraho non per gratiam, ſed per ſenſum: vt ſe reducat in domo notitiæ ſui, vbi perfectionem omnium virtutum acquiret. Ego verò poſtea redeo cum maiori lumine atq; notitia meæ veritatis, intantum, quod poſſe trucidare propriam voluntatem amore mei, ad gratiam ſingularem imputat. Iugiter etiam purgare ſtudet vineam animæ ſuæ, ſpinas inutilium cogitationum euellendo, lapides virtutum ædificando fundatos in ſanguine Ieſu Chriſti crucifixi, quos inuenit eundo per pontem ipſius Ieſu Chri dilectiſſimi filij mei, prout iam tibi dixi, ſi meminiſti quòd ſuper ponte, videlicet ſuper doctrina mea veritatis, lapides erant in ſanguinis virtute fundati. Nam exhibent virtutes vobis, vitam in virtute pretioſi ſanguinis eius.

TRACTATVS SECVNDVS.

DE MODO QVEM ANIMA TENERE debet, vt ad amorem purum atq; liberalem perueniat: Et incipit orationis tractatus.

CAPVT. LXV.

POſtquam introiuerit anima tranſeundo per doctrinam Ieſu Chriſti crucifixi, cum amore verò virtutum & odio vitiorum, cum ſancta perſeuerantia deueniens ad domum notitiæ ſuæ vilitatis atq; fragilitatis incluſa permanet in vigilia, & oratione continua, penitùs ab omni ſeculari conuerſatione ſeparata: quia ſe clauſit ex timore cognoſcens imperfectionem ſuam, & ex deſiderio perueniendi ad amorem purum atq; liberalem. Et quia prudenter agnoſcit, quòd alio modo liberari nō valet, ideo præſtolatur viua fide meum aduentum per augmentū in ſe gratiæ meæ. Sed in quo viua fides agnoſcitur? In perſeuerantia virtutum, nullo tempore retrocendo per occurrentia, quomodocunq;, vel vndecunq;, proueniant: nec etiam orationē ſanctam omittere debet, aliqua cauſa ſtatuto tempore niſi propter obedientiam, vel charitatem expreſſam. Aliter ab oratione diſcedere non debet: Quia frequenter orationis ordinato tempore, Diabolus ampliùs animam infeſtare conatur cum ſuis variis phantaſiis atq; moleſtiis, qàum extra tempus orationis. Hoc autem agit, vt oratio ſancta oranti tædium generet, interdum in mēte ſua dicēs: Hæc oratio nihil omnino tibi prodeſt: quia non debes alia cogitare, nec aliud attendere quā ad ea quæ dicis. Hoc aduerſarius oranti perſuadet, vt perueniat ad tædium, & ad mentis confuſionem, & omittat orationis exercitium, quod eſt velut armatura fortiſſima, cum qua ſe viriliter anima defen-

dit ab omnibus aduerſariis eius: quando tenetur cum amoris affectuoſi manu, & cum brachio liberij arbitrij: tunc virtuoſè pugnat in armatura prædicta, cum lumine ſanctæ fidei.

QVALITER ANIMA PERVENIRE debet ab oratione vocali ad mentalẽ. Recitatur etiã vna viſio per hanc animam habita.

CAPVT. LXVI.

Filia chariſſima, noueris, quòd in oratione humili, continua & fideli, cum vera perſeuerantia lucratur anima perfectionem & omnem virtutem. Et ideo debet in ea perſeuerare & nunquam illam omittere propter aduerſantia quæcũq; ſiue ꝓcedant ab illuſione, vel à fragilitate ꝓpria, videlicet ex cogitationibus immundis: vel à carnali motu corporis inordinato: vel ꝓpter inutilia verba cuiuſcũq; creaturæ. Diabolus.n. aliquãdo incitat & ſollicitat aliquẽ ad loquẽdũ, vt orantem impediat. Hæc omnia poſtergare debet cũ ſancta perſeuerãtia. O quantũ eſt animæ dulcis atq; ꝑſpicua, mihiq; grata talis oratio, quæ fit in domo notitiæ ꝓpriæ, humilitatis atq; vilitatis, & in agnitione meæ bonitatis, oculũ intellectus aperiendo cũ lumine ſanctiſſimæ fidei, & cũ affectu meæ charitatis abũdãtiæ. Quæ charitas vobis facta eſt viſibilis in vnigenito viſibili filio meo dilectiſſimo, quã vobis apertiſſimè demõſtrauit in pretioſo ſanguine ſuo. Qui ſanguis animã inebriat, & induit eã igne diuinæ charitatis, ei præbẽdo cibum venerãdi Sacramẽti,

quod ego in apotheca myſtici corporis ſanctæ matris Eccleſiæ collocaui:videlicet corpus et ſanguinẽ vnigeniti filij mei,qui eſt verè De⁹ & homo. Quòd ordinaui miniſtrãdũ per manus vicarij mei,q̃ claues habet huius pretioſi ſanguinis. Hæc eſt apotheca de qua tibi ſupra dixi,quã ſuper pontẽ conſtruxerã & collocauerã ex qua cibũ aſſumerẽt,atq; cõfortarentur viatores et peregrini,tranſeũtes per doctrinã veritatis incarnatæ,ne ꝓpter inbecillitatẽ in via deficiãt. Iſte cibus confortat modicũ atq; ſatis iuxta deſideriũ aſſumentis quocũq; modo ſumatur,vel virtuáliter,vel ſacramẽtaliter. Sumitur.n.ſacramẽtaliter quãdo cõmunicãdo quis actualiter accipit hoſtiã cõſecratã à Sacerdote. Virtualiter aũt intelligitur,quando quis ſolũmodo ex deſiderio ſancto cõmunicat,ex auiditate cõmunionis:ac etiã ex cõſideratione pariter & deuotione ſanguinis Ieſu Chriſti crucifixi, vbi reperit affectũ exceſſiuæ charitatis eius quã deguſtauit:& agnouit in ſanguine quẽ attẽdit effuſũ cũ inæſtimabili charitate diuina. Et ideo ſuccẽtitur ibi cũ ſancto deſiderio,et inebriatur atq; ſatiatur,animã inueniendo plenã charitate mea diuina pariter & proximi ſui. Hæc aũt vbi acquiſiuit? In domo notitiæ ſui cũ oratione ſancta, vbi perdidit imperfectionẽ,ſicut Apoſtol⁹ Petr⁹ et alij diſcipuli recluſi, ſtãtes in domo cũ vigilia & oratione perdiderũt imperfectionẽ, & ibi perfectionẽ adepti ſunt:videlicet cũ perſeuerantia condita cum lumine ſanctiſſimæ fidei. Sed exiſtimare noli,q̃ tantum ardorem atq; nutrimentum ab hac oratione recipiat ille, qui ſolũmodo cum oratione vocali procedit,ꝓut anima

mæ

ma multæ faciunt, quarum oratio potiùs eſt in verbis, quàm in affectu cordis, quæ non videtur ad aliud attendere, niſi vt expleant numerum aliquorum pſalmorum; vel orationum aliarum, & expleto numero, quem in corde propoſuerunt, vltra cogitare non videntur. Euidenter apparet ipſos affectum & intentionem ad orationem ſolummodo vocalem appoſuiſſe. Sed ita procedere non oportet: quia niſi faciant aliud vltra, modicum fructum ex hoc haberent, mihi quoq; modicum eſſet acceptum. Si verò petas, vtrum hæc oratio vocalis omitti debeat: quia non videtur omnes eſſe tractos ad orationem mentalem? Non, ſed prudenter & ordinato modo procedendum eſt. Nam optimè noui quòd ſicut anima prius eſt imperfecta quàm perfecta, ſic eſt etiam oratio ſua. Debet ergo ne tranſeat otioſè, cum adhuc eſt imperfecta, cum oratione vocali procedere vel inchoare: tamen addendo mentalem orationem iuxta poſſe, videlicet dum verba ore profert, mentem eius in affectum excellentiſſimæ charitatis meæ dirigere conetur, & eleuare cum conſideratione generali peccatorum ſuorum, atq; ſanguinis vnigeniti filij mei: vbi reperiet abundantiam meæ charitatis ineſtimabilis, atque remiſſionem omnium peccatorum eius. Hoc autem ideò facere debet, vt in ſui notitia, & ſuorum defectuum conſideratione, faciat eam intelligere bonitatem meam in ſe, & cum vera humilitate faciat animam ipſam in ſuo ſancto exercitio perſeuerare. Nolo tamen ipſos defectus in particulari ab orante conſiderari,

rari, ſed in generali, ne mens inquinetur ſiue contaminetur in recordatione particularium atq; turpium peccatorum. Inſuper admoneo, quòd homines nõ acceptent ſiue retineant in ſe conſiderationem ſolummodo peccatorũ, ſiue in generali, vel in particulari, ſine conſideratione atq; memoria ſanguinis, & magnitudinis diuinæ miſericordiæ: vt inde non veniant in confuſionem. Quia ſi notitia ſui & conſideratio peccatorum non condiretur cum memoria ſanguinis atq; miſericordiæ, permanerent homines in cõfuſione ſua. Et cum ipſa ſimul & aduerſario Dæmone, qui ſub colore contritionis, & diſplicentiæ peccatorum, eos adduxit in eam, vltimò pertingerent ad æternam damnationem, non ſolummodo propter hoc, ſed quoniam inde venirent ad deſperationem, niſi cũ lumine fidei miſericordiæ meæ brachium aſſumerent. Et aduerte, ꝙ iſta eſt valde ſubtilis & magna fraus, cũ qua Diabolus etiam ſeruos meos irretire ſiue decipere conatur. Et ideo propter vtilitatem veſtram atq; Diaboli fraudem euitandam, & vt in conſpectu meo ſitis accepti, oportet quòd iugiter affectum & animam veſtram ampliando dilatetis ad conſiderandam & amplectendam ineffabilem miſericordiam meam, cum vera humilitate. Noſti namq; quòd ſuperbia Diaboli ſuſtinere nullo modo poteſt hũilitatem animæ: neq; ſua confuſio meæ bonitatis amplitudinem immenſam, atq; charitatem, in quantum anima ſperet in me. Vnde ſi meminiſti quãdo Diabolus te proſternere ſiue decipere volebat ex confuſione, volens

lens oſtendere tibi, quòd vita tua frandulenta fuiſſet, & non in veritate, neque te ſecundum voluntatem meam ambulâſſe, tu feciſti quod vtiq; facere debuiſti: & vt bonitas mea te docuit, quæ quippe bonitas alicui verè petenti non denegatur: videlicet humiliter eleuando mentem ad miſericordiam meam, dicens: Ego confiteor apertè creatori meo, quòd vita mea quotidie fuit in tenebris: tamen ego latitabo fideliter in plagis Ieſu Chriſti crucifixi: & in ſanguine ſuo pretioſo maculas omnium iniquitatum mearum abluam, & cum ſancto deſiderio gaudebo iugiter in creatore meo. Noſti, quòd indilatè Diabolus aufugit. Poſtea verò cum alia vice rediret, volendo te per ſuperbiam in altum eleuare, dicens. Tu es perfecta, Deo valde placens, vnde non expedit vt vlteriùs affligendo te peccata tua, quia ſunt abluta, deplores. Tu vidiſti viam per quam ambulare debebas, vt. Ego te docui, videlicet humiliando te, reſpondiſti tentatori Dæmonio, dicens: Ioannes Baptiſta nunquam offendit, & in ventre matris à Deo ſanctificatus extitit, & nihilominus tantam pœnitentiam egit: Ego verò miſerabilis, plena tot iniquitatibus adhuc incipere neglexi, vel paruam agere pœnitentiam, vel ipſum agnoſcere creatorem atq; Dominum meum in gemitu, & contritione cordis, attentè conſiderando, quis eſt Deus, qui à me ſic fuit offenſus: & qualis ego ſum iugiter ipſum offendens. Tunc ipſe Diabolus humilitatem animæ tuæ ſuſtinere non valens, neq; ſpem in bonitate mea conceptam, tibi dixit: Tu ſis

à Deo

à Deo maledicta, quia modum in te reperire nequeo. Si te percõſuſionem in infimis deprimo: & tu per miſericordia diuinæ ſpem in altum erigeris: & ſi te ponere conor in altum, & tu temetipſam ad infima deprimis, deſcendens etiam in infernum ex humilitate, inſuper etiam in inferno me perſequeris. Vlteriùs igitur ad te non veniam, eò quia durè me percutis valido baculo charitatis. Ergo debet anima notitiam excellentiſſimæ bonitatis meæ condire cum ſui notitia: & econuerſo notitiam fragilitatis & vilitatis ſuæ cum notitia meæ bonitatis. Et iſto modo vocalis oratio vtilis erit animæ ſic oranti, mihi quoque valde placebit. Et ab hac vocali oratione imperfecta cum exercitio ſancto, perſeuerando perueniet ad mentalem orationem perfectam. Sed ſi voluerat ita ſimpliciter omnino perficere numerum ſuum in mente ſua diſpoſitum: vel ſi propter orationem vocalem omitteret orationem mentalem, à via perueniendi nimis errat. Occurrit aliquando, quòd anima cum tanta procedit ignorantia, quòd ex quo concepit in mente ſua quoſdam Pſalmos, vel aliquoties orationem dominicam voce repetere, viſitabo gratioſè mentem eius modo per vnam viam, modo per aliam. Quandoque cum vno lumine veræ notitiæ ſui cum inuſitata contritione peccatorum ſuorum, quandoq; cũ amplitudine diuinæ charitatis immenſæ, quandoq; ponẽdo mẽti ſuæ diuerſimodè, ꝑut mihi placet, vel ipſa

deſi-

deſiderat vnigeniti filij mei præſentiam in obiectum. Ipſa tamen ignorans anima viſitationem meam, quã in ſe percipit, omnino derelinquit: vt numerũ quem in corde diſpoſuit explere poſsit, quaſi faciendo ſibi conſcientiam imperfectum numerum illum omittere quem cœperat. Non debet igitur ita facere: quia patenter à Dæmonio fraudaretur, & illuderetur ita faciendo. Sed illicò ſentiendo mentem ex viſitatione mea diſpoſitam orationem vocalem omittere debet, poſtea verò tranſacta mentali, ſi ei vacat ea quæ ſibi propoſuerat perficere poterit. Si verò cõmodè non valet, ad tædium ſiue mentis confuſionem adduci nullo modo debet: & ſic ordinatè procedet. Excepto diuino officio, ad quod omnes clerici atq; religioſi ex debito ſunt obligati, vſq; ad mortem: quia ſi non perſoluerent illud, indubitãter offenderent. Et ſi tempore quo perſoluere debent, illud eleuari vel attrahi mentem ex deſiderio ſentirent, ſibi prouidere debet horã præueniendo, vel ſaltem poſtea ſubſequendo, ita quòd officium debitum nullatenus omittatur. De ſingulis aliis orationibus anima debet inchoare vocaliter: vt attingere poſsit ad orationem mentalem, quam orationem vocalem omittere debet, quando percipit à me viſitari, ſicut iam dixi. Hæc vocalis oratiò facta, ſicut eſt expreſſum, attinget & adducet ad perfectionem. Et ideo non debet oratio vocalis omitti quocunq; modo facta fuerit, ſed ordinatè quiſque debet procedere, ſicut iam dixi. Et ita perſeuerãter agendo ſanctum exercitium orationẽ

in

in veritate guſtabit & cibum ſanguinis vnigeniti filij mei. Et ideo dixi tibi, ꝙ aliquis virtualiter cõmunicabat, licet non Sacramentaliter: videlicet affectuoſo deſiderio guſtando charitatem ineffabilem Ieſu Chriſti, quã in ſanguine ſuo pretioſo cognouit; oratione mediante, modicùm & abundantiùs iuxta deſiderium orantis. Si quis cum modica prudentia procedit, & abſq; modo, modicum inuenit: qui verò cum magna, multum inuenit: quia quantò magis anima conatur ab his infimis affectũ ſuum elongando ſoluere: & in me ligare cum lumine intellectus, tantò plus agnoſcit. Et quantò plus agnoſcit, plus diligit: & quantò plus amat, tantò plus anima, guſtat. Igitur attende, quòd oratio perfecta non acquiritur in multitudine verborum, immo cum affectuoſo deſiderio in me conſurgente, cum notitia ſui pariter & meæ bonitatis in ſe: nec vnũ abſq; reliquo ſit: & ita pariter habebit orationem vocalem atq; mentalẽ quia optimè conueniunt, ut actiua vita, cum cõtemplatiua: quãuis oratio vocalis uel mẽtalis appellari multipliciter valeat. Quia dixi tibi, quòd ſanctum deſiderium animæ, videlicet voluntas bona continua, vocatur oratio: quæ voluntas actualiter ordinato tempore conſurgit & eleuatur in me, vltra præfatam orationem continuam ſanctæ voluntatis. Et hæc vocalis oratio cum huiuſmodi ſancto deſiderio, quandoq; fit ordinato tempore, aliquando verò præter ordinatum tempus, vel vltra tale tempus indeſinenter: vt expoſtulat verá charitas in ſalutem proximorum: vel aliter expediens erit iuxta gradum in quo poſitus eſt orans. Quilibet ope-

rari tenetur in ſalutem animarum, ſecundum ſtatum eius iuxta ſanctæ voluntatis exordium. Et ita quicquid operatur vocaliter, uel actualiter in ſalutē animarum eſt vnum orare virtualiter, quamuis actualiter etiam orat in tempore debito, & in loco deputato. Etiam præter hāc orationem debitam, omnia quæcunq; facit in charitate Dei et proximi, conſtitutus etiam ad exercitium eius actuale: totum vocari poteſt oratio continua, quia non ceſſat orare, qui non ceſſat benefacere. Et ideo dixi tibi, ꝙ oratio multis modis fiebat, ſi fuerit vocalis vnita mētali. Quoniā actualis oratio vocis, facta modo prædicto ꝓcedit ab affectu ſynceræ charitatis q charitatis affectus ꝑ cōtinua oratiōe reputatur. Nūc audiſti qualiter ad orationē mentalem attingitur, videlicet cū exercitio ſancto atq; perſeuerantia: & ꝙ omittatur oratio vocalis propter mentalem, cum animam viſito. Inſuper audiſti quæ ſit oratio cōmunis & vocalis, cōmuniter extra tempus ordinatum: & oratio bonæ atq; ſanctæ voluntatis, etiam de quibuslibet exercitijs in ſe, vel in proximo factis, cum bona voluntate extra tempus orationi deputatum & ordinatum. Igitur anima debet ſemetipſam virtuoſè calcaribus vrgere ſanctæ ſollicitudinis, cum hac oratione ſancta quæ parit veluti fructifera mater in anima virtutes omnes & iugiter eas alit, & ad perfectionē adducit. Hoc eſt ergo quod agit anima quæ recluditur in domo notitiæ propriæ ſui, & quæ peruenit ad amorem amici pariter & filialem. Quod niſi teneat per viam ſuperius expreſsā, quotidie remanebit in tepiditate, & in ſua imperfectione. Et amaret tantū, quantū in ſe ꝑcipere uideret vtilitatē: uel conſolationē à me, uel à proximo ſuo.

DE

DE FRAVDE QVAM HOMINES incidunt, qui Deum diligunt & ei ſeruiunt ex propria vtilitate.

CAPVT. LXVII.

DE qua quidem imperfecta dilectione volo tibi pandere fraudem vnam, quam homines in ea recipere poſſunt, quando me diligunt delectatione propria. Vnde volo te noſſe q̀ ille ſeruus meus qui me diligit imperfectè, potiùs exquirit et amat conſolationē propter quā me diligit, quàm me. Et in hoc apertè perpendere poteſt: quia deficiente conſolatione ſiue ſpirituali, videlicet in anima quoad religioſos viros atq; ſpirituales: ſiue conſolatione temporali, quo ad ſeculares qui viuunt cum quibuſdam actibus virtuoſis illicò turbantur ipſo facto cum agitantur: vel ab aliqua leui tribulatione quā indubitanter eis concedo propter vtilitatem eorum. Et ſi quis ab eis interrogaret, quare turbamini? reſponderent, quia recepi tribulationem: & illud bonum quod agere ſolebam in proſperitate, nunc iudicio meo quaſi perdo, quia non operor illud animo læto & puro corde ſicut hactenus. Et hoc accidit propter huiuſmodi tribulationē, quia priùs valde meliùs operabar, & cum maiori tranquillitate cordis quā in præſenti faciam. Qui dicit ita, deceptus eſt à propria delectatione. Non enim verū eſt, q̀ illa tribulatio ſit in cauſa: nec etiā q̀ ipſe minꝰ amet, neq; minùs valeāt ea quæ nūc operatur. Operatio namq; facta tēpore tribulationis, in ſe tantum valet quantum valuit ante, videlicet in tēpore conſolationis: immo plus valere

poſſet, inquantum haberet in ſe patientiam. Sed hoc accidit ei, quoniam in proſperitate delectabatur vbi cum actu modico virtutis alicuius amabat me, ibiq; mentem eius aliquali pace fouebat operatione tantilla. Cùm ergo priuatur illo, vbi requiem aliquam habere videbatur, iudicat eſſe priuatum in quolibet opere ſuo quiete ſalutari. Sed non eſt ita procul dubio, hominibus autem huiuſmodi contingit, velut homini qui moratur in pulchro viridario, qui pro eo quod ibi delectatur in ſua operatione, quieſcit & videtur ei habere requiem in operatione ſua: ſed ipſe requieſcit in delectatione quam habet ex viridario. Et apertè cognoſcit eſſe verum, quod ampliùs in viridario, quàm in operatione delectatur: quoniam ablato ſibi viridario, ſe percepit illicò delectatione priuatum. Sed ſi principalem affectum atq; delectationem in opere ſuo poſuiſſet, non amiſiſſet, immo ſecum haberet: quoniam exercitium operandi bonum amitti non poteſt vltra voluntatem hominis, quamuis ei fuerit ablata delectatio proſperitatis, velut iſti viridarium. Igitur iſti falluntur in eorum operibus à propria paſſione. Vnde tales dicere conſueuerunt: Mihi conſtat quòd melius operabar, & ampliorem conſolationem habebam, ante tribulationem iſtam, quàm nunc: & valdè magis optabam agere multa bona: nunc verò nullatenus ita facere delector. Huiuſmodi ſermones eorum veritatem offendunt: quia ſi primò delectati fuiſſent in bono amore boni & virtutis, nullo modo perdidiſſent affectũ illum, neq; defeciſſet in eis, immo potiùs augmentatus eſſet. Sed quoniam illorum opera virtuoſa erant in proprio

prio bono fundata, videlicet in reſpectu propriæ conſolationis et delectatiõis, ideo defecit. Hæc eſt illa fraus, qua decipiuntur communiter homines in quibuſdam eorum bonis operibus. Hi procul dubio falluntur à ſemetipſis, videlicet à propria delectatione ſenſuali.

DE FRAVDE QVA DECIPIVNtur etiam ſerui Dei, qui Deum amant hac imperfecta dilectione iam dicta.

CAPVT. LXVIII.

SEruí quoq; mei, qui adhuc in amore ſunt imperfecto, quærentes & amantes me reſpectu conſolationis vel vtilitatis propriæ, quam in me reperiunt, aliquando decipiuntur. Nam, quia ſum omnium bonorum quæ fiunt indubitantiſsimè Remunerator, ampliùs vel minùs iuſta, menſuram amoris operantis, exhibeo mẽ tales conſolationes orationis tempore, quandoq; per vnum modum, & aliquando per alium. Hoc aũt ego non ago, ut ignoranter anima potiùs acceptet & attendat enxeniũ ſiue donum conſolationis, ꝙ exhibetur à me, quã attẽdat ad me largitorẽ: ſed vt attendat principaliter meæ charitatis affectum cum qua largior: & indignitatem eius qui recipit, quàm delectationem propriæ conſolationis. Si verò velut ignorans & ingrata voluerit attendere magis ad conſolationem propriam, quàm ad affectum meæ charitatis erga ipſam, valde damnificatur atq; decipitur: vt ego tibi dicam. Nam à propria conſolatione decepta, quærit eam & ibi delectatur in tantum, quòd ali-

quando conſolationem ſeu viſitationem meam in ſe percipiendo proſequi conabitur viam, quam alias tenuit, quando eam reperit, vt eam inuenire valeat. Ego verò non vniformiter animæ concedo, immo valde diuerſimodè prout expidire video atq; bonitati meæ placet: vt ex hoc agnoſcere poſſint omnes, quòd habeo multa dōaria quibus amicos meos abundantiſſimè ditare valeo. Si cum ignorantia ſua procedere decreuerit, ipſam omnino quæret habere per eundem modum, quemadmodum ſi Spiritui ſancto legem imponere vellet. Sed non ita facere debet: immo virili corde tranſire debet per pontē doctrinæ Ieſu Chriſti crucifixi, & ibi recipere cum humilitate cordis, eo modo, eo loco, & eo tempore prout bonitati meæ tribuere placet. Et ſi ei non tribuo quicquam, illud etiam non tribuere non ex odio, ſed ex amore procedit: vt videlicet anima me quærat in veritate: neque me ſolùm ex propria delectatione ſua diligat, ſed humiliter acceptet affectum meæ charitatis ampliùs, quàm illam delectationem, quam inuenit. Quia ſi quæreret ipſam delectationem iuxta voluntatem ſuam, & non iuxta meam, inueniet procul dubio pœnam atq; confuſionem intolerabilem, quando ſe priuatam inueniet illa delectatione ſua, quam animæ ſuæ poſuerat in obiectum. Hi ſunt illi, qui conſolationem eligere volunt iuxta beneplacitum eorum. Inuenientes enim in mentibus eorum aliquoties de me conſolationem, volunt in illa perſiſtere iugiter. Et incurrunt aliquando in tantam ignorantiam, quòd eos viſitando per alium modum, mihi faciunt imprudentiſſimè reſiſtentiam: nec acceptabunt

bunt niſi viſitentur illo modo quo fuerant imaginati. Iſte defectus à propria paßione procedit, ac ab illa delectatione ſpirituali quam in me reperit: Hæc anima decipitur eò quòd eſſet impoßibile, continuò vno modo perſeuerare: quia ſicut anima fixa ſtare non valet, oportet.n.ipſam in virtute proficere, vel à virtute deficere: ita mens in vno ſtatu iugiter in me ſolummodo cum vna gratia ſtare non poteſt, immò largior varias atque differentes. Nam aliquando concedo mentale gaudium valde ſolatioſum, aliquando magnam contritionem cum tanta diſplicentia ſui, quod videbitur in ſe mentem habere turbatam. Quandoq; moror in anima, neque me ſentit: Quandoq; formabo veritatem incarnatam ante oculum intellectus varijs modis: tamen non apparebit animæ tantam iucunditatem atque calorem in ſe percipere, vt huiuſmodi viſioni videretur debere ſequi. Aliquando verò non videbit, & habebit valde magnã delectationem. Hæc omnia facio, paterna charitate motus, vt anima conſeruetur & in virtute proficiat humilitatis atque perſeuerantiæ: vt etiam inſtruatur, ne mihi legem imponere velit, neq; finem ſuum in conſolatione propria ſenſitiua, ſed ſolùm in virtutibus in me fundatis. Et cum humilitate ſuſcipiat vtrunque tempus: & cum affectu ſynceræ charitatis accipiat affectum meum, cum quo ſibi tribuo: cum fide viua credens, quòd ea quæ ſibi concedo ſunt vel pro neceßitate ſuæ ſalutis, vel vt ad perfectionem attingat. Igitur in humilitate conſiſtere debet faciendo principium atq; finem in affectu paternæ meæ charitatis: & in ipſa charitate

tate percipere delectationem, et delectationem iuxta voluntatem meam & non iuxta ſuam. Iſte modus eſt ad vitandum fraudem inimici ſiue deceptionem: à me cuncta recipiendo per affectuoſum amorem, qui ſum omnium finis fœlix & optabilis. Ideo fundari cuncta debent in mea voluntate.

DE HIS QVI NE PERDANT conſolationem propriam, negligunt proximum in ſua neceſsitate.

CAPVT. LXIX.

DIxi tibi de fraude, qua decipiuntur illi, qui ſuo modo guſtare me volunt in mentibus eorum. Modò fraudem aliam exprimere tibi volo, qua decipiuntur illi qui ſollicitè quotidie procurant habere conſolationem propriam in mentibus eorum, in tantum, quòd aliquando videbunt proximum ſuum in magna neceßitate ſpirituali ſiue temporali, nec ei ſubuenient, ſub colore virtutis, & dicent: Ex hoc ego perdo conſolationem atq; pacem animæ meæ: nec horas congruo tempore perſoluo. Vnde quia non habent, vt aſſerunt, in ſe cõſolationem, iudicant offendiſſe ſiue perdidiſſe me. Ipſi verò decepti ſunt à propria delectatione ſpirituali mentis eorum. Et valde magis offendunt me, non ſubueniendo neceßitati proximi ſui, quàm ſi dimitterent omnes conſolationes eorum: quoniam exercitia quæcunq; tàm vocalia quàm mentalia ſunt à me diſpoſita & ordinata, vt homo

homo perueniat ad perfectam charitatem mei atq; proximi, & vt in ipſa charitate virtuoſè conſeruetur. Itaq; grauiùs me offendit omittendo charitatem proximi, propter ſuum exercitium actuale ſiue quietem mentis, quàm ſi dimitteret exercitium amore proximi. Nam in charitate proximi me reperiunt: in delectatione verò propria, vbi me quærunt, eſſent omnino me priuati: quia non ſubueniendo proximo quando neceſſarium eſt, ipſo facto ſunt ipſius proximi charitate priuati: & imminuta charitate proximi, etiam affectus meus imminuitur erga ipſos. Affectu verò diminuto, pariter & conſolatio diminuitur. Itaq; lucrari putantes valde perdunt, & volentes perdere, lucrantur. Quia ſi volunt in ſalute proximi proprias omittere conſolationes, lucrantur in anima ſua me per gratiam & etiam proximum ei charitatiuè ſubueniendo in ſuis opportunitatibus: & ita guſtarent omni tempore dulcedinem, affectuoſæ charitatis meæ. Cùm autem hoc omittunt iugiter in pœna commorantur. Nam oportet aliquando quòd ipſi proximo ſuo ſubueniant, vel obedientia compellente, vel ex charitate, vel ex infirmitate corporali ſiue ſpirituali. Tunc ei ſubueniendo, ſentit in ſe pœnam atq; mentis tædium, et efficitur incomportabilis omnibus cum quibus aſſiduè conuerſatur, immo etiam ſibimetipſi. Siquis verò peteret ab eo, quare ſentis iſtam pœnam? Illicò reſponderet. Quia mihi videtur amiſiſſe pacem atq; mentis meæ quietẽ: & multa bona quæ facere ſolebã omiſi: vnde reputo Deum offendere. Sed nõ eſt ita. Iudicium enim eius in propria delectatione collocatũ eſt. Ideo neſcit agnoſcere ſiue

re ſiue diſcernere vbi conſiſtat offenſio ſua: quia ſi benè videret, intelligeret offenſam in carendo ſua conſolatione mentali: vel omittendo ſanctum exercitium orationis: tempore neceſſitatis proximi ſui non exiſtere, immo conſiſtere carentia charitatis proximi ſui, cui ſeruire debet, atq; cum charitate ſubuenire iuxta poſſe ſuū amore mei. Itaq; vides quòd fallitur ex amore proprio ſpirituali circa ſemetipſum.

DE DECEPTIONE QVA FALLVNtur illi, qui ſuum affectum poſuerunt in conſolationibus, atque mentalibus viſionibus.

CAPVT. LXX.

ET aliquando contingit ex hoc amore ſpirituali ꝓprio, quòd anima maius damnum incurrit: quia ſi ſuum affectum ſolummodo collocat in quærendo mentales conſolationes atq; viſiones, quas ego frequentiſſimè largior amicis meis: quando ſe priuatam illis videret, incidit in amaritudinem atq; mentis intolerabile tædium, quia ſe iudicat gratia eſſe priuatā, cum ab ea me quandoque ſubtraho, non per gratiam, ſed per ſentimentum, à mente ſua, ſicut iam tibi dixi: vt ita perueniat ad perfectionem. Ipſa verò cadit in amaritudinem, & ei videtur arram inferni guſtare, percipiendo ſe conſolatione priuatam, & moleſtijs multarum tentationum agitari. Nullo modo debet in tantam ingnorantiam incidere, nec ita permittere ſe decipi ab hoc amore proprio ſpirituali, quod non intelligat veritatem: ſed in ſe cognoſcat

cat fore me, qui ſum illud æternum bonum, quòd ei conſeruo bonã voluntatẽ in tempore belli, quæ nõ ſequitur cum conſenſu tentationes illas, à quibus in mente moleſtatur: Debet igitur humiliare ſe, reputando ſe pace ſiue quiete mentis indignam. Et ideo frequenter ab anima me ſubtraho, vt in humilitate perſiſtat, & vt veritatem meam in ſe cognoſcat, quam in bona voluntate reperit, quam ego ſibi conſeruo tempore bellorum, & vt ipſa nõ aſſueſcat accipere vel optare ſolummodo lactis dulcedinem, videlicet huiuſmodi conſolationes: immo ſe viriliter applicet ad pectus veritatis incarnatæ, vt vná cum lacte carnem etiam aſſumat, videlicet attrahendo dulcedinem affectuoſæ charitatis meæ mediante carne Ieſu Chriſti crucifixi. Hoc intelligo de doctrina ſua ſalubri, de qua vobis feci pontem, vt per illum ad me venire poſſitis. Ad hunc ergo finem ab animabus aliquando me ſubtraho. Si prudenter incedunt, ego poſtea redeo ad ipſas cum lumine, maiori dulcedine, fortitudine, atq; charitatis ardore. Si verò, quando me ſubtraho recipiunt cum tædio, triſtitia, et confuſione mentis, modicum inde lucrantur, & in ſua tepiditate perdurant.

QVOMODO PRAEFATI, QVI DElectantur in mentalibus viſionibus, aliquando decipiuntur à Diabolo, qui ſe transfigurare poteſt in angelum lucis. Et de ſignis quibus poteſt agnoſci, quando viſio procedit à Deo, vel à Dæmonio.

CAPVT.

CAPVT. LXXI.

POſt hæc, animæ tales aliquando recipiunt à Dæmonio fraudem aliam transformāte ſe in angelum lucis. Quoniam in eo quod intelligit animam optare ſeu recipere diſpoſitā, tentationis laqueū inuenire conatur: vnde quia mentem videt inclinatam, & allectā ad dulcedinem propriæ delectationis: & in huiuſmodi viſionibus mentalibus ex deſiderio commorari: ipſe Diabolus in illa mente ſe transformat in diuerſis modis. Aliquando ſub forma meæ veritatis, uidelicet IeſuChriſti: aliquando ſub angelica forma ſe demonſtrat: vel aliquorum ſanctorum meorum, ſicut intellexerit animam libentiùs acceptare, Hæc autem facit, vt eam illaqueare poßit hamo propriæ delectationis ſpiritualis, ad quam auiditate tāta deſideriū inclinatur. Et niſi ſollicitè conſurgat anima cū humilitate profūda, contēnendo realiter viſiones atq; conſolationes iſtas, hoc hamo capta remanet in manu Diaboli. Sed anima prudēs in illis non apponit affectū ſuum, immo quantum eſt in ſe reſpuit ex humilitate ſe reputans illis indignam: & cum affectuoſo deſiderio ſolummodo virtutes amplectitur, & affectum meum, qui largitor ſum, attendit: & non ad huiuſmodi donum ſiue delectationem propriam. Et ita Diaboli manus euadit illæſa: quia ſuperbia ſua humilitatem animæ tolerare nullo modo poteſt. Si verò petas, quomodo cognoſcitur viſio vera, ſiue viſio falſa & Diabolica: reſpondeo tibi præbendo ſignum verum: quia quādo Diabolus animam viſitat in forma lucis, illicò ſentit in aduentu

uentu ſuo gaudium vel alacritatem quandam: ſed quando moratur ampliùs tantò magis in ſe deficit atq; tenebræ remanent cum quodam tædio & obfuſcatione ſtimulatæ mentis. Cùm autem anima in veritate viſitatur à me, qui ſum æterna veritas in aſpectu primo recipit anima timorem ſanctum, & cum ipſo timore gaudium & ſecuritatem, cum dulci prudentia: quia dubitando non dubitat: ſed pro ſui notitia ſe reputans indignam, humillimè dicet: Ego non ſum digna tuam viſitationem habere. Cùm ergo ſim indigna, quomodo poteſt hoc eſſe. Tunc verò ſe conuertit ad latitudinem charitatis ineffabilis meæ: videns & apertè cognoſcens, quia mihi poſſibile eſt õnia quæcũq; uolo dare, nec aſpicio ad alicui⁹ indignitatẽ, immo dignitatem meam attendo, qui dignã illã facio, vt me recipiat in ſe per gratiã atq; ſenſum: quia non contẽno deſiderium, quo me vocat ad ſe. Ideo me recipit humili corde, dicens: Ecce ancilla tua fiat in me tua ſancta voluntas. Tunc egreditur ab itinere viſitationis meæ pariter & orationis eius cum alacritate, & magno gaudio mentis, cum humilitate ſe reputans indignam, & cum charitate, quia recognoſcit à me. Hoc eſt ergo ſignum cum anima viſitatur à me, vel à Dæmonio: quia quando viſitatur à me, reperit in aſpectu primo timorem ſanctum: in medio autem, & in fine gaudium cum fame virtutum. Econuerſo viſitatio Dæmonis, in aſpectu primo quandam alacritatem exhibet: poſtea verò dimittit in fine mentem cum confuſione tenebroſam. Ergo prouidi vobis exhibendo ſignum, vt anima, ſi vult humiliter ambulare cum prudentia, decipi non valeat. Quã

fraudem

fraudem incideret anima, quæ procedere vellet ſolummodo cum amore imperfecto circa proprias conſolationes & viſiones, affectum meum attendere negligendo, vt iam dictum eſt.

QVALITER ANIMA QVAE SE ipſam agnoſcit prudenter euadit præfatas fraudes.

CAPVT. LXXII.

N*Olui tibi tacere, filia chariſſima, fraudem, quam incurrunt communiter homines mundani, in amore ſenſitiuo permanentes cum paruitate bonæ operationis. In tempore ſcilicet quo cum modica virtute operantes, magis delectantur ipſa temporali conſolatione quam operando recipiunt, quàm virtute. Nec tibi tacere volui, quomodo decipiantur ſerui mei, cum cõſolationibus ſpiritualibus delectantur, amore proprio decepti, qui non ſinit eos cognoſcere veritatem affectus mei, nec videre vbi culpa conſiſtat. Et dixi tibi, fraudem qua vtitur Dæmon eos decipiendo, culpa ſua, cum ipſi non ſeruant modũ, quẽ dixi tibi hac ratione: vt tu & alij ſerui mei virtutes ſequamini amore mei, & non affectu alterius rei. In hæc omnia pericula incidere poſſunt, immo ſæpè incidunt illi, qui in imperfecto amore mei poſiti, potiùs propter donum meum me diligunt quàm propter me donatorem. Verùm anima, quæ domum propriæ cognitionis verè eſt ingreſſa, orando perfectè & abijciendo imperfectionem amoris & orationis, eo modo quem tibi*

tibi in tractatu orationis expoſui, me ipſum recipit, amoris affectu, querendo ad ſe trahere lac meæ dulcedinis à pectore doctrinæ Chriſti crucifixi, tertium iam ſtatum adepta amoris ſcilicet filialis & amici. Non habet hæc anima mercenarium amorem, ſed mecum agit, vt ſolent inuicem amici chariſſimi, quorum ſi alteri fuerit ab altero munus oblatum, qui accipit non tantùm munus reſpicit, verùm principaliter amici cor, & donantis affectum. Sic igitur anima quæ ad tertium ſtatum peruenit amoris perfecti, cum à me recipit munera, & gratias, non reſpicit ſolummodo donum meum: ſed oculo intellectus intuetur meæ charitatis affectum qua ſibi munus contuli. Atq; vt ipſa non poſſit ſe excuſare, quod id agere nequeat, ſcilicet meum affectum intueri, munus cum donatore coniunxi, cum diuinam naturam humanæ naturæ copulaui: & verbum vnigenitum ſcilicet filium meum, qui mecum vnum eſt, & ego ſecum, vobis donaui. Hac itaq; ratione donum reſpicere non valetis, niſi & me donatorem reſpiciatis. Vides ergo quo amoris affectu debetis diligere, & deſiderare donum & donatorem. Quod ſi facietis non in mercenario, ſed puro & ſyncero amore eritis, & hoc faciunt illi, qui clauſi manent in domo cognitionis propriæ vilitatis.

QVOMODO ANIMA RECEDIT ab amore imperfecto, & peruenit ad amorem perfectum.

CAPVT.

CAPVT. LXXIII.

HVcuſq; multimodè tibi monſtraui, ſicut anima reſurgit ab imperfectione ſua, & ad amorem perfectum attingere poteſt, & quid agit, ex quo peruenerit ad amorem filialem & amici. Tibi namq; dixi, quòd illuc valet attingere cum ſancta perſeuerãtia, claudendo ſemetipſam in domo notitiæ ſuæ fragilitatis. Quæ notitia ſui debet eſſe condita cum agnitione meæ bonitatis, vt ad confuſionem non veniat. Nam in notitia ſui, propriæ ſenſitiuæ paſſionis odiũ acquirit, atq; delectationis propriæ conſolationis. Et ab hoc odio ſancto in humilitate fundato, patientiam veram acquirit, in qua fortis efficitur contra bella Diaboli, & contra perſecutiones hominum. Erit etiam valde patiens, quando pro ſalubri bono ſuo me ſubtrahere velim, per ſenſum ab ea, omnia libentiſſimè tolerabit cum iſta reali virtute. Et ſi propria ſenſualitas, vellet ex aliqua difficultate rebellare quandoq; contra rationem, iudex conſcientiæ debet aſcendere ſuper ſe cum odio ſancto, faciendo iuſtitiam: neq; permittendo motus tranſire inordinatè ſine correptione. Quamuis anima, quæ conſiſtit in odio ſancto ſui, quotidie ſe corrigit & arguit omni tempore: non ſolùm eos qui ſunt contra rationem, immo frequenter illos etiam motus corripit, qui procedunt à me. Hoc innuere voluit ille deuotus ſeruus meus beatus Gregorius, cum ait: Bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt. Igitur ita debet anima facere, & facit quæ vult ſurgere ab imperfectione: videlicet exſpectare perſeueranter

in

in domo notitiæ ſui prouidentiam meam cum lumine fidei: ſicut egerunt illi ſancti diſcipuli qui patienter exſpectauerunt in domo, nec inde diſceſſerunt, immo perſeuerauerunt in vigilia cum humili oratione continua vſq; ad aduentum ſancti Spiritus. Et hoc eſt illud quod agit anima, ſicut iam dixi: Poſtquam ab imperfectione ſurrexit, & in domo ſe recluſit, vt ad perfectionem attingat. Ipſa ſtat iugiter in vigilia, oculum intellectus ad doctrinam veritatis meæ dirigendo: & quia ſe cognouit, humiliata conſiſtit in oratione continua, videlicet deſiderij verè ſancti, quoniã in ſe cognouit meæ charitatis affectũ.

DE SIGNIS, QVIBVS COGNOSCItur, animam attigiſſe ad amorem perfectum.

CAPVT. LXXIIII.

N*Vnc verò tibi dicendum eſt, in quo demonſtratur animam ad maiorem perfectum attigiſſe. Noueris ergo verum eſſe ſignum illud, quod habuerũt illi ſancti diſcipuli poſt aduentum ſancti Spiritus. A domo namq; fuerunt egreſſi, & amiſſo timore, verbum meum annunciabant, prædicantes doctrinam vnigeniti filij mei, virili corde contemnendo pœnas, immo gloriabantur in pœnis: neq; metuebant annunciare veritatem in conſpectu tyrannorum atq; principum huius mũdi, ad nominis mei laudem & gloriam. Sic animam, quæ in cognitione ſui perſeueranter exſpectauit, ego poſtmodum in reditu meo viſito cum igne meæ charitatis: cum qua charitate dum ſtetit in domo cum perſeuerantia, concepit virtutes per amoris affectum, participando de*

potentia mea. Cum qua virtuoſa potentia vicit & ſubiugauit propriam paßionem ſenſitiuam. Et cum ipſa charitate participaui cum ea ſapientiam vnigeniti filij mei, in qua ſapientia vidit & agnouit oculo intellectus veritatem meam, atq; fraudes amoris proprij ſpiritualis, videlicet amoris imperfecti propriæ conſolationis, vt iam dixi. Cognouit etiam fraudem atq; malitiam Diaboli, qua decipit animam quæ ligata fuerit in illo amore imperfecto. Et ideo ſurrexit cum odio ipſius imperfectionis, & amore perfectionis in dicta charitate, quæ ipſe Spiritus ſanctus eſt, participaui videlicet in voluntate ſua, ipſam fortificando, vt quamcunq; pœnam pro nomine meo ſuſtinere vellet, & egrediendo domum, virtutes in proximo ſuo pareret. Non quidem egreditur à domo notitiæ ſui, ſed egreditur à domo cordis & animæ, virtutes conceptæ per amoris affectum. Et eas parturit in tempore neceßitatis proximi ſui multifariè multisq; modis: quia timor ille perditus eſt, qui detinebat eam, ne manifeſtaret ex timore perdendi conſolationes proprias, vt iam ſupra dixi. Poſtquam autem homo peruenit ad amorem perfectum & liberalem, egreditur extra, modo dicto, ſemetipſum deſerendo. Et hoc vnit homines cum quarto ſtatu: videlicet quando à tertio ſtatu conſurgẽs qui perfectus eſt, in quo tertio ſtatu guſtat & parit in proximo ſuo charitatem, recipit vnum ſtatum vltimum pfectæ unionis in me. Qui duo ſtatus inſimul vniti ſunt, nec eſt vnus abſq; reliquo, prout charitas mea ſine charitate proximi, neq; charitas proximi ſine charitate mea poteſt eſſe. Non.n. eſt vna ſeparata ab altera. Sic eſt de duobus ſtatibus iſtis, ut in ſequẽtibus aptiùs audire poteris.

QVA-

QVALITER IMPERFECTI SEqui cupiunt ſolummodo patrem: Sed perfecti ſequuntur filium. Et de quadam viſione pulchra.

CAPVT. LXXV.

Dixi tibi, quòd egrediuntur extra, & quod eſt ſignum quod ab imperfectione diſceſſerunt, & ad perfectionem attigerunt. Aperi oculum intellectus, & illos per pontem feſtinare conſidera, doctrinæ videlicet Ieſu Chriſti crucifixi, qui fuit, & eſt, via, regula, & doctrina veſtra: & nunc ꝙ coram oculis intellectus eorũ, non habent obiectũ niſi Ieſum Chriſtum crucifixũ. Non.n. aſſumũt in obiectum patrẽ, ſicut ille facit, qui ſtat adhuc in amore imperfecto, qui nullã vult omnino pœnam habere, quoniã in me patre pœna cadere non poteſt. Ergo ſolummodo ſequi concupiſcit meam delectationem, quã in me reperit. Iſti verò non ita faciunt immo tanquã ebrij & ignito amore ſuccenſi, congregauerũt & aſcenderunt tres gradus generales, quos in tribus animæ potentijs figuraui tibi: Atq; tres gradus actuales, quos actualiter tibi figuraui in corpore Ieſu Chriſti crucifixi vnigeniti filij mei. Vnde, ex quo pedes attigerunt, & aſcenderunt cũ pedibus affectus animæ, peruenerunt ad latus ſiue coſtatũ, vbi ſecreta cordis agnouerũt, & aquæ Baptiſmum inuenerũt qui virtutẽ habet in ſanguine, vbi reperit anima gratiam in ſancto Baptiſmo, & ibi diſponitur & paratur animæ vas ad gratiã vnitam atq; concretã ſanguine recipiendam. Sed vbi cognouit anima huiuſmodi dignita-

gnitatem, vt eſſet vnita ſiue compoſita in ſanguine agni, recipiendo ſacrum Baptiſmum virtute ſanguinis? In eo ſtatu, ſiue lateris vulnere, vbi cognouit ignem ardentiſſimæ charitatis. Et ita ſi benè meminiſti, veritas incarnata tibi manifeſtauit, cum interrogâſti, dicens: Agne dulcis & immaculate, tu iam vitam in cruce finieras, quando latus lancea tibi fuit apertum: quare decreuiſti tali modo percuti atq; lancea cor tuum ita crudeliter aperiri? Ipſe verò tibi reſpondit, hoc eueniſſe multiplici reſpectu, quorum aliquem illicò tibi patefecit. Quia videlicet eius deſiderium erga ſalutem humani generis erat infinitum, & operatio pœnarum illarū atq; tormentorum erat in ſe finita, & per aliquam rem finitum oſtendere non valebat amorem eius infinitum. Et ideo voluit aperiri cor eius, vt apertiſſimè ſecreta cordis agnoſceretis: quia procul dubio magis & ardentiùs diligebat quàm oſtendere poterat ex aliqua pœna finita. Et ideo ſanguinem & aquam inde voluit effundere ſic abundanter, vt in aqua denotaretur atque ſanctificaretur ille Baptiſmus aquæ, quo genus humanum vniuerſum, à ſuis iniquitatibus lauari atque mundari poſſet, qui virtutem habet in efficacia pretioſi ſanguinis effuſi, cum tàm ardenti & amoroſo deſiderio. Et in hoc actu voluit oſtendere duplicem alium Baptiſmum ſanguinis: Vnus eſt in his, qui Baptizati ſunt in ſanguine ſuo, quem amore mei fuderunt & aquæ Baptiſmum habere nequiuerunt. Qui ſanguis habet efficaciam propter Ieſu Chriſti dilectiſſimi filij mei ſanguinem. Alius autem eſt Baptiſmus ignis, videlicet eorum, qui Baptiſmum

ptiſmum affectuoſè deſiderant, & habere nequeũt. Nec eſt Baptiſmus ignis abſq; ſanguine: quia ſanguinis eſt verè conſperſus & immixtus igni diuinæ charitatis, eò quòd ingenti fuit amore effuſus. Inſuper aliter anima recipit huiuſmodi ſanguinis Baptiſmum, figuratiuè loquendo: nam quia noui fragilitatem & infirmitatem hominum, vnde frequenter offendunt, comittendo grauia peccata, ex quorum culpa gratiam amittunt, quam acquiſierunt in ſacro Baptiſmate, virtute ſanguinis. Ad quam tamen culpam committendam homines inuiti non impelluntur ab infirmitate, nec ab aliqua creatura, niſi ſponte conſentire velint, vt iam dixi tibi. Ideo vt ipſi poßint ipſam gratiam perditam animæ ſuæ recuperare, ac in ipſa quotidie perſeuerare, ſynceriſsima diuina charitas mea gratioſè prouidit, vt iugiter homines Baptiſmum ſanguinis haberent, quem vtiq; recipiunt ex contritione cordis in ſancta confeßione: videlicet confitendo peccata ſua miniſtris meis, quibus ego commiſi clauem huiuſmodi ſanguinis. Quem vtiq; ſanguinem in abſolutione peccatorum effundunt in facies animarum, quo lotæ reſtituuntur ad gratiam. Et ſi fortè nequirent habere confeſſorem, vt in omnibus caſibus creaturis meis occurrat prouidentia mea, ſufficit habere contritionem in corde, cum propoſito confitendi, ſi poterit. Tunc ergo manus exoptandæ clementiæ meæ, fructum ſanguinis huius pretioſi largitur. Qui verò poteſt habere confeſſorem, omnino volo atq; præcipio, quòd actualiter ipſi miniſtro meo confiteatur. Si quis autem habere poterit, & acceptare noluerit, omnino pri-

uatus erit fructu ſalutiferi ſanguinis. Tamen etiam ſi in extremis tandem confiteri cordialiter & in ueritate voluerit, & non potuerit, etiam ad gratiam acceptabitur: Sed conſulo, ne quis ita ſtultè procedat in vita ſua, quòd ad hanc extremitatem adducatur: quia magno periculo ſemetipſum exponit. Non eſt enim aliquo modo tutus, quòd non propter obſtinationem ſuam, diuina iuſtitia mea dicat ei: Tu mei non fuiſti memor in uita quando potuiſti, & ego tui obliuiſcar in morte. Itaq, nemo debet inaniter amittere ſalubre tempus, differendo remedia ſuæ ſalutis. Si tamen ex negligentia ſua diſtulit vſq, dum viuit, omittere nullo modo debet in ſpe ſanguinis huius pretioſi ſemetipſum iſto modo Baptizare. Itaq, vides in ſalutem animarum veſtrarum, huiuſmodi Baptiſmum humano generi continuum eſſe gratioſè conceſſum. In hoc ergo Baptiſmo cognoſcere potes operationem filij mei, videlicet pœnam crucis fuiſſe finitam: fructus verò pœnæ quem per eum recepiſtis, eſt infinitus. Et hoc accidit virtute diuinæ naturæ, quæ infinita, eſt vnita cum natura veſtra humana, quæ finita eſt. Quæ natura humana ſubſtinuit pœnam in verbo meo veſtra humanitate veſtito. Sed quoniam eſt inſerta & vnita vna natura cum altera, traxit ad ſe pœnam æterna Deitas, quam in cruce ſuſtinuit inæſtimabili charitate. Ideo pœna talis & operatio dici poteſt infinita, non quòd in ſe pœna fuerit infinita, nec actualis in corpore, nec etiam in animæ deſiderio, quòd habebat implendi redemptionem humani generis: quia terminata fuit in cruce, cùm anima diſceſſit & fuit à corpore ſeparata.

rata. Sed fructus qui proceſſit à pœna, & deſiderium veſtræ ſalutis extenditur in infinitum, & ideo infinito modo recepiſtis, quia ſi fructus non eſſet infinitus, non fuiſſet in gratia reſtitutum vniuerſum genus humanum, videlicet præteriti, præſentes, & futuri. Nec etiam homines qui iugiter offendunt, poſt offenſam ab ea releuari poſſent, ſi tale Baptiſma ſanguinis in vobis, finito fructu careret. Hoc ipſe filius meus vobis apertè patefecit in ſui ſacratiſſimi lateris apertura, vbi ſecreta cordis inuenire potes, oſtendẽdo quòd magis vos atq; ſalutem veſtrã amat & optat, quàm cum aliqua pœna finita Demonſtrare potuerit. Oſtendi tibi fructum iſtum infinitum. Cum quo? Cum Baptiſmate ſanguinis, iuncto cum igne diuinæ charitatis: quia cum inæſtimabili amore fuit effuſus, & in generali Baptiſmo Chriſtianis exhibito. Et omnibus qui volunt aqua Baptizari, quæ procul dubio vnitur ignito ſanguini, vbi anima ſe purgat & componitur, vt panis aqua. Et vt hæc apertè cognòſcerentur, voluit ipſe filius meus, vt à latere ſuo ſacratiſſimo ſanguinis efflueret vnà cum aqua.

QVOMODO VOLVNTAS propria in anima mortua, ſignum verum eſt, quòd ipſa peruenerit ad os, videlicet ad tertium gradum ſupra ſcripti pontis.

CAPVT. LXXVI.

Omnia quæ narraui tibi nunc priùs audîſti ab vnigenito filio meo, ſed in perſona ſua volui tibi

replicare, vt apertiùs videres excellentiam, vbi eſt anima quæ iam aſcendit iſtum ſecundum gradum, vbi cognoſcit & acquirit ineffabilem amoris ignem, quo ſuccenſa ſubitò currit ad tertium gradum, videlicet ad os. Et ibi manifeſtè demonſtrat ad ſtatum perueniſſe perfectum. Vnde pertranſiuit per medium cordis, videlicet cum memoria ſanguinis, in quo Baptizata fuit, amorem imperfectum deſerendo: Ex illa notitia, quam attraxit ab amore cordiali guſtando, videndo, & intelligendo ignem intenſæ meæ charitatis. Tales verè peruenerunt ad os. Ideo demonſtrauit, oris officium exercentes. Loquitur enim os lingua, quam infra ſe continet. Guſtus verò guſtat. Os in ſe retinet atque ſtomacho porrigit: dentes quoq; conterunt cibum, quoniam aliter ingeri neq; digeri poſſet: Sic anima primò loquitur mihi, lingua quæ conſiſtit in ore ſancti deſiderij, videlicet lingua deuotæ atq; continua orationis. Iſta lingua loquitur actualiter & mentaliter. Loquitur actualiter, annunciando meæ veritatis Euangelicam doctrinam: videlicet monendo, conſulendo, & abſq; timore quocunque confitendo: contemnendo pœnam quamcunq; mundus ei minaretur ſiue poſſet inferre: ſed audacia ſancta confitetur, coram omnibus varijs modis, vt vnicuique viderit expedire. Mentaliter verò loquitur, offerendo mihi dulcia & amoroſa deſideria, in ſalutem animarum. Inſuper animarum cibum accipit atq; comedit, ſuper menſa ſanctiſsimæ crucis ad honorem mei, quoniam aliter, vel in alia menſa non poſſet illum in veritate perfectè comedere. Dixi, quòd huiuſmodi cibum denti-

dentibus conterit: aliter enim illum ingerere ſiue digerere non valeret dentibus, videlicet odij & amoris. Quæ duo ſunt ordines in ore ſancti deſiderij dentium, vbi detinetur iſte cibus, conterendo cum odio ſui, & amore virtutum in ſe pariter & in proximo ſuo conterit, vilipendendo quamlibet iniuriam, & omnes contumelias, deriſiones, improperia, & perſecutiones vndecunq; proueniant: virtuoſè tolerando famē, ſitim, calores, & frigora cum pœnis & anxijs deſiderijs, lachrymis atq; ſudoribus in ſalutem animarum. Hæc omnia & alia plurima conterit atq; deglutit amore mei, ſupportando charitatiuè proximum ſuum. Poſtquam autem ita contriuit, guſtus auidè guſtat, ſaporans fructum laborum dulcium, & amœnitatem cibi animarum, illum inſyncerâ & ignifera charitate mei & proximorum ſuorum affectuoſè guſtando. Et ita cibus iſte peruenit ad ſtomachum, qui ex deſiderio ſalutis animarum valde fameſcebat, & huiuſmodi cibum optabat, videlicet vt ſtomachus amoroſi cordis cū amœnitate atq; ſynceriſſima charitate proximi ſui ruminare delectatur. In tantum, quod omnino perdit propriæ vitæ corporalis teneritudinem et affectionem: vt ipſum cibum in menſa crucis atq; doctrinæ Ieſu Chriſti, ſumptum ingerere pariter & virtuoſè digerere valeat. Tunc impinguatur anima in veris atq; realibus virtutibus, & ex abundantia cibi repletur in tantum, quod veſtimentum exterius propriæ ſenſualitatis, id eſt corpus, quod animam contegit, crepando ſcinditur quantum ad ſenſitiuum appetitum. Qui verò crepat omnino moritur. Ita ſenſitiua voluntas illicò

mortua remanet. Et hoc eſt ex eo, quoniam animæ voluntas ordinata viuit in me, uoluntatem meam in omnibus induta, & ex hoc illa ſenſitiua mortua fuit. Hoc igitur eſt verum ſignũ, quod anima peruenit ad gradũ tertium oris: quia videlicet occidit in veritate propriã voluntatem, quando guſtauit meæ charitatis affectum, & ideo reperit in opere pacẽ & quietem animæ ſuæ. Noſti quòd in ore par exhibetur. Sic in iſto tertio ſtatu pacem inuenit: ita & taliter, vt nemo eam turbare valeat pro eo quod perdidit, & abnegauit voluntatem propriã, quæ præbet vtiq; pacem & quietem animæ, quæ nouit illam occidere. Tales virtutes pariunt abſq; pœna ſuper proximum ſuum, non quòd pœnæ non ſint eis pœnæ, ſed voluntas quæ mortua eſt, non æſtimat eas ad pœnam: quia voluntariè tolerat amore mei cum iucunditate quadã. Iſti ſine quacunq; negligentia currunt per viam ſaluberrimæ doctrinæ Ieſu Chriſti crucifixi: nec & iniuria ſibi facta, ſiue perſecutione quacunque, ſiue quibuſdam mundi delicijs iter ſuum aliquo modo retardant: ſed omnia tolerant cum perſeueranti fortitudine. Et ſuccenſi charitatis affectu guſtant cibũ ſalutis animarũ, cũ vera patientia, quæ patiẽtia ſignũ eſt in veritate demonſtratiuũ, ꝙ anima perfectè diligat abſq; reſpectu propriæ commoditatis, quia ſi me diligeret & proximum ex vtilitate propria, eſſet impatiens, ambulando remiſsè cum negligentia. Sed quia tales me diligunt propter me, quia ſumma ſum bonitas, & amari dignus, & ſe propter me diligunt: & proximum ſum ſimili modo propter me, vt exhibeant laudem & gloriam nomini meo: ideo fortes

atque perſeuerantes exiſtunt ad omnia toleranda cum vera patientia.

DE OPERIBVS ANIMAE POSTquam tertium gradum aſcendit.

CAPVT. LXXVII.

HÆ ſunt illæ tres glorioſæ virtutes in vera charitate fundatæ, quę conſiſtunt in ſummitate arboris ipſius affectuoſæ charitatis: videlicet patiētia, fortitudo, atq; perſeuerantia, quæ cum lumine ſanctiſſimæ fidei coronantur. Cum quo lumine ſine tenebris ambulant valde velociter per veritatis viam, & in altum extollitur ex deſiderio ſancto. Et ideo nemo poteſt eam offendere: neq; Dæmones cū ſuis tentationibus, quia timent animam igne charitatis accenſam: nec hominum iniuriæ ſiue detractiones, immo quamuis iſte mundus eos iniuſtè perſequatur, tamen eos valde metuit. Ita mea bonitas operatur & vult, vt in conſpectu meo magnificentur, ac etiam in mundo fortificentur: quoniam ex humilitate ſe paruulos effecerunt: Et ego magnificaui eos in me vita durabili, ac etiam in corpore myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ, vbi fit quotidie veneranda memoria de ipſis, quia nomina eorum in me libro vitæ ſcripta reperiuntur: Itaq; mundus eos habet in reuerentia, eò quòd ipſum vilipendēdo contēpſerunt. Iſti non ex timore, ſed ex humilitate virtutē abſcondūt. Et ſi fuerit opus in aliquo, proximo ſuo ſubueniēdo ſeruire, non ſe ſubtrahunt ex timore laboris, vel alicuius pœnæ ſiue dubitando perdere conſolationē ꝓpriā: immo viriliter atq; fideliter ei ſeruiunt

uiunt, de ſe non curantes, immo ſe valde contemnentes, vt ipſi proximo ſuo ſeruire valeant. Qualitercunq́ tempus & vitam ſuam exerceant in honorem meum, exultant, & habent in mente ſua quotidie quietem, atque tranquillam pacem. Et hoc vnde procedit? Quia non eligũt mihi ſeruire modo ſuo, immo ſicut placet mihi. Et ideo tantum appretiant tempus conſolationis quàm tribulationis: tantum proſperitatem quantum aduerſitatem: tantum curant de vna quantum de altera. Quoniam vbique & in omnibus his, talis inuenit ſanctam voluntatem meam, & ipſe nil aliud optat, niſi vt cum ea conformitatem habeat vbicunq́ reperiat eam. In qua voluntate cognouit, quia nihil abſq́ me factum eſt, & cum myſterio, & cum mea diuina prouidentia, niſi peccatum, quod nihil eſt. Vnde ſolummodo peccatum odiunt, cætera verò cum reuerentia ſuſcipiunt. Et ideo ſunt ita ſtabiles & firmi, per viam veritatis ambulantes: neque tepeſcunt in ſeruitio proximorum, immo fideliſsimè ſeruiunt omnibus iuxta poſſe, nec attendunt ignorantiam vel ingratitudinem aliquorum. Nec etiam, quamuis aliquando peruerſus vel vitioſus homo ſibi dicat iniuriam, redarguendo opera ſua, omittunt effundere preces pro eo, coram me, magis affligendo ſe propter offenſam meam, atq́ detrimentum animæ proximi, quàm de iniuria propria. Iſti dicunt cum glorioſo præcone meo Paulo. Mundus maledicit, & nos benedicimus: ipſe nos perſequitur, & nos cum patientia & gratiarum actione ſubſtinemus, blaſphemamur & obſecramus, tãquam purgamenta mundi huius facti ſumus. Itaq́ vides, dilectiſsima

ma filia, iſta ſigna: ſed præcipuè ſupra cætera virtutem patientiæ, per quam apertiùs anima demonſtrat in veritate, profeciſſe ab imperfectione ad amorem perfectum, ſequendo dulcem & immaculatum agnum vnigenitum filium meum, qui dum eſſet in cruce, clauis ibidem affixus amoris, nullo modo ſe retraxit ob inſultum & improperium Iudeorum ei dicentium: Deſcende nunc de cruce, credemuſq́ tibi. Nec etiam propter ingratitudinem aliorum, quin iugiter in obedientia quam impoſueram ei, perſeueraret cum tanta patientia, quòd vox alicuius murmuris non fuit ab ore ſuo audita. Similiter iſti dilectiſſimi filij mei, ſequuntur doctrinam atq; veſtigia meæ veritatis. Et quamuis iſte mundus ipſos retrahere velit, à recto tramite, blanditijs vel minis, ipſi tamen in hoc itinere ſuo non retardant, vel ab ipſo retrocedunt: immo ſolummodo reſpiciunt in meæ veritatis obiectum. Iſti volunt à campo belli retrocedere, neq; redire domum vllatenus volunt, ad tunicam iam omiſſam propriæ complacentiæ repetendam: quia videlicet ampliùs timere ſolebant creaturas quàm me creatorem: immo delectabiliter valde conſiſtunt iugiter in prælio, repleti & ebrij ſanguine Ieſu Chriſti crucifixi: quem ſanguinem antepoſuit vobis affectuoſa mea charitas in apotheca myſtici corporis Eccleſiæ ſanctæ: vt animentur illi qui cupiunt eſſe veri milites, ad pugnandum cōtra propriam ſenſualitatem carnalem & fragilem, atque contra mundum, & aduerſantem Diabolum, gladio & enſe odij præfatorum vitiorum ſuorum, & amore virtutum. Qui amor velut armatura valida reparat,

parat atq, defendit eos ab ictibus & vulneribus vniuerſis, ita q̄ minimè nocere poſsũt, niſi deponãt armaturã ipſam pariter & gladium, & in manibus inimicorũ ſuorum exponant: videlicet manu liberij arbitrij, ſuccũbendo voluntariè ſuis inimicis. Non ita faciunt iſti, qui ſanguine ſunt ebrij, ſed vſq, ad mortem virtuosè perſeuerant, vbi recipiunt omnes inimici ſui conflictum: O glorioſa uirtus, quantũ es mihi quotidie grata, reſplendẽs in mũdo, in oculis tenebroſis ignorantium hominum, qui declinare nequeunt, quin amabilem ducem participent amicorum meorum. Nam in eorum odio clementia relucet, qua ſerui mei diligunt atq, procurant indefeſſè ſalutem eorum. In eorum inuidia relucet affectuoſa charitas, & in crudelitate pietas. In iniuria quoq, relucet vera patientia, quæ glorioſè dominatur: atq, dominium in manu pacificè tenet omnium virtutum, quoniam eſt vtiq, medula charitatis. Ipſa namq, demonſtrat apertè, ſi virtutes in anima ſunt in me verè fundatæ. Ipſa quotidie triumphat ex omnibus, nullo tempore ſuccumbens. Nam iugiter eſt aſſociata fortitudini ſimul & perſeuerantiæ, ſicut dictum eſt. Ipſa domum omni tempore cum glorioſo triumpho redit, & egrediens à campo præliorum in conſpectu meo ſe repræſentat. Et quia ſum omnium laborum amicorum meorum valde gratioſus remunerator, recipiunt à me coronam gloriæ.

DE

DE QVARTO STATV, QVI TAmen non eſt à tertio ſeparatus: Et de operibus animæ, quæ ad ipſum peruenit.

CAPVT. LXXVIII.

HVcuſq; tibi dixi, quomodo demonſtrant homines ſe perfectionem amoris amici atq; filialis attigiſſe: Nũc autem volo tibi narrare breuiter, in quanta conſolatione me guſtant, exiſtentes adhuc in ſuo mortali corpore. Cùm enim attigerunt ſtatum illum tertium, vt iam dixi tibi, acquirunt ibi quartum, qui tamẽ à tertio non eſt diuiſus vel ſeparatus, ſed eſt vnitus ei: nec vnus eſt abſq; reliquo, prout eſt mea charitas cum charitate proximi. Sed eſt vnus fructus, egrediẽs ab iſto tertio ſtatu, cuiuſdã vnionis valde perfectæ, quã anima facit in me, vbi fortitudinẽ vltra fortitudinẽ acquirit: ita vt nõ ſolummodo cum patientia tolleret aduerſa quæcũq;, verùm etiam anxiè deſiderat ad laudem & gloriam mei nominis omnia ſuſtinere. Iſti gloriantur in opprobrijs vnigeniti filij mei, vt ait Apoſtolus Paulus, glorioſus præco meus: Libenter gloriabor infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. *Et alio loco:* Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini mei Ieſu Chriſti. Ego nãq; ſtigmata Domini mei Ieſu Chriſti in corpore meo porto. *Similiter iſti tanquã de honore meo philocapti, & veluti famelici animarũ cibum eſurientes, velociſſimè currunt ad menſam ſanctiſſimæ crucis, exoptantes affectuoſo deſide-*

deſiderio pœnas quaſcunq; tolerare, proximo vtilitatem afferre, virtutes acquirere atq; conſeruare, ſtigmata Ieſu Chriſti portando iugiter in corporibus eorum, videlicet quia cruciatus amor, quem in corde geſtant, etiam in corpore relucet. Vilipendendo ſemetipſos, & pro magna delectatione ſua gloriantes in pœnis, opprobrijs atque moleſtijs, vndecunq; proueniant, ſiue qualitercunque mihi placet eis concedere, huiuſmodi chariſſimis amicis meis pœna eſt vtiq; conſolatio, delectatio verò labor eſt eis. Et conſolationem omnem ſiue delectationem, quam mundus eis exhibere vellet, ipſi contemnunt, nec acceptare dignantur. Neque ſolummodo conſolationes mundi: nam ego interdũ concedo, quòd ſerui mundi eos habeant in reuerentia atq; ſub ueniant opportunitatibus eorum: ſed etiam conſolationes, quas ego pater æternus animabus eorum infundo, ex humilitate & odio ſancto ſui contemnunt. Non quidem contemnunt conſolationem atq; gratiam meam, ſed delectationem, quam animæ deſiderium inuenit in ipſa conſolatione. Hoc enim accidit ex virtute veræ humilitatis, quam acquiſierunt in odio ſancto, quæ quidem humilitatis eſt baiula & vera nutrix charitatis, acquiſita in vera cognitione ſui pariter & mei. Itaque vides virtutẽ atque ſtigmata Ieſu Chriſti fulgere in corporibus atq; mentibus eorũ. Talibus ego concedo, me nunquã ſeparari per ſenſum ab eis, prout ab alijs: ego dixi tibi, quòd ibam, & redibam ad eos diſcedendo non per gratiã, ſed per ſentimentum. Non igitur ita facio cum perfectiſſimis iſtis, qui peruenerunt ad magnam perfectionem,

qui

qui virtuosè mortui ſunt ad omnem voluntatem propriam: ſed iugiter in animabus eorum requieſco per gratiam atq; ſentimentum. Hoc eſt, quod quandocunq; mens eorum vniri vult in me, per affectum amoris, agillimè poſſunt, quia deſiderium eorum eſt mihi vnitum, ita perfecta vnione, quòd nullo modo ſeparari poteſt. Sed eis omnis locus eſt locus, & omne tempus eſt eis tempus orationis, quia conuerſatio eorum eleuatur à terra, & aſcendit in cœlum: quia videlicet omnis terrenus affectus, & amor proprius ſenſitiuus eorum ablatus eſt ab eis. Aſcenderunt ſuper ſe in altitudinem cœli cum ſcala virtutum, & aſcenderunt illos tres gradus quos figuraui fore in corpore vnigeniti filij mei. Nam exſpoliauerunt in primo gradu affectum pedum ab amore vitiorum. In ſecundo verò guſtauerunt ſecretum & affectum cordis, vnde conceperunt amorem in virtutibus. In tertio verò pacis & quietis in mente, probauerunt in ſe virtutem & omittentes amorem imperfectum, attigerunt ad magnam perfectionem, & ibi receperunt quietem in doctrina mea veritatis. Inuenerunt vtiq; menſam, cibum, atq; ſeruitorem. Quem cibum in mente guſtant mediante doctrina Ieſu Chriſti crucifixi vnigeniti filij mei. Ego ſum eis lectus atq; menſa: verbum verò dulce omni ſuauitate plenum eſt eis cibus: tùm, quia cibum animarum guſtant in iſto glorioſo verbo, tùm, quia vobis à me datus eſt in cibum, dum videlicet in altari recipitis in venerabili Sacramento carnem & ſanguinem eius, in quo Deus &

O *homo*

homo veriſſimè continetur. Iſte cibus optabilis à mea bonitate datus eſt vobis, dum eſtis viatores atq; peregrini: vt ex imbecillitate non deficiatis in via, & ne memoriam huius pretioſi ſanguinis pro vobis effuſi eum excellentiſſima charitate tradatis obliuioni, ſed iugiter in me confortemini, & in itinere veſtro quotidie cum delectatione refocillemini atq; conualeſcatis. Sanctus verò Spiritus affectuoſa charitate ſeruit eis, in qua dona pariter & gratiæ miniſtrantur. Iſte ſeruitor gratus & valde dulcis portat iugiter & adducit. Adducit & offert amoroſa, pœnoſa, & dulcia deſideria, & illis affert fructum diuinæ charitatis: fructum laborum ſuorum in animabus ipſorum quotidie guſtant ſemetipſos nutriendo, de dulcedine mea diuinæ charitatis. Item vides, quòd ego menſa ſum illis: Filius verò meus verè eſt cibus, Spiritus quoque ſanctus à me procedens & à filio meo ſeruit eiſdem. Ergo per ſentimentum quotidie me poſſident in mente ſua. Et quantò magis delectationem habere contempſerunt, eligentes & optantes propter me pœnam habere, magis priuati ſunt omni pœna, & delectationem ſuauiſſimam inuenerunt. Et hoc accidit, quia ſunt in meæ charitatis ardore ſucceuſi & igniti, vbi voluntas eorum eſt omnino conſumpta: Quare Diabolus valde metuit baculum charitatis ipſorum. Ideo ſagittas ſuas iactat à remotis, nec audet eis adhærere. Mundus verò percutit exteriorem corticem corporis eorum, putans eos offendere, ſed ipſe ab eis offenditur: quia ſagitta

gitta, quæ non inuenit vbi poſſit intrare, illicò redit ad ſagittantem. Ita mundus operatur cum ſagittis iniuriarum, perſecutionum atq; murmurationũ ſuarũ, ſagittare volens iſtos perfectiſſimos ſeruos meos, ſed eis nocere non valet. Nam hortus animarum eorum eſt valde clauſus, & non inuenit vbi poſſit intrare. Ideo ſagitta redit ad eum qui ſagittauit veneno culpæ venenata: ſeruos autem & amicos meos nullo modo lædere poteſt. Et ſi fortè modicùm in corpore lædat, animam verò vel in minimo lædere non poteſt, immo beata ſimul & doloroſa conſiſtit. Beata quidẽ eſt propter vnionem & affectum charitatis, quam habet in ſe: doloroſa verò propter offenſam proximi ſui. Iſti ſequuntur agnum immaculatum vnigenitum filium meum, qui cum eſſet in cruce, beatus erat atq; doloroſus. Beatus erat, quia natura diuina vnita cum humana natura pœnam in nullo ſubſtinere poterat, & ſemper animam eius beatã efficiebat abſq; velamine, ſe demonſtrando ſibi. Doloroſus autem erat, eò quòd crucem in corpore ſuo portabat, pœnam amariſſimã tolerando, atq; deſiderij crucem, vt pro culpa ſatisfaceret humanæ generationis. Ideò beatus erat atq; doloroſus, eò, quia caro pœnam habebat: Deitas verò pœnam, habere nequibat: nec etiam anima, quantum ad ſuperiorem partem intellectus. Sic iſti dilectiſſimi filij mei, poſtquam ad tertium & quartum gradum attigerunt, doloroſi ſunt, crucem tolerantes actualem atque mentalem:

videlicet actualiter in corpore ſuo, tolerando pœnas: vt eis ego permitto, ſimul & crucem deſiderij, doloris, videlicet et amaritudinis ex offenſiōe mea, et animarum detrimento. Beati quoq; ſunt, eò quòd illa delectatio & dilectio charitatis ab eis auferri nullo modo poteſt, quæ procul dubio illos beatificat: vnde recipiunt in ſe gaudium & beatitudinem. Et ideo dolor iſte non eſt affligitiuus qui deſiccet, vel affligat animam: ſed impinguatiuus, qui videlicet facit animam impinguare in affectu charitatis: quia pœnæ virtutem augent atq; fortificant, & virtutum operantur experientiam. Itaq; pœna talibus eſt impinguans, & non affligens, eò quia nulla pœna ſiue dolor animam huiuſmodi ab igne charitatis amouere poteſt: vt apparet in titione qui totus eſt ignitus, & in fornace conſumptus, quem nemo poteſt manu contingere pro extinguendo: quia totus factus eſt ignis. Sic iſtas animas in fornace meæ charitatis ignitas, eò quòd ex eis nihil extra me remanet, videlicet nulla propria voluntas: ſed omnino totaliter in me ſuccenſæ ſunt & ignitæ: nullus capere poteſt, nec illas à gratia mea diuellere: quia factæ ſunt vnitæ mecum, & ego cum eis. Nec vnquam ab eis ego me ſubtraho per ſenſum, immo quotidie mens eorum in ſe, me poſſidet atq; ſentit. Non.n. accidit eis prout aliis, de quibus iam tibi dixi, quòd ibam & redibam, diſcedens & ſubtrahens me ab eis, non per gratiam, ſed per ſentimentem. Et hoc agebam, vt ipſi pertingerent ad perfectionem. Poſtquam autem ſtatum perfectionis

attige-

attigerunt, ab eis auffero ludum amoris: videlicet eundi & redeundi, qui vocatur amoris ludus. Nam ex amore diſcedo ſiue me ſubtraho, & ex amore poſtea redeo. Non ego propriè, quoniam ego ſum Deus veſter immobilis qui non mutor: ſed ille ſenſus quem in anima mea charitas exhibet, eſt ille, qui vadit & redit.

QVOMODO DEVS AB HIS PERfectiſsimis nunquam diſcedit per gratiam nec per ſenſum.

CAPVT LXXIX.

ET SEQVITVR GLOSSA RAImundi Confeſſoris S. Virginis.

Nota quòd iſte ſtatus eſt ille, in quo erat iſta benedicta Virgo Catharina de Senis: vt oculi noſtri viderunt apertiſsimè.

DIxi, quòd ab his perfectiſſimis nunquam per ſenſum me ſubtraho, tamen aliquo modo me ſubtraho, quoniam anima quæ adhuc eſt in corpore ligata, ſufficere nullo modo poteſt in ſe recipere iugiter vnionem illam, quam in anima facio. Et ideo, quia non ſufficit, aliquando me ſubtraho, non per gratiam, neque per ſenſum, ſed per vnionẽ. Nam exurgentes huiuſmodi animæ cum anxio deſiderio, velociſſimè currentes virtuoſè per pontem doctrinæ Ieſu Chriſti crucifixi, peruenerunt ad ianuam mentis earum, in me leuantes madefactæ ſanguine pari-

ter & ebriæ igne charitatis exuſtæ guſtãt, in me Deitatem æternam. Hoc eſt enim illis vnum mare pacificum, vbi fecit anima tantam vnionem, quòd illa mens omnino nullum modum habet, niſi ſolùm in me. Et exiſtens in ſtatu mortalium, in veritate guſtat bonum immortalium. Et exiſtens in corpore ponderoſo, habet agilitatem ſiue leuitàtem Spiritus: vnde frequentiſſimè corpus eleuatur à terra, propter vnionem perfectam, quam anima fecit in me: quaſi grauedo corporis iam haberet in ſe dotem agilitatis, quam in vita durabili ſancti poſſident. Tamen huiuſmodi corpus non caret grauedine ſiue põderoſitate ſua: ſed vnio quam anima fecit in me, perfectior eſt quàm ſit vnio quæ conſiſtit inter animam & huiuſmodi corpus. Et ideo propter violentiam Spiritus aſcendentis, & in me taliter vniti, eleuatur à terra grauedo corporis. Corpus verò manet inſenſibile ſine viribus, ex toto, quaſi laceratum ab affectu Sipritus in tantum, quod ſicut ipſa verè percepiſti, non eſſet in vita corporali poſſibile viuere, niſi mea bonitas noua fortitudine circularet. Quare volo te noſſe, quòd valde maius miraculũ eſt in hac vnione, quòd anima non ſeparatur à corpore ſuo, quàm videre ſuſcitari plura corpora mortuorum. Et ideo quandoque me ſubtraho per vnionem, faciens animam ad vaſculum ſui corporis ab hac vnione redire: videlicet vt ſenſus corporis, qui totus alienatus erat, per affectum animæ redeat ad proprium ſenſum ſiue ſentimentum. Non

quòd

quòd anima totaliter à corpore ſeparetur, quoniam hoc in morte ſolummodo fit. Sed animæ potentiæ diſcedunt propter amorem vnitum in me: vnde memoria ſolummodo de me ſe repletam inuenit. Intellectus eleuatur, ſolummodo ſpeculando mea veritatis obiectum. Affectus verò qui ſequitur intellectum, amat illud quod intellectus vidit, & vnitur cum illo. Congregatis igitur & vnitis in ſimul his tribus animæ potentiis, & in me ſubmerſis atque ſuffocatis, corpus illicò perdit ſenſum ſuum. Nam oculus videndo non videt: Auris audiendo non audit: Manus tangendo non tangit: Lingua loquendo non loquitur: niſi prout ex abundantia cordis aliquando permitto linguæ membrum eloqui: p aliquali reſpiratione vel exalatione cordis, & ad laudem & gloriam mei nominis. Itaq; loquendo non loquitur. Pedes amlulando non ambulant. Omnia membra ſunt occupata pariter & ligata cum ligamine atq; ſenſu dilectionis & amoris. Vnde ſunt ita ſubdita rationi, & vnita cum affectu animæ, quòd quaſi contra naturam ſuam, viua voce clamant ad me patrem æternum, & optant ab anima ſeparari, ſimiliter & à corpore ſeparari deſiderat anima. Et ideo ingiter ante me cũ Apoſtolo Paulo clamant: O infœlix homo ego, quis me liberabit à corpore mortis huius? Video aliam legem in membris meis, contradicentem legi mentis meæ. Non tantummodo Paulus ita dicebat de impugnatione carnis contra Spiritum: nam in verbo meo certificatus

O 4 fuerat

fuerat cum audiuit. Paule ſufficit tibi gratia mea. Sed ideo dicebat, quia ſe videbat in vaſculo corporis eſſe ligatum, quòd ad tempus eum impediebat à viſione mea: videlicet vſq; ad horam mortis. Oculus erat ligatus & impeditus, vt me Trinitatem æternam videre non poſſet viſione beatorũ immortalium, qui me quotidie laudant atq; glorificant, meo nomini benedicentes: immo ſe reperiebat inter mortales, qui me iugiter offendunt, priuatus viſione mea beatifica, videlicet in eſſentia mea. Non quòd ipſe, & alij ſerui & amici mei, non videant atq; deguſtent, me non quidem in eſſentia, ſed in affectu charitatis diuerſis & variis modis, vt bonitati meæ placet eis me manifeſtare. Sed omnis viſio quam habet anima de me, dum eſt in mortali corpore, nimis eſt valde tenebroſa reſpectu eius, quam habet à corpore ſeparata. Itaq; Paulo videbatur, quòd viſio corporalis, & exterior, impediret & impugnaret viſionem interiorem atq; ſpiritualem. Voluntas ei videbatur ligata: quia nequibat amare, quantum amare peroptabat: quoniam omnis amor in vita præſenti eſt imperfectus: vſq; quo peruenerit ad ſuam perfectionem. Non quòd amor Pauli, & aliorũm ſeruorum meorum imperfectus extiterit ad gratiam, & ad perfectionem veræ charitatis: quia procul dubio perfectus erat, ſed in hoc erat imperfectus, eò quòd in amore ſuo ſatietate carebat, quare pœnam inde ſentiebat. Si enim eius deſiderium, plenum extitiſſet eius quod amabat, nullam inde pœnam habuiſſet. Quoniam igitur

tur amor in corpore mortali,non habet perfectè quod amat, ex hoc affligitur. Cùm autem anima ſeparata fuerit à corpore, deſiderium impletur: ideo diligit abſque pœna. Et licet pleniſſimè ſatietur, valde tamen eſt omne faſtidium à ſatietate remotum. Satiata fameſcit, ſed pœna qualibet eſt à fame remota. Nam anima cum à corpore ſeparata fuerit, vas eius habet vtique plenum in me ſumma fœlicitate, & firmatum atq; ſtabilitum, ita quòd ipſa nihil optare poteſt quod illicò non habeat. Deſiderans videre me, quotidie me videt ad libitum: deſiderans videre gloriam atque laudem nominis in ſanctis meis, ipſa videt eam vltra, quã verbo poſſit exprimi, tùm in angelica natura, tùm in humana.

QVOMODO MVNDANI DEO gratias reddunt, velint nolint.

CAPVT. LXXX.

ET animæ beatæ tanta eſt viſio perfecta, quòd nedum in ciuibus exiſtentibus in vita durabili, ſed etiam in creaturis vitæ mortalis videt laudem atque gloriam nominis mei: quia velit nolit iſte mundus infimus mihi gloriam exhibet: verum eſt, quod illam non exhibet eo modo quo debet & obligatur, amando me ſuper omnia. Sed ex parte mea recipio, & extraho gloriam atque laudem nomini meo. Nam in hominibus relucet abundantia charitatis atque miſericordiæ meæ, dum eos ad pœnitentiam exſpecto

QVALITER ETIAM DAEMONIA gloriam Deo reddunt, atque laudem, licet inuiti.

CAPVT. LXXXI.

Iſti perſecutores amicorum meorum, in vita præſenti permanent ad augmentandam & exercendam virtutem ipſorum, prout in inferno Dæmonia faciunt, veluti mei lictores iuſtitiam meam contra damnatos exercendo. In vita quoq; præſenti, vitam augent viatoribus & peregrinis, qui deſiderant ad me peruenire fœlicem ipſorum terminum. Ipſi Dæmones in cauſa ſunt in illis, augendi virtutem, dum eos exercent cum multis moleſtiis atq; tentationibus variis modis: aliquando commouendo vnum contra alium iniurioſè verbis & aliquando factis. Etiam arripiendo bona temporalia, non propter iſta temporalia, ſed ſolum vt anima fraterna charitate priuentur. Sed dum aduerſarius ipſe putat, & optat eos charitate priuare fraterna, ipſe fortificat eos, in ipſis experientia probando virtutem patientiæ, fortitudinis atq; perſeuerantiæ. Hoc ergo modo reddunt gloriam atq; laudem nomini meo. Et ita mea veritas in eis impletur, quos ego creaueram in gloriam & laudem ſancti mei nominis, & vt ipſi participiēt ineffabili bonitate mei Patris æterni. Sed quia ꝓpter eorū Dæmonū ſuperbiā aduerſum me rebelles extiterūt, à ſua dignitate ceciderūt in abyſſū, viſiōe mea priuati, nō exhibēt mihi gloriā in dilectiōe charitatis.

Ego

Ego verò veritas æterna poſui eos veluti miniſtros. ad exercendum in virtute ſeruos meos, & veluti lictores, eorum qui propter defectus eorum, vadunt ad æternam damnationem: ac etiam eorum qui deducuntur ad pœnas purgatorij. Itaq; vides veritatem meam, in eis impletam: quia videlicet mihi gloriam exhibent, non tamen vt æternæ vitæ ciues, qua priuati ſunt propter iniquitates eorum: ſed veluti lictores & iuſtitiarij mei, patefaciendo per eos, iuſtitiam meam, ſuper inimicos meos in inferno damnatos. Ac etiam ſuper illos, qui purgatorij pœnis adiudicati ſunt.

QVALITER ANIMA CORPORE ſoluta, plenè videt gloriam & laudem Dei in qualibet creatura: Et qualiter in ea finita eſt pœna deſiderii: ſed non deſiderium.

CAPVT. LXXXII.

POſtquam anima nudata fuerit à corpore, & ad me finem ſuum aduenerit, apertè videt & guſtat gloriam & laudem nominis mei, ſemper in omnibus creaturis, quæ rationem habent in ſe: ac etiam in Dæmonibus & in aliis quibuſcunq; creaturis. Ita purè videt, & in ſuo viſu veritatem agnoſcit, videndo me patrem æternum, amplius amat, & amando ſatiatur, ſatiata autem veritatem agnoſcit. Agnoſcendo veritatem, voluntas eius in veritate mea firmata conſiſtit. Et eſt ita ligata, & firmitate tãta ſtabilita, q̀ in nullo diſcordare poteſt: neq; pœnam aliquam

aliquam habere, quoniam habet omnia quæcunq; deſiderabat. Me namq; videre peroptabat, & gloriam atq; laudem nominis mei. Hæc omnia videt apertiſſimè, ac in veritate poſſidendo cognoſcit: videlicet in ſanctis meis, & in beatis Spiritibus angelicis, & in omnibus aliis creaturis: & etiam in Dæmonibus, vt dictum eſt. Et quamuis offenſas peccatorum videat, de quibus prius amarè dolebat: nunc verò nullum inde, vel aliunde quoquomodo dolorem habere poteſt, ſed compaſſionem abſq; pœna: peccatores ipſos amando & affectuoſa charitate me iugiter exorando, vt ego mundo gratiosè miſericordiam impendam. In eis quidem eſt pœna terminata & finita, ſed minimè charitas, prout accidit vnigenito filio meo: quoniam in amariſſima morte ſuper cruce, pœna cruciati deſiderij, quod ab initio, cum ipſum in mundum tranſmiſi vſq; ad finem vitæ portauerat, pro ſalute veſtra, finita fuit atq; terminata: ſed non fuit finitum veſtræ ſalutis deſiderium. Quia ſi meæ charitatis affectus, quem vobis ipſo mediante demonſtraui, fuiſſet in vobis finitus atq; terminatus, procul dubio non eſſetis: quoniam ex amore creati fuiſtis. Itaq; certiſſimè noueris, quòd ſi ex amore non conſeruarem vos in eſſe, ſubitò rediretis in nihilum. Sed ex amore creaui vos, & idem amor vos in eſſe conſeruat. Ego ſum vnum cum vnigenito filio meo, & ipſe mecum: ideo finita eſt pœna deſiderij, & non amor deſiderij. Vides ergo, quòd omnes beati, qui ſunt in vita durabili, ſalutem animarum exoptant, abſq; pœna, quia pœna terminata

minata eſt in morte ipſorum: ſed non effectus veræ charitatis, immo tanquam inebriati ſanguine agni filij mei, veſtiti charitate fraterna, tranſierunt per ianuam Ieſu Chriſti ſanguine madefacti, & peruenerunt ad me mare pacificum, ab imperfectione ſegregati, videlicet ab inſatietate, peruenerunt ad perfectionem omnium bonorum, plenè ſatiati.

QVALITER ILLI QVI PERVENIUNT AD TERTIUM & QUARTUM GRADUM, VT HABETUR SUPRA, CUPIUNT À CORPORE DIſſOLUI, VT ETIAM APOſTOLUS PAULUS OPTABAT.

QValiter illi qui perueniunt ad tertium & quartum gradum, vt habetur ſupra, cupiunt à corpore diſſolui, vt etiam Apoſtolus Paulus optabat.

CAPVT. LXXXIII.

QVoniam igitur Apoſtolus, & præco meus Paulus iſta viderat atq; guſtauerat, cùm ipſum ad tertiũ cœlum attraxi, videlicet ad altitudinem Trinitatis, agnoſcens atq; guſtans veritatem meã, vbi plenè recepit ſancti Spiritus abundantiam, atq; didicit incarnati verbi mei doctrinam, & tunc induit anima eius me patrem æternum, perſenſum & vnionem, veluti beati vitæ durabilis: hoc excepto, quod anima non erat à corpore ſeparata: ideo clamabat, optando ſeparationem iſtam, dicens: O infœlix homo ego, quis me liberabit à corpore mortis huius? Sed quia bonitati meæ placuit, eum facere vas electionis in abyſſo meæ Trinitatis, exui eum de me, quia non poteſt cadere in me pœna: & ego decreueram eum multa portare debere, & poſui Ieſum

ſum Chriſtum crucifixum in obiectum oculi ſui intellectus, eum induendo veſtimento ſuæ doctrinæ, ligato & cannexo cum clementia ſancti Spiritus, qui eſt ignis veræ charitatis. Ipſe verò tanquam vas aptum, a mea bonitate reformatum, quia nullam omnino reſiſtentiam egit, quãdo percuſſus extitit, immo ſubitò dixit: Domine quid vis me facere. Tunc ego eum docui, quando coram oculis eius poſui Ieſum Chriſtum crucifixum, eum induendo perfectæ meæ veritatis alma doctrina, cum lumine veræ contritionis, cum qua defectum ſuum extinxit in charitate mea fundatæ. Itaq; doctrinam induit Ieſu Chriſti crucifixi, & ipſam animæ ſuæ taliter aſtrinxit, quòd vt ipſe tibi propalauit, nunquam exuit, vel ab ea ſeparari potuit aliqua tẽtatione Diabolica, ſiue ſtimulo carnis, quo ſæpiùs impugnabatur, mea bonitate permittente: vt in merito creſceret, et in gratia, & vt in humilitate conſeruaretur, eò ꝙ guſtauerat altitudinẽ Diuinitatis atq; Trinitatis. Ipſe tamẽ huiuſmodi veſtimentũ, nũquam vllo tempore, vel in modico dimiſit ſiue depoſuit, vel laxauit ex aliqua perſecutione ſiue moleſtia, ſiue tribulatione ſibi occurrente, videlicet perſeuerantiam in doctrina Ieſu Chriſti crucifixi: immo ſibi ſtrictiùs incorporabat in tantum, ꝙ ex hoc vitã expoſuit corporalẽ, & cum eodẽ indumẽto rediit ad me patrem æternum. Paulus ergo guſtauerat, quid erat guſtare me, ſine corporali grauedine. Sibi namq; conceſſi guſtare per ſenſum vnionis, ſed non per ſeparationem à corpore. Cùm verò poſtea redijt ad ſe veſtitus indumento Ieſu Chriſti crucifixi

ſibi

ſibi videbatur amor eius imperfectus, in comparatione perfectionis amoris, quam in me guſtauerat: & quam viderat habere beatos à corpore ſeparatos. Ideò videbatur ei, quòd grauedo corporis ei repellaret: quia videlicet impediebat ei perfectionem illam ſatietatis, deſiderij, quam habet anima poſt mortem. Memoria ſibi videbatur imperfecta & imbecillis, vt eſt, propter quam imbecillitatem & imperfectionem impediebatur eſſe capax, atq; retinere poſſe, recipere pariter & guſtare me cum illa perfectione, quam habent in vita durabili, beati qui ſunt à corpore ſeparati. Et ideo videbatur ei, quòd omnia, dum erat in corpore mortali, ſibi forent veluti lex vna peruerſa, quæ contra Spiritum impugnaret, non tamen impugnatione peccati: quia ſicut iam dixi, quòd ego certificaueram, eum dicens: Paule ſufficit tibi gratia mea; ſed impugnatione cuiuſdam impedimēti perfectionis Spiritus: videlicet ne me videre poſſet in eſſentia mea, quæ viſio per legem, & grauedinem corporis impediebatur, & ideo clamabat. O infœlix homo ego, quis me liberabit à corpore mortis huius? Nam habeo aliam legem in membris meis, quæ repugnat legi mentis meæ. Et ita ſe veritas habet: quia memoria iugiter ab imperfectione corporali repugnatur: Et intellectus impeditus atque ligatus eſt ab iſta mole corporis, ne me videat, vt ego ſum in eſſentia mea. Inſuper & volūtas eſt alligata, quia videlicet attingere nō poteſt ex grauedine corporis, ad me ſine pœna guſtādū Deū æternū, modo ſuperiùs enarrato. Itaq; Paulus

lus veritatem aſſerebat, dicens: Habeo aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Similiter iſti ſerui mei, de quibus ego tibi dicebam, quòd iam peruenerant ad tertium & quartum ſtatum vnionis perfectæ, quam in me faciunt, exclamant, cum illo cupientes à vinculo corporali ſeparari atq; diſſolui.

QVIBVS CAVSIS ANIMA CVpit à corpore ſeparari.

CAPVT. LXXXIIII.

ET AD APERTIOREM INTELligentiam iſtius puncti, notari debet illud, quod habetur ſuprà.

CAPITE. LXXIX.

Iſti ſerui mei fideles, aſperitatem ſiue difficultatem huius corporalis diſſolutionis & mortis in ſe minimè ſentiunt, immo deſiderant illam: & cum odio ſancto fecerunt aſperam guerram cum ſuis corporibus. Vnde perdiderunt illam teneritudinem, quæ naturaliter eſt inter corpus & animam; & ſuperato atq; proſtrato naturali amore, cum odio vitæ ſui corporis, & amore mei mortem exoptant, & aiunt: Quis me liberabit à corpore mortis huius? Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Vnde tales cum eodem Apoſtolo dicunt: Mors eſt mihi in deſiderio, ſed vita in patientia. Quoniam anima cum eſt eleuata in hac vnione perfecta, toto deſiderio me videre peroptat, atq; mihi gloriam & laudem videre ab omni-

bus exhiberi. Quando verò poſtea redit ad ſenſus corporeos, qui ſenſus omnes erant in me tracti & abſorti per affectum amoris, magnam habet impatientiam in viuendo, dum ſe conſiderat ablatã, & auulſam ab vnione, quã in me fecerat, & ab immortalium optabili conuerſatione, qui quotidie mihi gloriam exhibent, & inuenit ſe fore in conuerſatione mortalium, à quibus me videt frequentiſſimè miſerabiliter offendi. Super quo tales ſerui valde affliguntur grauiter: vnde tàm ex iſto, quàm ex amoroſo & anxio deſiderio vidẽdi me, ipſorum vita eſt eis importabilis. Nihilominus, quia voluntas eorum non eſt ſua propria, ſed eſt vnita cũ voluntate mea per amorem: neq; velle poſſunt, aut optare, niſi ꝙ ego volo. Peroptantes ad me venire, contenti ſunt, & in corpore manere ſi mihi placet: etiã cum quacunq; pœna pro maiori gloria, & laude mei nominis, & animarum ſalute: ita quòd in nullo penitùs vnquam à mea voluntate diſcordant, ſed anxio deſiderio currunt induti Ieſum Chriſtũ crucifixũ: Et ambulãtes per pontẽ ſuæ ſaluberrimæ doctrinæ, gloriantur in ſuis opprobrijs atq; pœnis: & tantò magis gloriãtur, quãtò grauiora ſe tolerare viderint, immo ſubſtinẽdo multas tribulationes, vndecũq; perueniant, ipſi percipiunt inde refrigeriũ in deſiderio mortis. Et aliquãdo ex deſiderio & affectu ſuſtinendi pœnas aliquo modo mitigatur illa pœna deſiderij quã habẽt à corpore ſolui. Iſti nõ ſolũmodo cũ patientia tolerãt aduerſa, ſicut in tertio ſtatu, ſed ipſi gloriãtur in multis tribulationibus, quas pro nomine ac amore meo portant. Tolerando pœnas, habent inde conſolationem: quando verò non habent aliquam pœnam

nam ad tolerandum habent amaritudinem, dubitantes atq; timentes, ne fortè pro bono quod operantur, velim in præſenti vita præmiare, vel quòd eorum operatio mihi non ſit accepta. Sed eos permittendo tribulari valde lætantur ſe veſtiri conſiderantes de pœnis & opprobrijs Ieſu Chriſti crucifixi. Vnde ſi poſsibile foret eis, habere virtutem abſq; laborioſa pœna, non acceptarent. Potiùs enim eligunt in cruce cum Ieſu Chriſto delectari, & cum pœna virtutem acquirere, quàm alio modo vitam æternã habere. Quia ſunt in ſanguine ſuffocati & immerſi, vbi reperiunt ignitam charitatem meam: quæ charitas eſt veluti ſuccenſus ignis à me procedens, qui rapit mentem eorum, acceptando ſacrificium deſideriorum ipſorũ. Vnde conſurgit oculus intellectus eorum, in mea Deitate ſpeculando, vbi nutritur affectus, & vnitur qui ſequitur intellectum. Hoc eſt vnum videre ſupernaturale, per infuſam gratiam animæ conceſſam à me, quæ me diligit, & in veritate mihi ſeruit.

QVOMODO MELIVS EST IRE pro conſilio ſalutis animæ, ad vnum humilem cum conſcientia ſancta, quàm ad litteratum ſuperbum.

CAPVT. LXXXV.

ISto lumine quod in oculo intellectus eſt à me poſitum, viderunt vtique me Hieronymus, Auguſtinus, atq; Thomas de Aquino, & alij Doctores Eccleſiæ; vnde magnã ſcientiã acquiſierunt. Similiter &

 alij

alij ſancti & amici mei, qui fuerunt illuminati, cognoſcentes & intelligentes in tenebris apertam veritatem, quia videlicet ſanctam Scripturam expoſuerunt, et illuminauerunt, quæ videbatur eſſe tenebroſa: quia non intelligebat: non quidem ex defectu Scripturæ, ſed ex ignorantia non intelligentium. Ideo miſi lucernas iſtas, vt illuminarent intellectus excæcatos & ignorantes. Ipſi verò leuabant oculum intellectus ad me, vt in tenebris agnoſcerent veritatem, vt iam dixi. Et ego velut ignis acceptabam, & rapiebam huiuſmodi ſacrificium eorum, eis exhibendo lumen ſupernaturale: & ita recipiebant in tenebris lumen veritatis. Vnde Scriptura quæ tunc videbatur eſſe tenebroſa & obſcura, nunc apparet omnibus lucida & aperta. Quilibet in ea recipit iuxta capacitatem ſuam, & prout ipſe diſponit animam ſuam ad amandum & cognoſcendum me, quia nullius ego contemno diſpoſitionem bonam. Itaq; vides, quòd oculus intellectus à me recipit, ex gratia, ſupernaturale lumen, in quo ſancti Doctores, & alij ſerui mei agnouerunt lucem in tenebris: atq; de tenebris facta eſt lux. Nam intellectus ante fuit, quàm ab aliqua Scriptura formaretur. Vnde ſcientia proceſſit ab intellectu, quia videndo diſcreuit. Iſto modo Prophetæ cum alijs ſanctis Patribus cognouerunt, & intellexerunt prophetantes de aduentu, & morte dilectiſſimi filij mei. Hoc habuerunt Apoſtoli poſt aduentum ſancti Spiritus. Iſto lumine illuminati fuerunt Euāgeliſtæ, Doctores, Confeſſores, Martyres, & Virgines. Omnes habuerunt hoc lumen in diuerſis modis, vt expedire cognoui ſaluti ſuarum animarum,

vel

vel etiam aliorum: aut ad declarationem ſacræ Scripturæ, prout actum eſt à Doctoribus, explanando ſanctificè doctrinam vnigeniti filij mei & Apoſtolorum, ac Euangeliſtarum. Martyres verò cum ſanguine proprio, declarauerunt ſanctiſſimæ fidei lumen, atque fructū & theſaurū ſanguinis agni. Virgines cū affectu puritatis et charitatis: in religioſis obediētibus cōmendatur obediētia filij mei, in quo maximè relucet, eò quòd ex obedientia, quam impoſui ſibi, feſtinauit ad mortem crucis opprobrioſam. Omne lumen iſtud apertè propalatur, in veteri & in nouo teſtamento. In veteri, videlicet quo ad prophetas: In nouo, quo ad legem Euangelicam agnitum extitit ab oculo intellectus, cum lumine per gratiam infuſo ſupernaturale lumen. Et quia noua lex ab eodē lumine proceſſit, à quo antiqua lex, ideo noua non euacuauit vel irritauit antiquam, immo ſunt vnitæ ſimul. Sed iſta noua lex abſtulit imperfectionem antiquæ, quia fundata erat in timore ſolummodo. Veniente igitur verbo meo cum lege amoris, adimpleuit illam auferendo ſibi timorem pœnæ, ac etiam fundauit in amore cum timore ſancto. Ideo dixit ipſa veritas, videlicet vnigenitus meus: Ego non veni ſoluere legem, ſed ad implere. Quaſi diceret: Antiqua lex eſt imperfecta nunc, ſed in ſanguine meo dabo ei perfectionem, & ita eam adimplebo pro ſuo defectu, remouendo timore pœnæ: & eàm fundabo in amore atq; timore ſancto. Quis hanc veritatem apertè declarauit? Lumē huiuſmodi ex gratia conceſſum à me ſupernaturale lumen? Itaq; omne lumen à ſacra Scriptura progrediens, egreditur ab iſto lumine. Et

ideo ſugerbi ſcientifici & ignorantes excæcantur in lumine: quia ſuperbia cum amoris proprij nube cooperuit & abſtulit omnino huiuſmodi lucem. Et ex hoc plus intelligũt ſacram paginam litteraliter, & iuxta corticem exteriorem, quàm ſecundum intellectum interiorem. Et ideo guſtant inde magis litteræ ſonum, hinc inde multos vertentes libros, & non attingunt, neque guſtant ſacræ Scripturæ medulam, quoniam abſtulerũt ſibi lumẽ, cum quo Scriptura formata, & declarata fuit. Vnde tales admirari ſolent, & aliquando murmurare, videndo multos Idiotas atq; ſacram paginam ignorantes, & nihilominus in cognoſcendo veritatem ita illuminatos, quẽadmodum ſi longo tempore ſtuduiſſent in ea. Neq; tamen ex hoc aliquis admirari debet, eò quòd habent in ſe cauſam principalem luminis, vnde ſciẽtia proceſſit. Ipſi verò ſuperbi, quia lumen amiſerunt non vident, nec intelligunt bonitatem meam, neq; lumen infuſæ gratiæ ſuper amicos meos. Quare noueris valde meliùs eſſe pro conſilio ſalutis animarum, ad vnum humilem virum accedere, qui cum ſancta rectaq; conſcientia viuat, quam ad vnũ ſuperbum ſcientificum, qui ſolummodo conſciẽtiam & animam implere curat inani vento ſcientiæ. Nam alia porrigere neſcit alteri, niſi quæ reperit in ſe. Vnde propter vitam tenebroſam accidit aliquando, quòd lumen ſacræ Scripturæ porriget, & conuertet in tenebras. Et huius oppoſitum eſt in amicis meis, quia lumen in eis exiſtens animo charitatiuo libentiſſimè miniſtrant alijs, cum famelico deſiderio ſalutis eorum. Hoc ergo tibi dixi, dulciſſima filia, vt huius vnitiui ſtatus perfe-

ctionem

ctionem agnoſceres, vbi rapitur oculus intellectus ab ignifera charitate mea, in qua ſupernaturale lumen amici mei recipiunt, & cum ipſo lumine me diligunt, quoniam ipſa dilectio ſequitur intellectum. Et quantò plùs intelligit & agnoſcit, tantò plùs amat: & quantò plùs amat, ampliùs intelligit, & ſic vnum ab altero nutritur. Cum hoc ergo lumine perueniunt ad meam æternam uiſionem, vbi me guſtant, & in veritate vident, cùm anima fuerit à corpore ſegregata, prout ego narraui tibi ſuperiùs, exprimendo beatitudinem, quam anima recipit in me. Hic eſt ille ſtatus excellentiſſimus, in quo dum amici mei ſunt, in vita mortali guſtant inter immortales. Vnde frequenter ad tantam vnionem attingunt, vt vix intelligere valeant, vtrum in corpore fuerint, an extra corpus: & ita guſtant arram æternæ vitæ, tùm ex vnione quam in me fecerunt, ac etiam quia voluntas eſt in ſe mortua propter quam vtiq; mortem in me fecit vnionem. Nam aliter in me poterat vniri perfectè. Guſtant igitur arram æternæ vitæ, quia priuati ſunt inferno propriæ voluntatis, quæ quandam arram inferni tribuit homini, viuenti iuxta ſenſitiuam voluntatem.

VTILIS REPETITIO QVORVNdam: Et inducitur hæc anima ad orandum pro omnibus hominibus, & pro Eccleſia ſancta.

CAPVT. LXXXVI.

N*Vnc vidiſti oculo intellectus, & aure tui ſenſus audiſti à me qui ſum æterna ueritas, qui mod⁹ habendus*

bendus eſt ad faciendum vtilitatem proximo pariter & tibi, doctrinæ & agnitionis meæ veritatis. Vt in principio tibi dixi, ſcilicet quòd ad cognitionem veritatis, peruenitur ex agnitione tui non abſolutè pura & ſimplici ſed vnita & condita cum agnitione mei in te, vbi reperiſti humilitatem, odium atq; diſplicentiam tui. Et ignem charitatis meæ propter agnitionem, quam de me in te reperiſti. Vnde veniſti ad amorem, atq; dilectionem proximi tui, vtilitatem ei faciendo doctrinæ, necnon & exemplaris ac honeſtæ vitæ. Inſuper oſtendi tibi diſpoſitionẽ & qualitatem pontis, vt eſt, ac etiam tres gradus generales poſitos atq; figuratos pro tribus animæ potentijs. Et quomodo nullus habere poteſt vitam gratiæ, ſi non aſcenderit omnes: videlicet vt ſint in nomine meo congregati. Ipſos etiam tibi patefeci particulariter, pro tribus animæ ſtatibus in corpore filij mei figuratis, de quo tibi dixi, quòd fecerat in corpore ſuo ſcalas, apertè demõſtrans hoc in affixis pedibus, in apertura lateris, & in ore, vbi guſtat anima pacem veram, vt dictum eſt. Oſtendi quoq; tibi ſuperiùs imperfectionẽ ſeruilis timoris, & imperfectionem me diligentis ex dulcedine conſolationis, quam inuenit in me: Atq; perfectionem tertij ſtatus, videlicet eorum qui peruenerunt ad pacem oris, ex quo per pontem Ieſu Chriſti crucifixi, anxio deſiderio cucurrerunt aſcendentes tres illos generales gradus, videlicet congregando tres animæ potentias. Vbi congregat omnes operationes ſuas in nomine meo, prout ego ſuperiùs apertè tibi demonſtraui. Atq; de tribus gradibus particularibus, quos aſcenderunt, ab imperfecto ſtatu

tranſe-

tranſeuntes ad perfectum: & ſic eos in veritate currere vidiſti. Feciq́; te deguſtare perfectionem animæ cum ornatu virtutum. Etiam oſtendi tibi fraudes, quas anima recipit antequam ad ſuam perfectionem attingat: niſi prudēter tempus exerceat in cognitione ſui atq; mei. Item oſtendi tibi miſeriam illorum, qui ſponte ſemetipſos in flumine ſubmergunt, renuentes ambulare per pōtem, ſequendo videlicet doctrinam mei dilectiſsimi filij, quem vobis ego gratioſè conceſsi, ne ſuffocaremini: ſed ipſi veluti ſtulti potiùs elegerunt in miſerijs atq; putredine mundi ſubmergi. Hæc omnia tibi declaraui, vt in te creſcere facerem ignem deſiderij ſancti, atq; compaſsionem pariter & amaritudinem ſuper animarum interitu: vt ipſa compellaris inducere, ac aſtringere me, cum lachrymis, ſudoribus, continuis & humilibus orationibus, oblatis ante me cum ignifero deſiderio ad faciendum periclitanti mundo miſericordiam. Iſta verò non ſolùm à te, ſiue pro te requiro, ſed pro multis alijs creaturis & amicis meis, qui percipient: à mea charitate compellentur vná tecum exorare me: vt ipſi mundo atq; corpori myſtico ſanctæ matris Eccleſiæ, pro qua tu tàm aſsiduè me rogas ego miſericordiam exhibeam. Quia iam tibi dixi, ſi benè recolis, quòd adimplerem veſtra ſancta deſideria, præbendo refrigerium vobis in veſtris laboribus, & ordinabo reformationem Eccleſiæ ſanctæ, ſicut pœnoſa deſideria veſtra præſtolantur, in veros & virtuoſos paſtores: non gladiò ſiue crudelitate guerræ, ſed cum pacifica quiete, atq; lachrymis, & ſudoribus amicorum meorum, quos ego veluti colonos ordinaui ve-

ni veſtrarum animarum atq; proximorum: & in corpore myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ. In vobis operando virtutem in proximis autem, & in Eccleſia ſancta, doctrinam & exemplum: offerendo mihi continuam orationem in ſalutē omnium hominum: virtutes in proximo parturiendo. Quia iam dixi tibi, quòd omnis virtus ſiue defectus, mediante proximo patrabatur, vel augmentabatur. Et ideo volo, quòd vtilitatem proximo veſtro faciatis, & ita mihi dabitis acceptabilem fructum vinearum veſtrarum. Non omittatis vllo tempore odoriferum incenſum humilium orationum in conſpectu meo in ſalutem animarum adolere, quia diſpono mundo facere miſericordiam. Et cum ipſis orationibus, lachrymis atq; ſudoribus abluere faciem ſponſæ meæ, videlicet Eccleſiæ ſanctæ, quæ aliquādo tibi manſtrata fuit in forma domicellæ cuiuſdam, inquinatam atq; deturbatam veluti leproſam faciem habentis. Hoc autem acciderat ex defectu miniſtrorum, atq; totius Chriſtianæ religionis, qui ſe nutriunt ad huius ſponſæ pectus, de quorum defectibus alibi tibi narrare diſpono.

TRACTATVS TERTIVS.

QVALITER HEC ANIMA PEtit à Deo ſcire de ſtatibus lachrymarum.

CAPVT. LXXXVII.

TV *anima præfatata conſurgens, ingenti & igniſero deſiderio velut ebria, tùm ex vnione quā in Deo*

in Deo fecerat, ac etiam ex his quæ perceperat, ex ore ſummæ veritatis, tùm adhuc anxiata dolore ꝑpter ignorantiam hominum, qui non agnoſcunt ſuum benefactorem nec affectum excellentiſſimæ charitatis eius: licet haberet in ſe quandam viuam ſpem, ſancto gaudio plenam ex promiſſione ſibi à Domino facta: & quia modum, eam & alios amicos ſuos apertè docuerat, ad inclinandum eum, vt mundo gratioſè miſericordiam faceret, leuauit oculum intellectus in dulcem veritatem altiſſimi, vbi ſtabat vnita, volens aliqua percipere de ſtatibus animæ, de quibus audierat à Deo, ad quos anima tranſit ipſis lachrymis operatiuè mediantibus. Ideo cupiebat audire differentiam ipſarum lachrymarum, & quales erant, & vnde procedebant, & qui fructus in fine ſequebatur poſt huiuſmodi lachrymas. Et quia veritas intelligi, vel agnoſci nullo modo poteſt, niſi ab ipſa veritate concedatur, ideo petebat à veritate declarari. Et in veritate nihil intelligitur vel agnoſcitur, quod cum intellectus oculo non videatur. Expedit igitur volēti cognoſcere, quod auiditate ſurgat, atq; deſiderio cognoſcendi cum lumine fidei oculum intellectus aperiendo, cum fidei pupilla in obiectum veritatis. Poſtquam igitur hoc agnouit anima, quoniam oblita nō erat doctrinæ, quā ei veritas, id eſt Deus, exhibuerat, attendens alia via ſcire non poſſe, quæ de ſtatu atq; fructu lachrymarum optabat, ingenti deſiderio ſe ſupra ſe leuabat, vltra modum aſſuetum, & cum lumine viuæ fidei aperiebat oculum intellectus in æterna veritate. In qua vidit & agnouit veritatem eorum quæ petebat.

Deus enim ineffabili benignitate ſua condeſcendens igniſero deſiderio ſuo, petitionem eius exaudiebat.

DE DIFFERENTIA LACHRYMArum, diſcurrendo per prædictos animæ ſtatus.

CAPVT. LXXXVIII.

DVlcis autem veritas ait: Amabilis atq; chariſſima filia, tu petis à me declarari de ſpeciebus & fructibus lachrymarum: & ego deſiderium huiuſmodi tuum acceptando complebo. Aperias igitur oculum intellectus, & oſtendam ex iam ſuprà dictis tribus animæ ſtatibus lachrymas imperfectas in timore fundatas. Priùs verò dicam de lachrymis iniquorum hominum. Iſtæ ſunt vtiq; lachrymæ damnationis. Secundæ verò ſunt lachrymæ timoris, eorum videlicet qui conſurgunt ex timore pœnæ peccatorũ, et ex timore plorant. Tertiæ ſunt illorum, qui derelicto paccato, me guſtare incipiunt: vnde cum quadam dulcedine plorant, & incipiunt ex amore mihi ſeruire. Sed quoniam amor ipſorum eſt adhuc imperfectus, etiam eſt planctus eorum imperfectus: vt apertiùs exponam. Quartæ lachrymæ ſunt illorum, qui ad perfectionem, in charitate proximi peruenerunt, in veritate me diligentes abſq; reſpectu ſui: & iſtorũ plãctus eſt õnino perfectus. Quintæ quoq; lachrymæ ſunt vnitæ, quaſi cũ præcedẽtibus, quæ cũ magna dulcedine ſuauiſsimè funduntur: vt infra tibi narrabo. Poſt ſubiungam de lachrymis igneis abſq; lachrymis oculorũ: vt

vt ego ſatisfaciã illis, qui plangere deſiderant, & nullo modo poſſunt. Et volo te noſcere, quòd omnes iſti, diuerſi ſtatus poſſunt eſſe ſucceſſiuè: ſed exercitium virtutis in eâdem anima, quando primo timore deſerto, ac amore imperfecto, feruenter attingit ad charitatem perfectam, atq; ſtatum vnitiuum.

QVOMODO QVINQVE SVNT maneries lachrymarum.

CAPVT. LXXXIX.

PEr hunc ergo modum, informabo te de lachrymis antedictis. Et primo, noueris omnem lachrymam à corde procedere. Nullum enim eſt in homine mẽbrum, quod ita cordi ſatisfaciat atq; correſpondeat, vt oculus, quia ſi dolorem habet, oculus illicò manifeſtat. Et ſi dolor carnalis atque ſenſitiuus effundit lachrymas carnales, quæ mortem animæ generant, quoniàm à corde procedunt & ab amore multùm inordinato, me grauiter offendendo. Ideo mortalem inde dolorem habet, & ſimiles lachrymas effundit. Verum eſt, quòd culpæ grauedo & planctus eſt magis vel minùs grauis, iuxta menſuram amoris inordinati: qui ſi lachrymantur ſunt illi primi qui lachrymas mortis habent, de quibus tibi ſuprà dixi & infrà dicam. Nunc videndum eſt de lachrymis quæ vitam exhibent: videlicet illorum qui culpas proprias agnoſcentes, ex timore pœnæ deplorant. Iſtæ ſunt lachrymæ cordiales atq; ſenſitiuæ: quia videlicet nõ habentes adhuc odium perfectum contra commiſſam culpam, ex offenſa mihi facta, procedunt cum quadam amaritu-

ritudine cordiali, propter pœnam quæ ſequitur ex peccato commiſſo. Ideo plorat oculus, quia ſatisfacere dolori cordis affectat. Et ſi virtuosè ſanctum deſiderium anima ſumpſerit, huiuſmodi timorem omittet atq; derelinquet, quia cognoſcet apertè, quòd timor ſolummodo non ſufficit exhibere ſibi vitam æternam, prout iam tibi ſupra narraui. Et ideo cum amore ſurgit ad ſemetipſam agnoſcendam: & in ſe bonitatem meam. Et incipit aſſumere ſpem viuam in miſericordia mea, in qua cor alacritatem habet. Et ita culpæ dolorem immiſcendo cum gaudio ſpei diuinæ miſericordiæ meæ: tūc oculus pias effundit extra lachrymas, quæ lachrymæ procul dubio de fonte cordis egrediuntur. Sed quia nō ſunt adhuc in ſtatu perfectionis, aliquādo ſunt iſtæ lachrymæ ſenſuales. Et ſi tu petis à me, quare, ſiue quomodo, dico tibi, quia radix amoris proprij non eſt à ſe totaliter euulſa. Non dico de amore ſenſitiuo ſiue corporali, quia iam cōculcauit illum: ſed eſt vnus amor proprius atque ſpiritualis, cum anima vult habere conſolationes ſpirituales, vel mentales à me, vel aliqua creatura mediante, quam amore ſpirituali diligit. Et quando priuatur conſolatione ſua intùs, vel extrà, videlicet intùs conſolatione mea, vel extrà mediante creatura ſiue ſuperueniente Diabolica tentatione, vel hominum perſecutione: cor inde pœnam habet. Oculus verò qui ſentit amaritudinem atq; dolorem cordis, effundit illicò lachrymas ex quodam tenero gemitu, quo ſibimetipſi compatitur amore proprio atq; ſpirituali, quia voluntas propria totaliter abnegata & conculcata non eſt. Et ita lachrymæ ſenſuales effunduntur,

videli-

videlicet ex paßione ſpiritali: quarum tibi narraui ſupra pleniùs imperfectionem. Sed anima virtuosè creſcēdo ſemetipſam exercens in lumine notitiæ ſui, cōcipit odium ſanctum atque diſplicentiam contra ſe: vnde trahit veram notitiā meæ bonitatis in ſe, cum quadam ignifera charitate: propter q̃ incipit vnire ſe, voluntatem ſuam conformando cum mea, vnde gaudium habet atq; compaßionem. Gaudiū in ſe, propter guſtum amoris, atq; compaßionē ꝓximo, prout in tertio ſtatu tibi narraui. Oculus verò, qui cordi ſatisfacere cupit, illicò gemit ex charitate mea, & ꝓximi ſui: & cum amore cordiali ſolūmodo dolet ex offenſa mihi facta, et ꝓximi ſui detrimēto, & non de pœna ſiue dāno ꝓprio. Quia de ſe cogitare poſtponit, ſed ſolummodo cogitare ſtudet, quomodo nomini meo poßit laudem atq; gloriā exhibere. Et cum anxio deſiderio cibum aſſumere delectatur, in mēſa ſanctißimæ crucis, habendo cōformitatem cum humili & immaculato agno vnigenito filio meo, de quo feci pontem humano generi, ſicut iam dixi. Poſtquam ita dulciter anima tranſiuit p̃ huiuſmodi pontem, ſequendo meæ veritatis doctrinam, tolerandò patienter vnâ cū dilectißimo filio meo, pœnam quamcunq; ſiue moleſtiam: vt ego pro ſalute ſua permiſi, & ipſa viriliter omnia portat, non ſolummodo patienter, immo libenter & alacriter, ac exiſtimans ad quandam gloriam, aduerſa quæcunque pro nomine meo pati, non quippe ſuo, ſed modo meo. Tunc inuenit vnam conſolationem, atq; tantam mentis quietem & tranquillitatem, quòd nulla lingua corruptibilis exprimere ſufficit. Ipſa namq; firmauit oculum intellectus in me veritatē dulcem & æternam, quā uiſam agnoſcit,

noſcit, & agnoſcendo diligit: nam affectus vtiq; ſequitur intellectũ, ideo guſtat æternam Deitatem meam. Et agnoſcendo videt ipſam naturam diuinam vnitam humanitati veſtræ, & tunc in me, mari pacifico, dulciter atq; ſuauiſsimè requieſcit. Cor enim eſt vnitum in me, reali ex affectu ſynceræ dilectionis. Et ſic oculus effundit extra, lachrymas valdè magnæ dulcedinis quæ directè veluti lac in vera patientia nutriunt animam. Iſtæ lachrymæ ſunt velut vnguentum odore ſuauiſsimo repletum, qui pretioſus odor etiam à remotis auiditate multa pcipitur. O dilectiſsima filia, quàm eſt hæc anima glorioſa, quæ nouit ita realiter atq; prudenter à mari procelſo vitæ præſentis, ad me mare pacificum pertranſire: vbi vaſculum cordis ineffabiliter impleuit æterna Deitate mea. Propter hoc oculus velut aquæ ductus, vt extraxit à corde ſibi ſatisfacere conatur, & ſic effundit abundanter atq; ſuauiſsimè lachrymas. Hic eſt vltimus ille ſtatus, in quo conſiſtit anima beata ſimul & doloroſa. Beata quidem eſt, ex vnione quam in me fecit per ſenſum, amorem guſtando diuinum. Doloroſa verò, conſiſtit ex offenſionibus, quas in me fieri conſpicit, qui ſum æterna bonitas, quam vidit & guſtauit in cognitione ſui atq; mei. Et propter huiuſmodi cognitionem attingit adhuc ultimum ſtatum. Nec impeditur ex hoc ille ſtatus vnitiuus, qui magnæ dulcedinis lachrymas effundit, ex agnitione ſuimet in charitate proximi: vbi gemitum inuenit amoris ex diuina miſericordia mea: & amaritudinem ex offenſa proximorum, flendo cum flendibus, & gaudendo cum goudentibus: Hi namq; ſunt viuentes

in

in charitate, de quibus anima lætatur attendens à ſeruis meis, exhiberi nomini meo gloriam & laudem. Itaq; ſecundus gemitus qui tertius eſt, non impedit vltimum, qui quartus eſt, vnitiuum, ſed vnus exhibet adiumentum alteri. Qu: ſi gemitus vltimus, vbi reperit anima tantam vnionem, non accepiſſet à ſecundo ſtatu, qui tertius eſt, videlicet in charitate proximi, ſua perfectione procul dubio careret. Itaq; neceſſarium eſt, quòd vnus ab altero condiatur. Aliter enim vitabili præſumptioni patêret, quia ſubintraret vnus ventus, inanis cuiuſdam propriæ reputationis: & ita rueret ab altitudine virtutis, in profundum vitiorum, atq; in primi vomitus. Ideoq; neceſſarium eſt iugiter in ſe charitatem proximi retinere, cum vera notitia ſui. Et ita nutriet ignem in ſe diuinæ charitatis, quia proximi charitas exoritur à charitate mea, videlicet ab illa notitia, quam habuit anima, cognoſcendo ſemetipſam, atq; bonitatem meam in ſe. Ibi namq; vidit ſe, & agnouit ineffabiliter à me diligi: & ideo cum eôdem amore, quo ſe nouit amari, diligit omnē rationabilem creaturam. Et hæc eſt illa ratio, propter quam anima, quæ me nouit & amat, illicò ſuccenditur ad amorem proximi ſui, quia feruenter amat illam creaturam, quam ampliùs amo. Propter hoc etiam agnouit apertè, quòd mihi nullam vtilitatem afferre poteſt, neq; mihi reddere purum illum amorem, quo ſe noſcit à me diligi. Quare conatur iuxta poſſe reddere mihi talem amorem, in illo medio quod ordinaui vobis, videlicet in proximo ſuo. Eſt enim illud medium, cui debetis vtilitatem afferre, prout iam tibi dixi, quod omnis virtus

proximo mediante patrabatur. Vos amare debetis illo puro amore, quo dilexi vos, hoc verò circa me facere non valetis, quia dilexi vos non dilectus à vobis, & abſq; reſpectu cuiuſcunq; vtilitatis: & quia vos amaui antequam eſſetis. Immo ſolus amor quo vos dilexi, me mouit ad creandum vos ad imaginem et ſimilitudinem meam. Ideo mihi reddere non valetis huiuſmodi gratuitum amorem, ſed à vobis exigo, vt illum exhibeatis veſtro proximo: videlicet illum diligendo gratis omnino, ſine reſpectu propriæ commoditatis, vel vtilitatis, temporalis, ſiue ſpiritualis: immo ſolùm ad laudem atq; gloriam nominis mei, & quia diligitur à me. Et ita præceptum legis implebitis: videlicet diligendo me ſuper omnia, & proximum veſtrum ſicut voſmetipſos. Ergo benè verum eſt, quod ad illam altitudinem attingi non valet vllo modo, ſine ſecundo iſto ſtatu, qui tertius eſt & ſecundus ad vnionem: nec etiam ex quo peruenit anima conſeruari poteſt ſi diſcederet ab illo affectu: vnde peruenit ad ſecundas lachrymas iam dictas: vt impleri non poteſt lex mea ſine lege proximi veſtri, quia ſunt duo pedes affectus, per quos obſeruantur præcepta pariter & conſilia: ita duo ſtatus iſti, de quibus factus eſt vnus, in virtute nutriunt animam illam, augmentando iugiter in perfectione virtutis, & in vnitiuo ſtatu. Non quippe mutat alium ſtatum, ex quo peruenit ad iſtum: ſed in hoc eodem augentur diuitiæ gratiarum, in diuerſis atq; nouis donis, & admirabilibus eleuationibus mentis: vt iam ſupra dixi, cum quadam notitia veritatis: ita quòd in vita mortali conſiſtendo, quaſi videtur immortalis ex

eo,

eo, quia ſenſus propriæ ſenſualitatis mortificatus eſt: voluntas verò mortua eſt, propter vnionem in me factam. O quàm dulcis eſt hæc vnio cuilibet animæ guſtāti? quia videt & intelligit abſconſa ſecreta mea. Vnde frequenter Spiritu prophetiæ dotabitur, agnoſcendo quæ futura ſunt. Iſta bonitas mea gratioſè conceditur, quāuis humilis anima non debet hoc petere, ſeipſam indignam exiſtimando omnis propriæ conſolationis, pacis atq; ſerenitatis mentis, ad nutriendam atq; conſeruandam intùs in anima ſua virtutem. Neq; conſiſtit in iucundo ſtatu, ſed deſcendit indilatè in vallem agnitionis propriæ fragilitatis. Lumen autem iſtud animæ gratioſè concēdo, vt ipſa quotidie creſcat. Nam in vita præſenti, nunquam eſt in tanta perfectione, quin ampliùs in amore creſcere valeat, excepto filio meo dilectiſſimo, cui nulla perfectio potuit augeri: quoniam erat & eſt vnum mecum, & ego ſecum. Nam anima ſua beata tunc erat propter vnionem diuinæ naturæ. Vos verò peregrini quotidie creſcere poteſtis, immo debetis in maiori perfectione virtutis: non tamen ad alium ſtatum ſiue gradum, ex quo perueniſtis ad vltimum, vt à me dictum eſt: ſed eundem vltimum augmentare poteſtis, cum illa perfectione quæ placuerit vobis, gratia mea mediante.

REPETITIO BREVIS EORVM quæ ſupra dicta ſunt: Et quomodo Diabolus effugatur ab his, qui peruenerunt ad lachrymas quintas.

CAPVT. LXXXX.

NVnc ergo vidiſti de ſtatibus lachrymarum, & illarum differentiam,prout meæ bonitati placuit explanare tuo deſiderio ſatisfaciendo. De primis videlicet illorum,qui ſunt in ſtatu peccati mortalis,quorum planctus generaliter à corde procedit:quia principium affectus,vnde lachryma venit, omnino corruptum erat: & ideo gemitus inde corruptus egreſſus eſt,etiam cum omnibus operibus eorum. Secundus gemitus eſt illorum,qui propter pœnam,quæ ſequitur poſt culpam cõmiſſam, incipiunt agnoſcere mala ſua quæ merentur. Hoc eſt,quaſi generale principium, à me datum fragilibus,qui velut ignorantes in flumine ſe ſponte ſubmergunt,vitando doctrinam vnigeniti filij mei. Plurimi verò ſunt,qui ſeipſos agnoſcunt,abſq; timore ſeruili,videlicet propriæ pœnæ, quorum aliqui ſubitò procedunt cum odio ſancto ſui,ex quo ſe dignos exiſtimant omni pœna. Alij verò cum quadam commentabili ſimplicitate, mihi creatori ſuo ſeruire conantur,dolentes de ſuis offenſionibus contra me factis. Procul dubio magis aptus eſt, ad perfectionem attingere ille, qui cum odio magno ſui procedit,quàm alij:licet exercendo ſe virtuosè, benè perueniunt etiam illi,ſed iſte priùs. Ille qui vadit cum odio ſui,vitare debet in timore ſeruili remanere. Qui verò procedit cum illa ſimplicitate ſua, cauere debet,ne remaneat in illa,cum tempore mentis, non exercendo ſe feruenter & virtuosè. Hæc tamen eſt vna communis vocatio. Tertius atq; quartus gemitus eſt illorum,qui dere-

derelicto timore, peruenerunt ad amorem atq; ſpem, guſtantes miſericordiam meam, in qua multa dona, & conſolationes à me gratioſè recipiunt. Ex quibus oculus, qui ſatisfacere cupit ſenſui cordis, cum gemitu lachrymas effundit. Sed quia gemitus adhuc etiam imperfectus, immixtus cum planctu ſenſitiuo ſpirituali, ſicut dictum eſt, exercendo ſe feruenter & virtuosè, peruenit ad quartum: vbi anima in ſancto deſiderio augmentata voluntati meæ conformatur, & vnitur in tantum, quod non valet optare vel velle, niſi quæcunq; volo charitate proximi veſtita. Vnde recipit in ſe quendam amoris gemitum, cum amaritudine mearum offenſarum, & animarum detrimenti. Hic eſt vnitus cum quinta & vltima perfectione, in qua realiter vnitur, vbi laudabiliter excreuit ignis ſancti deſiderij. Quem ignem deſiderij ſuſtinere nō valet aduerſarius hoſtis antiquus, ſed illicò fugit, & animā ita ſuccenſā igne ſancto, nullo modo vulnerare poteſt, neq; per iniuriam illatam, quoniam in charitate proximi patiens effecta eſt, neq; per cōſolationem ſpiritualem ſiue temporalem, quia per odium & humilitatem veram hæc omnia contemnit. Verum eſt, quia Diabolus ex parte ſua nunquam dormit vllo tempore: & in hoc vos negligentes inſtruit, qui tempore veſtri lucri ſomno vacatis. Vigilia verò ſua talibus nocere non valet, quia calorem huiuſmodi charitatis eorum, nullo modo ſuſtinere poteſt: nec odorem vnionis quam in me mari pacifico fecerunt, vbi non poteſt anima decipi, dum vnita perſiſtit in me. Itaq; fugit velociùs, vt ab olla feruēti muſca fugere ſolet, ex timore

magni caloris. Si autem olla tepeſcit, ipſa muſca non expaueſcit, ſed illam ingreditur, ibiq; moratur. Quamuis aliquoties ipſa perit, ibidem inueniendo maiorem calorem, quàm exiſtimauerat inuenire. Et ita contingit animæ priuſquam ad ſtatum perfectionis attingat: Diabolus iudicans ipſam tepidam, ingreditur ad eam cum varijs atq; multis tentationibus. Cùm autem eſt ibi prudentia ſancta, calor alicuius feruentis voluntatis, atque diſplicentia culpæ virili virtute reſiſtit, voluntatem alligando, ne conſentiat cum furibus amoris virtutum & odij vitiorum. Lætetur igitur omnis anima, quæ moleſtias atq; tentationes varias, & multas habet vndecunq; proueniant, quoniam illa eſt via perueniendi ad huiuſmodi dulcem atq; glorioſum gradum. Quia ſi meminiſti dixi tibi, quòd ex vera notitia, & odio veſtri & agnitionis meæ bonitatis in vobis, vos veniebatis ad perfectionem. Nullum itaq; tempus eſt in quo recognoſcat anima ſic apertè ſi ſum in ea, ſicut illo tempore multarum tribulationum. Quia ſi benè cognoſcit, attendēdo ſe tētationibus obſeſſam atq; circundatam, & ſe liberare nequit, neq; reſiſtere, quin illas habeat. Reſiſtere quippe poteſt, ne voluntas illis acquieſcat, aliter verò non. Tunc agnoſcere ſe poteſt atq; debet, quia per ſe nihil eſt. Si enim eſſet, vel poſſet aliquid per ſemetipſam, ſe liberaret à moleſtijs, quibus omnino carere deſiderat: & iſto modo materiam habet humilitatis cum vera notitia ſui. Et cum lumine ſanctiſſimæ fidei recurrit ad me Deum æternum, cuius glorioſa bonitate ſibi reperit voluntatem bonam eſſe ſeruatam, quæ

nō cōſentit illis illicitis cogitationibus atq; tētationibus, à quibus impugnatur. Rationabiliter igitur et iuſtè, benè cōfortari debetis in doctrina dulcis & amoroſi verbi: videlicet vnigeniti filij mei, tempore multarum afflictionum, pœnarum, tentationū & aduerſitatum, vndecūq; proueniant, ex quo vobis virtutem augmentant, & ad ſtatum perfectionis viam exhibent & adducunt.

QVALITER DEVS A QVIBVSdam qui gemere deſiderant, ex ipſorum vtilitate ſubtrahit habere lachrymas.

CAPVT. XCI.

Dixi tibi de lachrymis perfectis & imperfectis: & qualiter omnes lachrymæ cuiuſcunq; maneriei procedunt à vaſculo cordis, quare poſſunt omnes vocari lachrymæ cordiales. Differentia ſolummodo conſiſtit in amore ſalubriter ordinato, vel inordinato, & in amore perfecto, vel imperfecto. Nunc verò tibi dicere diſpono, vt petitioni tuæ ſatisfaciam, de quibuſdam qui vellent habere perfectionem lachrymarum, & videtur quòd habere nequeant. Tales ergo ſi nequeunt habere lachrymas oculorum, ne ſe reputent inanes, habere ſtudeant ignitas atq; cordiales lachrymas. Eſt enim gemitus vnus ignitus, videlicet veri atq; ſancti deſiderij. Habens igitur illum ex amoris affectu quaſi conſumitur, & vitam ſuam in gemitu diſſoluere vellet, & conſumere per odium ſui & pro animarū ſalute: neq; videtur hoc obtinere

poſſe. Tales inquam indubitanter habent ignitas et multùm acceptabiles atque gratiſsimas lachrymas, in quibus Spiritus ſanctus ante me pro eis atq; proximis eorum, vtiliter & affectuosè deplorat, quia videlicet mea diuina charitas animam offerentem hæc anxia deſideria, iugiter ante me flamma ſua mirabili modo ſuccendit, abſq; lachrymis oculorum. Itaq; lachrymæ tales verè nuncupandæ ſunt ignitæ: & iſto modo poteſt dici, Spiritū ſanctum in anima tali gemere. Quæ, quia nequit habere lachrymas oculorum, offert anxium deſiderium & affectuoſam voluntatē habēdi gemitum amore mei. Quamuis aperiens oculum intellectus, apertè cognoſcet, quòd in omni ſeruo meo, qui flagrat odore ſancti deſiderij, & humiles atque continuas orationes offert in conſpectu meo, Spiritus ſanctus quotidie gemit. Et hoc velle videbatur exprimere glorioſus Paulus Apoſtolus, cum ait: Ipſe Spiritus ſāctus poſtulat pro vobis, gemitibus, inenarrabilibus. Igitur apertè cognoſcere potes, quia non eſt efficaciæ minoris iſte fructus ignitarum huiuſmodi lachrymarum, quam ſit ille lachrymarum oculorum: immo frequēter eſt amplioris efficaciæ iuxta menſuram amoris. Ideo talis anima nullatenus debet induci ad aliquam mentis confuſionem: nec exiſtimet ſe priuatam, vel excluſam à gratia meā, pro eo quod optat habere lachrymas, & habere nequit, eo modo quo deſiderat: ſed eas optare debet ordinatè cum voluntate videlicet vniformi cum voluntate mea, & humiliter acceptare ſi do, vel ſi nego, prout voluntati meæ placet. Aliquādo ego nō exhibeo lachrymas oculorum actualiter, vt anima quotidie ſlet ante

me

me cum oratione continua, & affectuoſo deſiderio guſtā-do me, quoniā habendo quod à me poſtulat, ei non eſſet vtilitatis illius quā exiſtimat. Sed eſſet in mēte ſua quieta & conſolata, ſi petitionem ſuam optatam haberet: & ita muneretur, ſiue tepeſieret affectus, ſiue deſiderium, cum quo poſtulabat. Igitur in augmentum & non in defectū virtutis, aliquādo ſubtraho lachrymas oculorum, ſed exhibeo mentales ſolummodo atq; cordiales igne ſancto diuinæ charitatis accenſos. Itaq; ſemper omni tempore pariter, & in omni ſtatu valde gratanter illas acceptabo, dum tamen oculus intellectus veſtri nunquam amoueatur, ſiue claudatur ab obiecto meæ veritatis æternæ: ſed cum amoris affectu, lumine fidei illuſtretur. Quia verè ſum optimus medicus, vos autem infirmi: vnde cum magna diligētia cunctis adminiſtro, prout expedit veſtræ ſaluti, cum augmento perfectionis animarum veſtrarum. Hæc eſt itaq; declaratio ſtatuū lachrymarū, de quibus à me prima & æterna veritate, tu dulciſsima filia mea, declarari petiſti. Debes igitur ſubmergere temetipſam in ſanguine Ieſu Chriſti crucifixi, humilis & immaculati agni vnigeniti mei, cū augmento virtutum, vt in te nutriatur ignis diuinæ charitatis.

QVOMODO QVATVOR EX PRAEdictis quinq; ſtatibus lachrymarum exhibent varietates plurimas lachrymarum; Et quando Deus vult ſibi ſeruiri cum re infinita & non finita.

CAPVT. XCII.

ISti prædicti quinq; ſtatus veluti quinq; principales ca-

nales ſunt quorum quatuor exhibent abundantiã, & infinitã varietatem lachrymarũ. Et omnes vitam exhibẽt, in quantum exerceantur virtuosè, ſicut ibi dicitur. Non dico ꝙ in hac vita ſitis in gemitu infiniti, ſed infinitas eas voco propter infinitum animæ deſiderium. Nunc audiſti quomodo lachryma ꝓcedit à corde; cor autem illam oculo porrigit, quam priùs in ſe conceperat, & aggregauerat infinito deſiderio. Velut viride lignum in igne poſitum, quod vigore caloris, gemẽdo fundit aquam, quoniam in ſe viriditatem habet. Si vero ſiccum eſſet, aqua non effunderetur: ita cor hominis agit humectatum viriditate atq; renouatione gratiæ: priuatũ amoris proprij ſiccitate; qui penitùs animam exiccat à quolibet virore fructifero. Et ita ſunt vnitæ lachrymæ cum igne; videlicet ignito deſiderio. Et quia deſiderium nunquam in præſenti uita ſatiatur, neq; finitur, ideo quantò plùs amat, ei minùs amare videtur. Et ita ſanctum deſiderium exercetur, quod eſt in charitate fundatum, ex quo gemit oculus. Etiam ex quo ſeparata fuerit anima, poſt mortem à corpore, pertingens ad me finem ſuum, non amittit ipſum deſideriũ ſuum: immo quotidie deſiderat habere me ſimul, & proximi ſui charitatem. Quia charitas ingreditur aulam æternam veluti domina, ſecum afferendo fructum omnium aliarum virtutum. Finitur ergo quæcunq; pœna, non deſiderium: vt iam tibi dixi. Anima namq; me deſiderat, & ipſa me poſſidet, & in veritate fruitur abſq; timore quocunq; perdendi, quòd à multo tempore præterito deſiderauit, & iſto modo nutrit anima famem. Et dũ fameſcit, iugiter in me ſatiatur, & ſatiata fameſcit: remotum

motum eſt tamen à ſatietate faſtidium, & à fame procul eſt omnis pœna: quoniã in æterna beatitudine nulla perfectio deficit. Itaq; deſiderium veſtrum extenditur in infinitum: quoniam aliâs minimè valeret aliqua virtus, mihi ſeruiendo ſolummodo cum aliquâ re finita. Nã ego, qui ſum Deus veſter infinitus, à vobis volo mihi ſeruire cum infinita re. Vos verò nihil habetis infinitũ, niſi deſiderium & affectum animarum veſtrarum. Et ego ſub hoc intellectu hoc dixi, ꝙ erãt infinitæ varietates lachrymarum. Et ita veritas eſſe comprobatur, ex infinito deſiderio, quod eſt cum huiuſmodi lachrymis vnitum. Cũ anima poſtea ſeparatur à corpore, lachryma remanet extra: ſed affectus charitatis ad ſe trahit omnem fructum ipſarum lachrymarum, quas omnino conſumpſit: velut aqua conſumitur in fornace ſuccenſa. Non quòd aqua ſit extra fornacem, immo calor ignis in ſe traxit eam atq; conſumpſit. Sic anima quæ iam peruenit ad guſtandum ignem diuinæ meæ charitatis, quæ migrauit à vita præſenti, cum affectu charitatis meæ, atq; proximi ſui, & cum vnitiuo amore, cum quo lachrymas effundebat, nũquã omittit offerre ſancta deſideria ſua: Beata ſimul & lachrymoſa ſine pœna. Non quippe lachrymas oculorũ effundendo: quia iam eſt in fornace ſic cocta, ſicut iam dixi, ſed lachrymas ignis à Spiritu ſancto procedentes. Ergo vidiſti quomodo debeant infinitæ lachrymæ nominari. Nam etiam in hac vita, lingua tua non ſufficit enarrare quot varij gemitus in ſtatu prædicto fiant. Ego uerò tibi dixi, differentiam illorum quatuor ſtatuum lachrymarum: nunc autem volo tibi dicere, de fructu quem produ-

producit lachryma effuſa, cum deſiderio, & quid operatur in anima.

DE FRVCTV LACHRYMArum mundanorum.

CAPVT. XCIII.

T*Amen incipere volo à prima ſpecie lachrymarũ, de qua tibi feci mentionem in principio: videlicet illorum, qui miſerabiliter in mundo viuunt, in corde ſuo fabricantes ſibi Deum, de rebus creatis in mundo, atq; de propria ſenſualitate: vnde procedit omne damnum, animæ pariter & corpori. Ego dixi tibi, quòd omnis lachryma ꝓcedit à corde, ſic enim eſt veritas, quia cor hominis tantùm in ſe dolet quantùm amat. Serui mundi gemunt, quando cor habet aliquem dolorem, videlicet quando priuatur illa re quam diligit: ſed valde diuerſi ſunt illorum planctus. Vis audire quantũ? Prout & quantum amor eſt diuerſus. Et quia radix amoris proprij ſenſitiui verè corrupta eſt, omne quod egreditur inde corruptum eſt. Iſte eſt velut arbor vna, quæ non producit niſi fructus mortiferos, flores malè olentes atque putridos, & folia maculata: rami verò ſunt vſq; ad terrã inclinati, & à varijs ventis quotidie cõcutiuntur. Hæc eſt arbor animæ, quoniam omnes eſtis arbores amoris: et quoniam ex amore creati fuiſtis, ſine amore viuere non valetis. Anima quæ virtuosè viuit, in humilitatis valle figit radicem arboris eius: ſed iſti qui miſerabiliter viuunt, in monte ſuperbiæ fixerunt eam. Vnde, quia malè plantata fuit, non producit vitæ fructum, ſed mortis.*

tis. Fructus verò ſunt eorum opera: qui fructus omnes venenati ſunt, ex varijs eorum offenſionibus atq; peccatis. Et ſi quem aliqando fructum alicuius operationis bonæ faciunt, quia radix eſt in ſe corrupta, quicquid inde producitur vel egreditur, eſt abſq; dubitatione corruptum. Quia nulla virtus in peccato mortali perpetrata, valet ad vitam æternã alicui: quia non eſt in ſtatu gratiæ perpetrata. Quamuis operatio virtuoſa nunquam omitti debet, in quocunq; ſtatu fuerit homo: Quia nullum bonum erit abſq; præmio tempore ſuo, ſicut nullum malum impunitum abſq; dubio relinquetur. Operatio virtuoſa, quæ facta fuit in peccato mortali, ſicut iã dixi, non valet ad vitam æternam: ſed iuſtitia mea diuina gratioſè remunerat illam imperfecta remuneratione, ſicut operatio imperfecta mihi fuit oblata. Nam in rebus temporalibus, aliquando remunero tales omnes operationes. Aliquando præſto tempus, expectando miſericorditer emendationem huiuſmodi peccatoris. Aliquando concedo alicui ſeruo, qui mihi gratus eſt, vt intercedat & offerat ante me deuotas orationes pro illo: & ita gratioſè reddam ei vitam gratiæ, relinquendo peccatum & virtuosè viuendo. Sicut egi cum Apoſtolo Paulo, qui propter orationes beati Stephani diſceſſit ab infidelitate ſua, gratia mea fauente, reſipiſcendo à perſecutionibus, quas meis amicis inferebat. Itaq; nunquam operatio virtuoſa debet omitti, qualitercunq; diſpoſitus inueniatur homo. Dicebam tibi, flores illos eſſe putridos, & ſic eſt: Iſti ſunt animæ putridæ cogitationes, quæ mihi valde diſplicẽt: & præcipuè quando iunguntur in

corde cum odio atq; diſplicentia proximi ſui. Iſte homo veluti latro furatus eſt honorem, quem offerre mihi creatori ſuo debebat, & ſibimetipſi exhibuit. Iſte flos exalat vbique fœtorem iudicij falſi & miſerabilis. Et hoc iudicium duplex eſt, vnum videtur eſſe contra me, occulta iudicia mea, & omne myſterium meum iniquè iudicando: videlicet in odium iudicando, quod in veritate cum amore paterno concedo, & in mortem, quod ad vitam ordino. Omnia condemnat & iudicat, iuxta ſuam infirmam atque deteſtabilem ignorantiam: quia talis cum amore proprio ſenſitiuo ſibimet excæcauit oculũ intellectus: vnde cooperta pupilla ſanctiſſimæ fidei, non poteſt videre neq; cognoſcere veritatem. Secundum iudicium eſt contra proximum ſuũ, vnde ſæpè multa mala ſequuntur. Quia miſer homo ſemetipſum ignorando, vult agnoſcere pariter & iudicare cor & affectum proximorum: & ex quadam operatione ſiue minimo verbo ſtatim inconſultè dãnabiliter iudicat ea, quæ ſunt hominibus occulta. Sed amici mei ſemper iudicant in bonũ: quia fundati ſunt in me ſummo bono. Huiuſmodi verò miſeri ſemper iudicant in malum, quia fundati ſunt in miſerabili malo. Ex quibus iudicijs frequentiſſimè generantur odia, homicidia, detractiones, diſplicentiæ cõtra proximum: atq; remoti fiunt ab amore virtutis amicorum meorum. Poſt hæc illicò ſequuntur folia: videlicet verba multùm inordinata, quæ procedunt ex ore contra reuerentiam, immo potiùs in vituperium & iniuriam, contra me pariter & contra ſanguinem unigeniti filij mei, & aliorũ ſanctorum meorum, ac in detrimentum

mentum proximi. Neque uidentur ad alia uacare, niſi ad maledicendum, & condemnandum opera mea: blaſphemando quaſcunque creaturas, ut eis occurrit, & eorum iudicia temeraria perſuadent. Nec aduertunt infœlices iſti, quòd à me lingua creata fuit, ut mihi redderet laudem & honorem, & ut homo confiteretur omnia peccata ſua, & illam exerceret in uirtutibus, & in ſalutem proximorum. Iſta ſunt folia maculata, & ex culpa miſerabili corrupta, quia cor, unde ꝓceſſerũt, erat immundũ, atq; duplicitate, & alia multa miſeria corruptũ, & putridũ. Agiliter enarrare non poſſes ultra ſpirituale detrimentum: uidelicet priuationis gratiæ meæ, quã incurrit anima: Quanta ſunt etiam dãna temporalia, quæ propter huiuſmodi linguas peſtiferas occurrunt? Nam ꝓpter inordinata uerba, frequenter inter homines exorta ſunt odia, mortales inimicitiæ, mutationes aliquando ſtatuum, deſolationes ciuitatum atq; patriarum, homicidia plurima, & alia multa mala: quia uerbum uulnerat, aliquando cor audientis ualde lethaliter: & illùc ingreditur, ubi gladius intrare nequiret. Hæc arbor habet in ſemetipſa ſeptem ramos, ad terram uſque deflexos, à quibus folia cum ſupradictis floribus egrediuntur. Iſti rami ſunt ſeptem peccata mortalia, quæ plena ſunt alijs uarijs atq; multis offenſionibus, & peccatis inſimul inſertis, & annexis in radice ſiue ſtipite miſerabilis amoris proprij pariter, & uenenatæ ſuperbiæ. Quòd primò ramos ex ſe produxit, exinde flores iniquarum cogitationum: poſtea folia ſiue frondes inhoneſtorum uerborũ: ultimò fructus puerſorum operũ. Inclinati ſunt etiam ad terrã huiuſmodi rami, quoniã ipſa peccata ſolũmodo ſe circũuoluunt

uoluunt in terra cuiuſcunq; miſerabilis, & inordinatè ſubſtantiæ terrenæ, nec alijs videntur vacare poſſe, niſi quando ſe valeant implere ſiue ſatiare tali terreno luto. Sed ipſi miſerabiles, omnino ſunt inſatiabiles, & ſibimetipſis incomportabiles. Et quidem valde congruum eſt, quòd ipſi ſemp inquieti ſint et vacui: quia ſolùm volunt et optant ea, quæ nullo modo poſſũt animum implere ſiue quietare. Et hæc eſt euidentiſſima ratio, propter quã ipſi ſatiari nequeunt: quoniam appetunt iugiter hæc viliſſima & infima, quæ finita, immo breuiſſima ſunt, & ipſi quantum ad eſſe ſunt infiniti: nam ipſorum eſſe quotidie durabit: licet ex culpa peccata finiantur, quantũ ad gratiam. Et homo conſtitutus eſt à me ſuper alias creaturas, & non aliæ creaturæ ſuper eum, immo ſatiari non poteſt, ſiue quietare animum ſuum, niſi ſolùm in re quæ ſit eo maior. Maior autem homine ſum ego ſolus Deus æternus, ideo ſolus ego poſſum eum, & volo ſatiare, atq; mentem eius in me fœliciter atq; pleniſſimè quietare. Sed, quia tales ex eorum culpa mortali, gratia mea priuati ſunt, iugiter in pœnoſo tormento perſiſtunt. Poſt huiuſmodi verò pœnam, qua cruciantur, gemitus illicò ſequitur.

QVOMODO PRAEDICTI MVNdani gementes, à quatuor ventis colliduntur.

CAPVT. XCIIII.

PRædicta igitur arbor propriæ ſenſualitatis, in qua mundani peccatores fecerunt ſuum principium atq; fundamentũ, præcipuè concutitur à quatuor vẽtis: vide-

videlicet à vento proſperitatis, aduerſitatis, timoris atq; conſcientiæ. Iſti ſunt venti quatuor: ventus proſperitatis nutrit in anima ſuperbiam, cum præſumptione multa, ſe magnificando cum iactantia, proximum verò vilipendendo cum iniuria. Si ſtatum dominij tenet iniuſtè, viuit cum multa cordis vanitate procedens, & cum immunditia mentis & corporis, cum propria reputatione ſimul & ambitione, cum multis aliis inconuenientibus atq; defectibus, qui ſequuntur poſt hæc, quos lingua tua facillimè enarrare non poſſet. Noueris tamen, quòd iſte ventus proſperitatis, in ſe non eſt aliquo modo corruptus: nec etiam alij corrupti ſunt, ſed eſt corrupta principalis illa radix arboris, vnde corrumpuntur omnia quæ procedunt ab ea. Nam ego, qui ſum æterna & ſumma bonitas, omnia creaui, & quotidie facio bona. Iſti verò peruerſi gemunt, eò quòd eorum anima non eſt aliquo modo ſaciata: quoniam affectu ſatis inordinato deſiderant in his infimis ea, quæ reperire non poſſunt. Non habendo, cordialiter affliguntur, & in afflictione ſua gemunt. Iam enim dixi, quòd oculus optat cordi ſatisfacere. Poſtmodum occurrit ei ventus vnus cuiuſdam timoris ſeruilis, ex quo mirabili modo propriam vmbram expaueſcit, metuendo perdere quæ ſic inordinatè diligit. Iugiter enim vitam propriam amittere trepidat: vel vitam filiorum: vel aliarum perſonarum ei dilectarum: ſiue ſtatum dominij ſui, vel alicuius alterius ex amore proprio: ſiue diuitias, vel honorem. Iſte timor impedit omnino, ne pacificè

cum mentis tranquillitate poſſidere valeat ea quæ tenet: quia non poſſidet ordinatè ſecundum voluntatē meam. Et ideo ſequitur inde timor iſte ſeruilis: & ita timidus eſt, quia factus eſt vilis atq; miſerabilis peccati ſeruus: & ipſe talē ſe reputare debet, qualis eſt illa res cui ſeruit. Peccatum verò nihil eſt, & ideo deuenit ipſe ad nihil eſſe. Dum aūt timoris ventus exagitauit atq; cōmouit eum, illicò ſuperuenit vētus illius tribulationis & aduerſitatis, quam expaueſcebat, & auffert ab eo quæ poſſidebat. Aliquando particulariter, & aliquando generaliter. Generaliter intellige, quando priuatur vita: quia tunc etiā inuitus omnia reliquit. Aliquoties occurrit in particulari: quia priuatur aliquibus. Aliquando ſanitate ſiue filiis: vel honore ſiue ſtatu temporali: ſiue diuitiis, prout ego medicus egregius videro ſalubriter expedire. Nam pro ſalute mearum creaturarum iſta concedo. Sed fragilitas earū eſt valde corrupta, & abſq; notitia veritatis: ideo patientiæ fructum amittunt: & ex impatientia mouentur ad murmurationem, ſcandalum, odiū, atq; diſplicentiam, contra me pariter & meas creaturas. Et illa quæ dedi eis in vitam, accipiunt et exiſtimant in mortem. Et cum illa menſura doloris amittunt ea, cū quanto amore poſſidebāt. Vnde conducūtur ad afflictiuū gemitū, et ad impatientiam quæ deſiccat animā, et occidit, auferendo ſibi vitam gratiæ. Corpus etiam affligit, exiccat atq; conſumit pariter, et excæcat intùs & extrà, ſpiritualiter videlicet & corporaliter. Et ita priuantur omni conſolatiua ſpe: quoniam

niam ablata ſunt ab eis ea in quib. delectabantur; & in quib. affectũ, fidem atq; ſpem collocauerant, ideoq; gemunt. Lachryma nanq; ſolo non eſt in cauſa tot in conuenientiũ, ſed inordinatus affectus, & huiuſmodi dolor cordis, vnde lachryma proceſſit: Itaq; nõ eſt exterior oculorũ lachryma, quæ mortem infert atq; pœnam, immo radix, vnde proceſſit, videlicet inordinatus amor proprius à corde procedens, quia ſi cor ordinatum eſſet, & haberet in ſe vitã gratiæ, ſimiliter eſſet ordinata lachryma, & me Deũ æternũ induceret ad ei miſericordiã exhibendam. Sed ideo dixi, quòd iſta lachryma mortẽ inferebat: quia eſt veluti nuncius apertè patefaciens, vtrũ vita ſiue mors in corde cõſiſtat. Quartò dicebã occurrere quendam ventũ conſcientiæ. Hoc. n. agit æterna mea bonitas. Cũ ego primò probauerim cũ proſperitate, vt homines ex amore traherem: poſtea cum timore, vt ex importunitate dirigerent animum ad amãdum cum virtute, ſine defectu. Tertiò probaui cum tribulatione gratioſè conceſſa, vt apertè cognoſcant inſtabilitatem atque fragilitatem vitæ præſentis. Videndo quòd iſta minimè proficiunt, ex eo quod effectuoſè vos diligo amore parterno, concedo multoties vnum conſcientiæ ſtimulum, vt os humiliter aperiat: eiiciendo & vomendò putredinem offenſarum atq; peccatorum, in ſacramentali confeſſione. Ipſi verò tanquam obſtinati, & à me ſuo demerito reprobati, quia gratiæ meæ recalcitrauerũt, & illã acceptare noluerunt, & huiuſmodi ſtimulũ conſcientiæ refugiunt, & vt ita dixerim, abhorrent illum vilipendentes: & cum ſpaciamentis atq; miſerabi-

libus delectationibus tranſigentes, cũ diſplicentia mei atq; proximorum eorum. Totum occurrit eis, eò, quia radix eſt infecta ſiue corrupta cum arbore tota: ꝓpter q̄ omnia ſuccedunt eis in mortẽ: vnde conſiſtunt in pœna continua, & in amaro gemitu, ſicut iam dixi. Et niſi ſe correxerint, habendo tempus, in quo liberum arbitrium habent, & ipſo poſſunt vti, tranſeunt ab iſto gemitu quem habent in tempore finito, & omnino perueniunt ad infinitum gemitum. Itaq; gemitus finitus redundat eis ad infinitum: quia lachryma fuit effuſa cum odio virtutis infinito, videlicet deſiderio fundato in odio, quod eſt infinitum. Sed tamen ſi voluiſſet, poterant ab ipſo egredi, gratia mea mediante, quoniam liberum habebant arbitriũ: Quamuis ego dixerim infinitum eſſe. Infinitum eſt, quantum ad affectum animæ, & eius eſſe: ſed non odium vel amor exiſtens in anima: quia dum eſtis in iſta vita, poteſtis odire, vel amare, vt eſt veſtræ voluntatis. Qui verò finit vitam in amore virtutum, bonum adipiſcitur infinitum: ſed ille qui finit vitam in odio, continuò ſtat in odio infinito, æterna damnatione condemnatus: vt iam dixi, demonſtrando quòd in flumine ſponte mergebantur, ſemetipſos ibidem ſuffocantes: in tantum quod ipſi nequeunt aliquod operari bonum, priuati miſericordia mea, ſimul & vera charitate fraterna, quam in æterna patria ſancti mei guſtant ad inuicem. Priuati quoq; charitate veſtra, qui eſtis viatores & peregrini à me conſtituti & ordinati, vt ad veſtrum terminum venire poſſitis,

vide-

videlicet ad vitam æternam. Ipſi verò ſuis de meritis omni bono ſe priuant. Vnde nec orationes, nec eleemoſynæ, nec alia bona valent eis ad vitam. Ipſi ſunt à diuina charitate mea veluti membra iam à corpore præciſa, quia dum vixerunt omnino renuerunt eſſe ſubiecti ſanctis præceptis meis, in corpore myſtico ſanctæ matris Eccleſiæ, nec eius obedientiæ, vt ſanguinem hauritis vnigeniti filij mei. Quare meritò recipiunt æternæ damnationis horribilem fructum, cum amariſſimo gemitu & inæſtimabili ſtridore dentium. Iſti ſunt illi Martyres Dæmonis, de quibus tibi feci mētionem. Itaq; Dæmon dat eis illud præmium exhorrendum, quod ipſe præhabet. Vides ergo quòd iſte planctus infert valde pœnoſum fructum in vita præſenti, & in fine conuerſationem Dæmonum infinito tempore.

DE FRVCTIBVS SECVNDARVM, & tertiarum lachrymarum.

CAPVT. XCV.

Reſtat in præſenti loco dicendum de fructibus, quos illi recipiunt, qui vitare culpam incipiunt ex timore pœnæ. Quidam enim ſunt, qui mortem peccati mortalis egrediūtur ex formidine pœnæ. Iſta eſt quaſi vna vocatio generalis, vt iam dixi. Quem fructum habet iſte qui ſic agit? hic incipit euacuare domum animæ ſuæ ab immunditia peccatorum, eò quòd liberum arbitrium mundauit præ formidine. Ex quo purificauit animam à culpa, recipit

atq; ſentit illicò pacē in conſcientia: & incipit affectū animæ diſponere, oculum intellectus aperiendo ad videndum locum ſuum, quem antequam euacuaretur videre nequibat: ſed ſolummodo putredinem variorum atq; multorum peccatorum videbat. Et incipit habere conſolationes, quia conſcientiæ vermis in eo pacificatus eſt, exſpectando quaſi cibum virtutis apprehendere. Sicut occurrit in homine, qui poſtquam ſtomachum euacuauit malis humoribus, appetitum habet atq; dirigit, vt aſſumat aliquod alimentum: ſic iſti præſtolantur vt arbitrij liberi manus cum amore cibi, virtutum eis cibum porrigat, vt manducare valeant. Et in veritate ſic eſt. Nam ſi primum timorem exercitauerit anima virtuosè poſtquam affectum ſuum vacuauit & expurgauit à peccato, recipit ſuum fructum, videlicet ſtatum ſecundū lachrymarum. In quo per affectum incipit anima fulcire domum virtutibus, licet ſit adhûc imperfecta, quanquam à timore ſurrexerit, inde tamē percipit conſolationem: quoniam amor animæ huius hominis delectationem habuit in veritate mea, quæ quidem eſt ipſe amor. Et propter conſolationem & delectationem, quam in me reperit, incipit amare valde dulciter: quia ſentit in ſe dulcedinem cōſolationis meæ, vel creaturarum mearum propter me. Igitur amorem exercendo, qui eſt ingreſſus domum animæ ſuæ: ex quo timor eam purgauit à ſorde peccati, ſtatim incipit habere fructus meæ diuinæ charitatis. Et poſtquam amor intrauit ad poſſidendū, incipit indilatè ſentire conſolationem variorum

riorum atq; multorũ fructuũ. Vltimò verò perſeuerando recipit in ſe fructũ ponendi menſam, videlicet poſtquã anima migrauit a timore ad amorẽ virtutũ, in menſa ſua diſcumbit ad lachrymas tertias virtuoſè perueniẽdo. Iſte mẽſam ſanctiſſimæ crucis in corde pariter & in anima ſua ponit. Ex quo menſam huiuſmodi parauit, ibi recipiendo cibũ, dulcis & amoroſi filij mei, qui demonſtrat apertè mei patris honorẽ, atque ſalutẽ veſtram: ꝓpter quam latus eius aperiri voluit, et ſemetipſum exhibuit vobis in cibũ. Tũc anima comedere incipit honorẽ meũ, & animarũ ſalutem, cum odio, et magna peccati diſplicẽtia. Quẽ ergo fructum anima recipit in iſto tertio ſtatu lachrymarum? Dico tibi, recipit fortitudinẽ quandã, in odio ſancto fundatã, contra propriã ſenſualitatẽ, cum vno fructu mihi gratiſſimo veræ humilitatis, & inuicta patiẽtia, cum qua vitat omne ſcandalũ: et ideo pœna priuat animam, quia odij gladio propriam voluntatẽ interemit, vbi conſiſtit omnis pœna veſtra. Quia ſola ſenſitiua voluntas in ſe ſcandalũ habet in iniuriis, vel perſecutionib. illatis, vel ex priuatione conſolationũ ſpiritualium ſiue temporaliũ: vt iam tibi dixi, & ita venit ad impatientiã. Sed quia voluntas eſt occiſa cum lachrymoſo dulciq; deſiderio, guſtare incipit fructum lachrymarũ videlicet glorioſæ patiẽtiæ. O fruct⁹ optabilis atq; magnæ ſuauitatis: et ô quàm verè dulcis es te guſtãtib. in veritate. Mihi quoq; gratiſſim9 et acceptabilis es: dũ es in amaritudine, guſtas et habes in te dulcedinẽ. Iniuriarũ tẽpore tu pacẽ hẽs: dũ es in ꝓcelloſo mari, vbi venti pericoloſi nauiculã animæ concutiũt,

& illudunt vndis: tu cum pacifica tranquillitate conſeruaris abſq; detrimento quocunq;. Nauicula namque tua reperitur operta cum dulci, & æterna voluntate diuina, vnde veſtimentum accepiſti charitatis ardentiſſimæ: vt aqua non valeat ingredi. O filia dulciſſima, iſta patientia eſt vna regina, conſiſtens in quadam arce fortiſſima, ipſa quotidie vincendo triumphat, nec vllo tempore vincitur, ipſa non vult eſſe ſola, ſed eſt cum vera perſeuerantia ſociata. Eſt etiam veluti medullum charitati ignitæ, ipſa quidem eſt quæ patefacit veſtimentum eius, vtrum in veritate ſit nuptiale vel non. Si verò fuerit in aliquo laceratum ex imperfectione virtutis, indilatè manifeſtat per eius oppoſitum, videlicet impatientiam. Omnes virtutes aliquãdo ſe poſſunt occultare, demonſtrando perfectionem, cum imperfectæ fuerint: te autem ô patientia latêre nequeunt: quia ſi tu es in anima, quæ directè medullũ es veræ charitatis, apertè demonſtras omnes virtutes alias ibi viuas atq; perfectas adeſſe. Et ſi tu non ades, apertè cognoſcitur alias imperfectas eſſe virtutes, & non peruenerunt adhuc ad menſam ſanctiſsimæ crucis. Tu patientia concepta fuiſti realiter in vera notitia propriæ fragilitatis, atq; meæ bonitatis in ſe. Inſuper odium ſanctum te peperit, & humilitate vera te perunxit. Tibi patientia nullo modo denegatur, honoris mei cibus atq; ſalutis animarum: ſed ipſum affectuosè quotidie manducas. Et in veritate ſic eſt. Aſpicias, ô filia mea, virtutem hanc excelſam in Martyribus, qui cum ſancta

dulciq́ꝫ tolerantia manducabant huiuſmodi cibum animarum. Mors eorum vitam exhibebat, atque mortuos reducebat ad vitam, & ita mortalium criminum expellebat ab anima tenebras. Mundus iſte cum omni magnificentia ſua, atqꝫ domini ſiue tyranni cum omni potentia ſua ſe tueri minimè poterant ab eis, ex virtute præfata reginæ dulcis patientiæ. Iſta glorioſa virtus eſt veluti lucerna ſuccenſa ſuper candelabro. Hic eſt ille fructus optabilis, quem exhibuit animæ lachryma, poſtquã attigit ad ſui proximi charitatẽ, manducando cum innocentiſſimo, & immaculato agno filio meo delectiſſimo: cum deſiderio cruciato & anxio, & cum intolerabili pœna mearum offenſarum, contra me creatorem ſuum illatarum. Non dico pœnam affligẽtem, quia vera dilectio cum forti patientia occidit omnem timorem, & amorem proprium, vnde pœna prouenit. Sed hæc eſt pœna ſolùm ex offenſa mihi facta, & detrimento proximi, quæ fundatur in charitate ſynceriſſima pinguefaciens animam. Itaqꝫ gaudet, & in ſe lætatur, quia ſignum eſt apertè demonſtrans eſſe me per gratiam ſingularem in anima.

DE FRVCTV QVARTARVM ET vnitiuarum lachrymarum.

CAPVT. XCVI.

DIxi tibi de fructu tertiarum lachrymarũ: proſequar ergo tibi narrare de quarto & vltimo ſtatu, de lachryma videlicet vnitiua, qui ta-

men non eſt à tertio ſtatu ſegregatus, vt iam tibi dixi, ſed vnitur, velut vnitur mea charitas cum charitate proximi: vna conditur ab altera. Sed ad quartum attingendo, tantum excreuit anima, quòd non ſolùm tolerat aduerſa quæcunque patienter, immo valde libenter, & cum ſancto gaudio vilipendit omnem recreationem, vndecunque ſibi prouenire poſſit; anxiè deſiderans habere conformationem cum vnigenito filio meo Ieſu Chriſto crucifixo. Hæc anima recipit fructum cuiuſdam quietis mentis, & vnam vnionem perfectam, per ſentimentum in natura mea dulci diuina, vbi ſuauiſſimè lac in veritate guſtat, velut infans qui requieſcit pacificè ad vbera ſua genetricis, in ore tenendo mamillam, & ad ſe trahendo ſine ſugendo lac, ipſa carne pectoris mediante. Sic anima quæ peruenit adhunc vltimum ſtatum, valde mirabili modo requieſcit ad vbera mea diuinæ charitatis, in ore ſancti deſiderij, tenendo carnem Ieſu Chriſti crucifixi: videlicet veſtigia ſua virtuosè, realiter imitando, atque doctrinam eius. Nam apertè cognouit in tertio ſtatu, quod ipſum non oportebat per me patrem ambulando tranſire, quoniam in me nulla pœna cadere poteſt, ſed ſic in dilectiſſimo filio meo. Vos verò non poteſtis abſque pœna tranſire, ſed cum tolerantia multa peruenietis ad virtutes veras atque probatas. Vnde ſe colocauit ad pectus Ieſu Chriſti crucifixi, & ita traxit ad ſe lac virtutum, in quibus habuit vitam gratiæ. Et ita ſe

veritas habet. Nam virtutes non habebant in ſe huiuſmodi dulcedinem, niſi quia facta fuerunt, & vnitæ in me, videlicet intuitu & amore mei perpetratæ fuerunt & in ſalutem animarum, & non intuitu propriæ conſolationis, vel vtilitatis. Nunc amabilis atque dilectiſſima filia, diligenter attende quàm glorioſus, & verè dulcis eſt iſte ſtatus, in quo fecit anima tantam vnionem pectori charitatis, quòd non inuenitur os abſq; pectore, neq; pectus abſq; lacte. Similiter hæc anima non inuenitur abſq; Ieſu Chriſto cruciato, nec abſq; patre ſemper æterno, quem inuenit guſtando ſummam & æternam Deitatem. O quis intelligeret, & attenderet qualiter implentur illius animæ potentiæ. Memoria ſemper impletur iugi recordatione mei, trahens ad ſe per amoris affectum, ei collata mea gratioſa beneficia: nec tantum beneficiorum actum, quantum affectum meæ paternæ charitatis cum qua fui largitus. Et præcipuè beneficium creationis, attendendo ſe creatam ad imaginem, atque ſimilitudinem meam, ſuper quo beneficio cognouit in primo ſtatu ſupra poſito pœnam, quæ propter ingratitudinem ei ſequebatur. Et ideo ſurrexit à miſeria culparum, & iniquitatum ſuarum, ad beneficium pretioſi ſanguinis Ieſu Chriſti, in quo ad eam gratiam recreaui, lauando faciem animæ ſuæ, ac omnium aliorum à lepra peccatorum. Vbi anima reperit in ſecundo ſtatu dulcedinem quandam amoris, guſtando ſuauitatem atque culpæ diſplicentiam, quam culpam

ipſe

ipſe tantùm diſplicuiſſe vidit, & agnouit quòd illam valde puniui ſuper corpore dilectiſſimi filij mei. Poſt hæc adinuenit in ſe ſancti Spiritus aduentum, qui declarauit, atq; declarat animam in veritate. Sed quãdo recipit anima lumen iſtud? Poſtquam agnouit per primum atq; ſecundum ſtatum in ſe beneficium meũ, tunc habet in ſe lumen perfectum, agnoſcendo veritatem meam: videlicet, quoniam ex amore paterno ſolummodo motus, ipſam ego creaui, vt haberet vitã æternam. Hæc eſt veritas, quam apertè demonſtraui vobis in ſanguine Ieſu Chriſti crucifixi. Poſtquam eam agnouit, amat eam, & amando demonſtrat, videlicet amando purè quicquid amo, & odiendo quicquid odio. Et ita ſe reperit in tertio gradu charitatis proximi. Itaq; memoria repletur in huiuſmodi pectore perfectione quacunq; tranſacta: quoniam in ſe retinuit ipſa beneficia mea. Intellectus verò retinuit lumen introſpiciens in memoria, & ibi veritatem agnouit, & omittẽdo cæcitatem amoris proprij, remanſit in lucidiſſimo ſole, videlicet in obiecto Ieſu Chriſti crucifixi, vbi cognouit eum Deum verum & hominem. Præter huiuſmodi notitiã & agnitionem ex vnione facta, ſurgit etiam & eleuatur ad vnũ aliud lumen, acquiſitum non per naturam, neq; per propriã virtutẽ ab homine patratam, ſed per gratiã ſingularẽ, à dulciſſima veritate mea conceſſam, quæ nunquam vilipendit anxia deſideria, neq; labores fideles oblatos ante me. Tunc affectus qui ſequitur intellectum, vnitur in me cum amore perfectiſſimo et ignito. Et ſi quis

à me

à me peteret, quæ vel qualis eſt hæc anima, reſponderem: Eſt alter ego, quoniam in me ſe transformauit, ex affectu & vnione amoris. Quæ lingua corporalis exprimere poſſet excellentiam iſtius vltimi & vnitiui ſtatus, atq; fructus varios, & quàm plurimos, quos anima recipit in eo, cum plenitudine potentiarum eius? Hæc eſt ille congregatio dulcis, de qua tibi feci mentionem, explanando ſupra de tribus gradibus, verbum incarnatæ meæ veritatis. Non poſſet aliqua lingua corruptibilis explicare. Tamen hoc ſancti Doctores, ab iſto lumine docti & illuſtrati demonſtrant, cum quo ſacram paginam explanabant. Vnde noueris ordinis tui glorioſum Thomam de Aquino habuiſſe ſcientiam ſuam, magis per ſtudium orationis, & mentis eleuationem, et lumen intellectus, quàm per humanum ſtudium. Ipſe fuit veluti lumen valde lucidum, quod in Eccleſia ſancta collocaui, vt illuminarentur errorum tenebræ. Si etiam aſpicias Euangeliſtam glorioſum Ioannem, quantum lumen acquiſiuit, incumbendo ſupra pectus Ieſu Chriſti filij mei, cum quo poſt multum temporis ita laudanter Euangelizauit. Et ita diſcurrendo, omnes iſto lumine Eccleſiam ſanctam illuminauerunt: aliqui per vnum modum, aliqui per alium, intrinſecum verò ſenſum, vnionem perfectam, atq; dulcedinem ineffabilem exprimere lingua tua nullo modo poſſet: quia finita res eſt. Hoc exprimere glorioſus Apoſtolus voluit, dicens: Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt ea, quæ præparauit Deus diligenti-

gentibus ſe. O quàm dulcis eſt illa manſio, dulcis vltra quamcunq; dulcedinem, cum vnione perfecta, quam anima fecit in me. Quoniam etiam ipſius animæ non eſt voluntas media, pro eo, quia mecum facta videtur vnum. Ipſa per vniuerſum orbem odorẽ iactat ex fructu continuarum, & humilium orationũ. Cum ingenti odore ſancti deſiderij, clamat in ſalutem animarum, cum voce, ſine voce humana corã diuina maieſtate mea. Iſti ſunt vnitiui fructus, quos comedit anima in præſenti vita: in hoc vltimo ſtatu cùm multis laboribus, lachrymis, atq; ſudoribus acquiſito. Et ita cum vera perſeuerantia pertranſit ab hac vnione, quæ licet in gratia perfecta ſit: in ſeculo tamen exiſtens, eſt imperfecta: quia eo quod appetit ſatiari non poteſt: & quia cùm corpore ligatur, in quo lex perverſa viget, quæ quaſi dormitat ex affectu virtutis, ſed non eſt in ſe mortua. Et ideo poteſt excitari ſublato virtutis inſtrumento, quo mediante dormit. Ideo dicitur imperfecta nunc vnio talis: iſta tamen vnio indubitanter animam introducit, ad illam perfectionem æternam atq; fœliciſſimam, quæ nunquam in aliquo caſu poteſt auferri ſiue minui, prout iam tibi dixi, narrando de beatis. Ibi guſtat cum veris guſtatoribus in me vitam æternam, in oppoſitum eorum, qui receperunt fructum ſui gemitus, æternum interitum. Iſti peruenerunt à gemitu finito & breui, ad æterna gaudia, recipiendo vitam glorioſam perpetuò duraturã: et cum fructu lachrymarum, et ignita charitate clamant: & offerunt lachrymas igneas,

vt

vt iam dixi, pro vobis in conſpectu meo. Nunc explicaui tibi gradus lachrymarum, & ipſarum perfectionem & imperfectionem, atq; fructum quem anima recipit ex ipſis lachrymis: quia perfecti lucrantur vitam æternam: iniqui verò damnationē infernalē.

QVOMODO DEO REGRATIAtur hæc anima, de declaratione prædictorum ſtatuum lachrymarum: Et ei tres petitiones fecit. CAPVT. XCVII.

TVnc hæc anima ex ingenti deſiderio anxia, pro declaratione quam habuerat à Domino Deo, ſuper ſtatibus lachrymarum antedictis, veluti philocapta dicebat. Gratias, gratias ago tibi ſummo & æterno Patri, qui deſideria ſancta ſeruorum tuorum exaudis & imples, atq; ſalutem noſtram inæſtimabiliter optas, & amas: qui nobis ex amore paterno amorem exhibuiſti, tempore quo tecum eramus in guerra, mediante dilectiſſimo filio tuo. Per hunc igitur amorem ineffabilem tuum, & igniferam charitatem, ex gratia tibi ſupplico, vt itinere tuto ad te venire valeam cum ſalubri lumine, & non in tenebris curram per viā ſanctiſſimæ doctrinæ tuæ, cuius apertè mihi demonſtrâſti veritatem: & ego poſſim agnoſcere pariter, & vitare duas alias fraudes, de quibus aliquando ſuſpicor occurrere poſſe. Itaque priuſquam egrediar à ſtatibus iſtis, à te, pater æterne, declarari vellem. Primū eſt, ſiquis à me conſilium expoſcet, de modo ſeruiēdi tibi, qd vel qualiter ei reſpōdere debeo, licet ego pater æterne recolo, quia mihi ſupra declara-

ſti,

ſti,ſuper illo verbo tuo,dicens: Ego delector in paucis verbis, & multis operationibus. Nihilominus ſi maieſtati tuæ placet,vlteriùs aliqua verba tangere, mihi gratiſſimum erit. Et inſuper ſi orante me,pro ſeruis atq; creaturis tuis,ego reperirem, in oratione mentem vnius valde benè diſpoſitam,mihiq; videbitur illum intueri gaudentem in te: aliam verò conſpexero,quaſi cum mente tenebroſa: nunquid ego,pater æterne,iudicare poſſum,vnum in luce gratiæ,& alium eſſe gratia priuatum: vel videndo quendam ambulantem cum pœnitentia magna,& alium abſq; tali pœnitentia: nunquid iudicare poſſum illum,qui talem pœnitentiam agit,in maiori perfectione fore,quã alium qui non facit ita. Suppliciter oro maieſtatem tuam, vt mihi declarare digneris hanc ambiguitatem meam,ne ſim in modico lumine meo quandoque decepta. Secundum,ſuper quo peto declarari, eſt ſignum quod anima recipit in viſitatione tua, vel aduerſarij noſtri. Si benè recolo, tu veritas æterna dixiſti, quòd in viſitatione tua remanebat anima cum alacri gaudio: & ad virtutem animòſa,vel auida.Nunc ego ſcire peropto, vtrum huiuſmodi gaudium, à propria paſſione Spirituali poſſet aliquando fraudari,ſiue decipi. Quia contingeret,ita potiùs attenderẽ,& acceptarem ſignum virtutis.Hæc illa ſunt de quibus humiliter à te poſtulo declarari,vt in veritate tibi ſeruire valeã, & vtilitatem afferre proximo meo, vitando quodlibet iudicium falſum,erga creaturas tuas,& præcipuè circa ſeruos tuos,eo,quia mihi vide-

videtur huiuſmodi iudicium eſſe cauſam, vt anima fiat à te remota. Ideò vitare tantum inconueniens exopto.

QVOMODO LVMEN RATIONIS eſt neceſſarium cuilibet animæ volenti Deo in veritate ſeruire: Et primò de lumine generali.

CAPVT. XCVIII.

DEus aũt æternus habendo complacentiam de ſiti atq; fame talis animæ: necnon & de puritate cordis, atq; de ſynceritate deſiderij, cum quibus optabat ei ſeruire, vertit ad eam oculum ſuæ pietatis & miſericordiæ, dicens: O dulciſsima filia chariſsima, & ſponſa fideliſsima, leua te ſupra te, aperiens oculum intellectus ad videndam infinitam bonitatem meam, & amorem ineffabilem, quem habeo circa te, & alios amicos meos, & aperias aurem tui ſenſus atq; deſiderij, quia ſi tu non videres, non poſſes audire, neq; cognoſcere veritatem meam. Quia videlicet anima, quæ minimè videt oculo intellectus, in meæ veritatis obiectum, non poteſt audire ſiue cognoſcere veritatem. Ideo volo, vt apertiùs eam agnoſcas, vt aſſurgas vltra tuum ſentimentum ſenſitiuum, ego verò, qui delector in tua petitione atq; deſiderio, tibi ſatisfaciam. Non quòd ex vobis aliqua delectatio mihi poſsit augmentari, quoniam ego ſum ille qui ſum, & qui vos creſcere facio, & non vos me, ſed in memetipſo delector de factura mea. Tunc anima fuit obediens, eleuando ſe ſuper ſe, vt agnoſceret veritatem

ritatem eorum, quæ petiuerat. Deus autem æternus ait ei: Vt apertiùs intelligere poſsis ea, quæ tibi dicam à principio, ſumam exordium de tribus luminibus, quæ proceſſerunt à me vero lumine. Vnum eſt quoddam generale lumen, illorum videlicet qui ſunt in communi charitate viuentes. Et quamuis tibi de quolibet dixerim, tamen multa tibi dixi, quæ volo replicare: vt infimus intellectus intelligat apertiùs ea quæ noſſe deſideras. Alia quoq; duo luminaria ſunt eorum, qui à mundo ſunt ſegregati, & ad perfectionem attingere deſiderant. Et ſuper hoc ego tibi declarabo de his quæ petiuiſti, narrando tibi particulariter ea, quæ tetigeram in generali. Si benè recolis, ego dixi tibi, quòd abſq; lumine nemo poteſt per viam veritatis incedere, videlicet abſq; lumine rationis. Quod lumen rationis à me trahitis vero lumine, cum oculo intellectus, & cum lumine fidei, quod vobis in ſacro Baptiſmo tradidi, niſi vobisipſis auſferatis illud ex defectibus veſtris. In quo Baptiſmo, mediante virtute ſanguinis vnigeniti filij mei, fidei formam accepiſtis, quæ fides cum exercitio virtutis, & lumine rationis ab ipſo lumine illuminante, vobis vitam exhibet, adducendo vos per viam veritatis, & cum ipſo peruenitis ad me verum lumen, ſine quo deueniretis ad tenebras. Duo lumina quæ procedunt ab iſto lumine, ſunt vobis omnino neceſſaria: quibus duobus etiam addam tertium. Primum eſt, quod vos omnes illuminati ſitis, in agnoſcendo bona mundi tranſitoria, quæ velociter tranſeunt vt ventus. Sed illa plenè non poteſtis agnoſcere, niſi fragilitatem veſtram antea cognoſca-

gnoſcatis, quantum in ſe labilis eſt, & valde prona cum peruerſa lege, quæ mẽbris veſtris eſt alligata, mihi creatori veſtro ſæpè rebellans. Non tamen ex huiuſmodi lege compellitur aliquis ad peccandum, ſiue ad committendum vel vnum minimum peccatum, niſi ſponte conſentiat. Ergo ſolummodo contra Spiritum impugnat. Neque legem ipſam ego conceſſi hominibus, vt ipſi vincerentur atq; ſuccumberent, ſed vt ipſi vincerent: & ſic in animabus eorum augmentaretur atq; probaretur virtus, pro eo quod virtus nullo modo probatur, niſi per eius oppoſitum. Senſualitas aduerſatur quotidie Spiritui, & ideo in illa ſenſualitate, probat anima dilectionem, quam habet in me creatore ſuo. Sed quando, ſiue quomodo probatur? Quando cum odio atque diſplicentia contra ipſam inſurgit. Inſuper etiam iſtam hominibus impendi legem, vt in humilitate vera conſeruentur. Quare cum diligentia debes aduertere, quòd cum ego creâſſem animam, ad imaginem & ſimilitudinem meam, & ipſam excellentiſſimè dotâſſem tanta dignitate nobiliſſima, poſtmodum illam aſſociaui cum re tàm viliſſima, ſicut eſt corpus, ex luto quippe formatum, etiam alligando ſibi legem huiuſmodi peruerſam, ne forſitan attendendo pulchritudinem ſuam, erigeret caput ex ſuperbia contra me. Vnde fragile corpus habentibus, huiuſmodi lumen occaſionem exhibet humilitatis animæ. Neque materiam habet elationis, ſi ſe benè conſiderat homo, ſed manſuetudinis, & humilitatis. Ita quòd lex iſta quantumcunque peruerſa nullo modo compellit aliquem ad quamcunq; peccati cul-

pam, propter impugnationem, quam facere poſſit, immo vobis occaſionem exhibet, vt in veritate voſmetipſos agnoſcatis, & inſtabilitatem vitæ præſentis. Hæc apertè videre debet oculus intellectus, cum lumine ſanctiſſimæ fidei, quam tibi dixi, fore pupillam oculi. Hoc eſt illud lumen, omnino neceſſarium omnibus habentibus in ſe rationem, qui participes eſſe cupiunt vitæ gratiæ, atq; fructus ſanguinis immaculati agni, in quocunque ſtatu fuerint. Qui verò caret iſto lumine, indubitanter eſt in ſtatu damnationis. Et iſta eſt efficaciſſima ratio, quòd illi qui non habent lumen, priuati ſunt gratia, quia qui lumine caret, ignorat omnino culpæ malum, & ea quæ ſunt in cauſa: & ideo vitare neſcit, nec odire cauſam eius. Et modo conſimili qui bonum ignorat, atq; boni cauſam, videlicet virtutem, amare non poteſt neq; optare me, qui ſum verum atq; ſummum bonum, neq; virtutem quam vobis exhibui, velut inſtrumentum, & quoddam medium ad acquirendam, & impetrandam gratiam meam, vbi conſiſtit eſſe bonum. Itaq; patenter aduertere potes, quantum vobis neceſſe ſit habere iſtud lumen, quia culpæ veſtræ non conſiſtunt in alio, niſi amando quod odio: & odiendo quod amo. Ego diligo virtutē, & odio peccatum. Ergo qui peccatum amat, & virtutem odit, ſe indubitanter offendere me nouerit, & eſt gratia mea priuatus. Hic ambulat veluti cæcus, qui peccati cauſam ignorando, videlicet amorem proprium ſenſitiuum; non habet odio ſemetipſum, neq; peccatum agnoſcit neq; malum, quod ei ſequitur ex vitioſo peccato. Ignorat etiam virtutē, atq; me qui tribuo ſibi virtutem:

vnde

vnde vitam adipiſcitur, eam amplectendo & exercendo. Ignorat quoq; dignitatem, in qua ſe cõſeruare poteſt, & ad gratiam venire mediante virtute. Vides ergo quòd ignorantia, & ſua cæcitas eſt occaſio ſui mali. Igitur vobis expedit omnino lumen iſtud habere, ſicut iam dixi.

DE ILLIS QVI POSVERVNT AFfectum ſuum potiùs in mortificatione, quàm in occidendo propriam voluntatem: Et hoc eſt plus quàm generale lumen, & eſt lumen ſecundum.

CAPVT. XCIX.

Poſtquam anima generale lumen iſtud acquiſiuit, ibi nullo modo debet eſſe contenta: quia dum eſtis in hac vita mortali peregrini, poteſtis, immo debetis iugiter in virtute creſcere. Qui verò creſcere minimè ſtudet, ipſo facto retrocedit. Quilibet ergo creſcere debet in communi lumine, quod acquiſiuit gratia mea mediante, ſiue ſollicitè conari debet ad ſecundum lumen perfectum attingere: vt ſic ab imperfecto, perueniat ad pfectũ. Cum lumine namq; vos oportet ad perfectionem attingere. In hoc verò ſecundo lumine perfecto ſunt duæ maneries perfectorum. Perfecti namq; dicuntur, qui modum viuẽdi communem ſecularium omiſerunt, per viam veritatis ambulantes: modo tamen duplici. Nam aliqui conantur iuxta poſſe perfectè caſtigare corpus eorum, cum grauiſsima & aſpera pœnitentia. Et vt illa

ſenſualitas eorum, rationi rebellare non audeat, omnem affectum ſuum appoſuerunt, magis ad mortificandum corpus, quàm ad occidendum voluntatem propriam: vt aliâs tibi dixi. Iſti paſcuntur ad menſam pœnitentiæ. Et quippe boni ſunt atq; perfecti, ſi pœnitentia fundata eſt in me, cum lumine diſcretionis, videlicet cum vera notitia mei pariter & ipſorum, & cum humilitate profunda. Et præſertim ſi attendant potiùs ad iudicandum voluntatem meam, quàm voluntatem hominum. Sed ſi non ambularent iſto modo, videlicet humiliter induendo voluntatem meam, frequenter offenderent perfectionem eorum, iudicando temerè illos, qui non vadunt per eandem viam, quam ambulant ipſi. Hoc autem accideret eis ex eo, quia ſtudium atq; deſiderium ſuum appoſuerunt ampliùs ad mortificandum corpus, quàm ad occidendum propriam voluntatem. Tales volunt quotidie tempus, locum, & animæ conſolationes, atq; mundi tribulationes, & Diaboli prælia, ſecundum voluntatem propriam: & non ſicut ego concedo, prout in ſecundo ſtatu, ego narraui tibi. Iſti dicere ſolent à propria voluntate fraudati, quam ego tibi nominaui Spiritualem voluntatem. Ego vellem conſolationem illam, & non tribulationem iſtam, vel Diaboli moleſtiam: nec ita deſidero propter me, ſed vt ampliùs Deo placere valeam, & ipſum ex gratia magis in anima mea poßideam: quia mihi videtur, ei ſeruire perfectiùs iſto modo quàm illo. Et ita qui talis eſt, frequenter in pœnam incidit atq; tædium, & ita quandoq; fit incomportabilis ſibimetipſi: & in hunc modum offendit ſui ſtatus perfectionem. Nec

aduer-

aduertit quod tibi iaceat vitanda putredo ſuperbiæ, cum tamen iaceat ibi, quia ſi mens verè foret humilis, & non ita præſumeret, videret apertè cum lumine rationis, quòd ego dulcis veritas omnibus exhibeo ſtatum, tempus, locum, atq; conſolationes, vt expedit veſtræ ſaluti: & ad perficiendam in anima perfectionem, & virtutis augmentum, propter quam, & ad quam eam elegi. Et agnoſceret quòd omnia tribuo cum affectiuoſa charitate. Ideo cum amore debet omnia recipere cum reuerentia, prout agũt veri ſerui mei, de quibus tibi dicam, qui manent in iſto perfectiſſimo lumine.

DE TERTIO ET PERFECTISSIMO lumine rationis: Et de operibus quæ facit anima, poſtquam ad ipſum ſtatum peruenit: Et de quadam pulchra viſione, quam habuit hæc anima.

CAPVT. C.

Hi tertij, qui dicuntur ſecundi, poſtquam ad huiuſmodi lumẽ glorioſum, attigerunt, in omni ſtatu perfecti ſunt. Et omnia quæ quomodo libet eis ego concedo, ſiue permitto, cum debita reuerentia ſuſcipiunt: vt in tertio, & vnitiuo ſtatu animæ, tibi mẽtionem egi. Iſti ſe reputant omni pœna dignos, atq; mundi ſcandalis, et conſolatione priuati. Et ſicut ſe pœna quacunq; dignos exiſtimant, ita ſe reputant indignos omni fructu ſiue conſolatione, qui, vel quæ ſequi debet in fine poſt pœnam. Nam in lumine guſtauerunt & agno-

uerunt æternam voluntatem meam,quæ nihil aliud optat,niſi bonum veſtrum,& vt in me ſanctificati ſitis. Et ideo vobis hæc omnia permitto, & affectuoſa charitate paterna concedo. Poſtquam anima cognouit eam,induit illam nec attendit ad alia, niſi ſolùm ad conſeruandum,& augmentandum huiuſmodi ſtatum ſuum perfectum,ad laudem & honorem mei hominis, oculum intellectus aperiẽdo, cum fidei lumine, in obiectum Ieſu Chriſti crucifixi vnigeniti filij mei: amando & virili corde ſequendo ſaluberrimam eius doctrinam, qui regula eſt & iter omnibus,videlicet perfectis & imperfectis. Attendit enim amoroſus agnus ei præbere doctrinam perfectionis, quam attentè conſiderando philocapitur in ea. Perfectio quidem hæc eſt: quia vidit & agnouit ipſum vnigenitum filium meum, ſe nutrîſſe ad menſam ſancti deſiderij, quotidie perquirendo mei patris eius honorem, atq; ſalutem veſtram. Et ex hoc anxio deſiderio, cum ingenti ſollicitudine feſtinauit ad mortem opprobrioſam ſalutiferæ crucis: & ita perfectè obedientiam iniunctam ei,per me patrem æternum, nunquam vitando labores & opprobria, nec ex ingratitudine veſtra, vel ignorãtia nõ agnoſcendo beneficium tã exceſſiuũ & immenſum,nec ex perſecutione Iudeorũ ſiue murmurationibus, vel clamoribus populorũ,unquam ſe quoquo modo retraxit: ſed omnia veluti miles valde ſtrenuus atq; capitaneus inuictiſſimus,expugnando proſtrauit. Eum enim in campo prælij collocaueram,vt aduerſantes Dæmones expugnaret, & vos de manibus eorum liberaret omnino. Nam eratis ipſorum peruerſæ ſeruituti damnabiliter obligati,

& vt

& vt ipſe vos inſtrueret de via, doctrina, & regula ſua: & ita peruenire poſſetis ad ianuam æternæ vitæ vobis apertam, cum claue ſui pretioſi ſanguinis, cum igne tantæ dilectionis effuſi, cum odio atq; diſplicentia culparum veſtrarum. Quaſi dicat vobis amoroſus iſte filius meus: Ecce vobis viam oſtendi, & vitæ durabilis aperui ianuam cum proprio ſanguine. Non ſitis ergo negligentes, ipſam virtuosè proſequi, cum ignauia ſedentes in amore proprio, & cum ignorantia viæ lucidiſſimæ; atq; præſumptione, volentes veſtrò modo mihi ſeruire, & nō modo meo, quia viam planam & apertiſſimam explanaui coram vobis. Surgatis ergo ſollicitè ſequentes eum, quia nemo poteſt ad me patrem æternum venire, niſi per eum. Ipſe vobis eſt via pariter & ianua, per quam vos oportet ad me mare pacificum ingredi. Cùm autem anima peruenit ad guſtandum hoc admirabile lumen, quia dulciter vidit & agnouit, ideo guſtauit, velociſſimè currit ad me, veluti philocapta cum ingenti dilectione, ad menſam ſancti deſiderij, non videndo ſe propter ſe, quærendo conſolationes proprias temporales, vel ſpirituales, veluti perſona quæ totaliter in iſto lumine atq; ſalubri notitia propriam volūtatem abnegauit. Nullum omnino laborem vitat vndecunq; proueniat, immo lætatur cum pœna tolerare opprobria quæcunq;, moleſtias Diabolicas, & murmurationes hominum, & in menſa ſanctiſſimæ crucis manducat honoris mei cibum atq; ſalutis animarum. Neq; remunerationem aliquam exquirit à me, vel ab aliqua creatura, quia ſpoliatus eſt ab omni amore mercenario: quia me nequaquam amat aliquo re-

ſpectu ſui & induit in veritate lumen perfectum, amando me ſyncerè ſine reſpectu quocunq, ſolùm ad gloriã & laudem nominis mei, non ſeruiendo mihi propter propriam conſolationem, neq, proximo ex vtilitate quacunque priuata, ſed ex amore puro. Iſti perdiderunt ſemetipſos, exuentes hominem veterem, et induti nouum hominem, videlicet Ieſum Chriſtum vnigenitum meũ, ipſum virili corde ſequentes. Iſti ſunt qui ſedent ad menſam ſancti deſiderij, qui ſollicitudinem ampliorem oppoſuerunt ad occidendum voluntatem propriam, quàm ad mortificandum corpus, ipſi quippe mortificant etiam corpus, ſed non pro affectu principali, ſed velut inſtrumentum, & in adiutorium ad occidendum propriam voluntatem: ſicut ego tibi ſupra dixi, ſuper illo verbo, dicens: Quòd ego delectabar in paucis verbis, & multis operibus: & ita facere debetis: quia principalis affectus eſſe debet in occidendo propriam voluntatem, vt non quæret neq, velit, niſi ſolummodo ſequi Ieſum Chriſtum crucifixum, honorem & gloriam nomini meo, perquirendo ſollicitè, atq, ſalutem animarum. Iſti qui conſiſtunt in iſto glorioſo lumine realiter ita faciunt. Et ideo ſemper inquietè morantur, nec habent vnde ſcandalizentur: quia remouerunt à ſe voluntatem propriam, vnde ſcandalum oriebatur. Et omnes mundi perſecutiones, vel aduerſarij tentationes vicerunt illas vilipendendo ſuppeditantes. Iſti conſiſtunt in aqua multarum tribulationum atq, tentationum: ſed in fine nullum omnino detrimentum habent, eò, quia roborati ſunt, atq, fulciti, à ſuſtentaculo ſancti & igniti deſiderij. Omnia

præbent

præbent eis gaudij ſancti materiam. Neq; iudicant aliquando ſeruos meos, vel alias rationales creaturas, immo lætantur de quocunq; ſtatu ſiue modo, quem vident, gaudendo dicentes: Gratias tibi pater æterne: *quoniam in domo tua manſiones multæ ſunt & variæ. Et ampliori gaudio lætantur, attendentes amicos meos per varias vias ambulantes, quã ſi omnes per eandem viã ambularent: quia magis in hoc apparet excellentia meæ bonitatis. Et omnibus augetur eis gaudium, & attrahunt odorem roſarum. Neq; ſolummodo de bono virtutis ædificantur, verùm etiam de manifeſto peccato iudicare nolunt: immo cum vna charitatiua compaſſione, me pro tranſgreſſoribus huiuſmodi deprecantur, cum humilitatę perfecta, dicentes: Hodie tibi, & cras mihi, niſi diuina gratia me conſeruet. O chariſſima filia, cordialiter afficiaris atq; congaude adhunc excellentem atque glorioſum ſtatum. Et aſpicias iſtos, qui currunt in iſto pretioſo lumine, & ipſorum excellentiam, eò, quia mentes habent omnino ſanctas, comedentes ad menſam ſancti deſiderij, & cum lumine peruenerunt: vt animarum cibo nutriantur ad honorem mei patris æterni, induti veſtimento dulci immaculati agni, dilectiſſimi filij mei; videlicet doctrina ſua cum ignifera charitate. Iſti tempus amittere nolunt, in dando falſa iudicia contra ſeruos meos, neque contra ſeruos mundi, neque ſcandalizantur ex aliqua murmuratione, ſiue ſit contra ſe, ſiue contra proximum: murmurationem namque contra ſe tolerare contentantur amore mei: quando verò*

fit ad-

ſit aduerſus alios, ex compaſsione proximi tolerant, & non iudicando, ſiue murmurando contra patientem, vel agentem: quoniam amor eorum ordinatus eſt in me cæleſti patre, ac etiam in proximo ſuo. Et quoniam ordinatus eſt, nullo tempore ſcandalizantur verſus eos, quos ita diligunt, vel circa creaturam aliquam habentem in ſe rationem. Ac etiam iudicare voluntatem alicuius hominis omnino renuunt, immo ſolùm in omnibus iudicant voluntatem clementiæ meæ. Iſti doctrinam obſeruant, in principio vitæ tuæ tibi datam, ab vnigenito filio meo, dum ab eo poſtulâſti cum ingenti deſiderio, quomodo peruenire poſſes ad perfectam puritatem. Apertiſsimè tibi reſpondit: Si tu vis ad perfectam puritatem venire, atq; ſcandalis omnibus eſſe priuata, ſemper vniaris in me per amoris affectum, eò, quia ſumma ſum & æterna puritas, & ſum ignis ille qui animam in veritate purifico. Vnde quantò mihi magis adhæret, tantò magis efficitur pura: & quantò magis à me diſcedens elongatur, ampliùs efficitur immunda. Et ideo cadunt in tot iniquitates homines vitæ præſentis, qui elongati ſunt à me. Nam anima quæ ſe mihi realiter vnit, ꝑcul dubio de puritate mea participat. Rē etiā aliam te facere conuenit, vt attingere poſsis ad vnionē atq; puritatem iſtam, videlicet, vt nūquā iudices in aliqua re, quā videris ab aliquo fieri ſiue dici contra te, ſiue contra alium, voluntatē hominū, ſed in omnibus voluntatem meam. Et ſi tu videres etiam peccatum expreſſum, extrahas ab iſta ſpina roſam odoriferam, videlicet eos offerendo coram me, per veram & fraternam compaſsionem. Et in iniurijs tibi factis,

indica

iudica, quòd voluntas mea, ita permittit, vel ordinat ad experientiam uirtutis in te pariter & in alijs amicis meis, iudicando quòd ille facit ita, velut inſtrumentum à me poſitum, & ad hoc electum: & præcipuè, quia frequẽter accidit huiuſmodi bonam intentionem habere, quia nemo iudicare poteſt occulta cordis hominum. Illud verò quod non vides, vel agnoſcis expreſſum & apertum eſſe mortale peccatum, in mente tua iudicare nullo modo debes, immo ſolummodo voluntatem meam in eis. Si autem expreſſè cognoueris, etiam non debes aſſumere ꝑ iudicio, ſed per compaſſionem, vt iam dixi: & iſto modo peruenies ad puritatem perfectam: quia ſic agendo tua mens nullo tempore ſcandalizabitur in me, nec in proximo tuo. Nam indignatio ſolet accidere contra proximũ, quando iudicatis voluntatẽ eius eſſe malam contra vos, & non voluntatem meam in eo. Quæ quidem indignatio ſeparat animam à me, atq; perfectionem veſtram impedit, & in quibuſdam etiam aliquando gratiam aufert ab ea plùs vel minùs iuxta grauedinem indignationis, vel odij concepti contra proximum, propter huiuſmodi iudicium. Sed econuerſo, pacem anima ſentit in ſe, quæ voluntatem meam indicat, vt eſt dictum, quæ ſolummodo bonum veſtrum exoptat. Et omnia quæcunq; do vobis vel permitto, facio ſolùm vt habeatis illum finem glorioſum, ad quem ego creaui vos. Et quia talis iugiter in dilectione ſui proximi conſiſtit, etiam immoratur in dilectione mea, vbi conſiſtens vnitur in me. Ideo ſi deſideras ad puritatem attingere, quam à me petis, omnino tibi neceſſarium eſt iſta tria principalia facere. Primò, vt

mò, vt vniaris in me per affectum amoris, in memoria iugiter habendo beneficia mea, quæ tibi feci, & oculo intellectus attendendo meæ charitatis affectum: quia verè vos ineffabiliter diligo. Et in hominis voluntate iudicare debetis voluntatem meam, & non malam voluntatem, hominum perſequentium ſiue detrahentium, quoniã ego ſolus iudex exiſto, & non vos: & hinc extrahere poteris omnem perfectionem. Et hæc eſt illa doctrina, quam tibi tradidit verbum incarnatam, ſi benè meminiſti. Nunc amantiſſima filia mea, tibi dico, quòd iſti de quibus tibi dicebam, quòd videbatur eos huiuſmodi doctrinam opere didiciſſe, in vita præſenti guſtant arram æternæ vitæ. Si doctrinam iſtam in mente conſeruaueris, indubitanter euades Diabolicas fraudes, quia cognoſces eas etiam à remotis. Et inſuper ea quæ à me petiſti: nihilominus ad ſatisfaciendum ſancto deſiderio tuo, clariùs tibi pandam, apertè demonſtrando, quòd nullum iudicium vos virtuosè dare poteſtis pro iudicio, ſed pro ſancta compaſſione.

PER QVEM MODVM ARRAM æternæ vitæ recipiunt in vita præſenti, qui conſiſtunt in iſto glorioſo & perfectiſsimo tertio lumine.

CAPVT. CI.

DIxi tibi, qòud huiuſmodi ſerui mei recipiunt arram æternæ vitæ in præſenti ſeculo. Arram vtique recipiunt, ſed non ſolutionem ad plenum.

num. Nam exſpectant illam in me vita durabili, fœliciter habere, vbi ſemper eſt vita ſine morte: ſatietas abſq; faſtidio: atq; fames abſq; pœna. Quoniam eſt à fame remota quæcunq; pœna: nam ibi omnes habent omnia quæ deſiderant: tamen à ſatietate remotum eſt omne faſtidium, quoniam ego ſum eis vitæ cibus, abſque delectu quocunq;. Sed in vita præſenti recipiunt arram iſto modo: quoniam incipit hic anima fameſcere, & feruenter optare mei, patris æterni, gloriam & honorem, atque cibum ſalutis animarum: iſto cibo famem ſuam paſcit. Quia videlicet anima nutritur ex charitate proximi, ſalutem cuius ingenti fame peroptat. Et hoc eius deſiderium, eſt ei quaſi cibus, ex quo nutritur. Nunquam tamen in præſenti vita ſatiatur, quomodo inſatiabilis eſt: & ipſi quotidie remanet ipſa fames. Et velut arra, eſt initium ſecuritatis, quæ datur homini pro futura ſolutione completa, licet in ſe ſit imperfecta, niſi quia recipiens illam, eſt in mente certificatus de ſolutione futura recipienda: ſic hæc anima philocapta, & veſtita doctrina meæ veritatis, quæ iam accepit arram in ſemetipſa meæ charitatis, atq; proximi ſui, exſpectat in vita durabili recipere perfectionem integræ ſolutionis indubitanter. Hæc arra quidem eſt imperfecta, nam anima quæ guſtat illam, non habet adhuc perfectionem abſolutè, ita quòd non ſentiat in ſe pœnã, & in alijs. In ſe quippe pœnã habet ex offenſa mea ꝑpter legẽ ꝑuerſã, quæ ligatur in mẽbris eius, quando contra Spiritũ impugnat. In alijs autẽ ex offenſione ꝓximi ſui. Perfecta quidẽ eſt, quo ad gratiã, nõ tamẽ in ea perfectiõe qua ſãcti mei dotantur:

tur: qui iam ad me peruenerunt vitam durabilem, ſicut iam tibi dixi, quòd eorum affectuoſa deſideria ſunt abſq; pœna: veſtra verò ſunt cum pœna. Stant igitur iſti ſerui mei, qui nutriuntur, ad menſam huius deſiderij ſancti, vt aliás tibi dixi, beati ſimul & doloroſi, prout vnigenitus filius meus in cruce ſtabat. Caro namq; ſua, propter illata tormenta grauiſsima, valde dolebat: ſed eius anima beata ſemper erat ex vnione diuinæ naturæ. Similiter iſti beati ſunt, ex vnione ſancti deſiderij eorum in me, ſicut iam dixi: quoniam induerunt ex toto dulcem voluntatem meam. Doloroſi verò, ſunt ex compaſsione proximorum, & quia ſenſualitatem propriam iugiter affligunt, aufferendo ſibimetipſis omnes delicias atq; ſenſuales conſolationes.

QVOMODO PROXIMVS ARGVI debeat, volendo vitare iudicium falſum.

CAPVT. CII.

NVnc aduerte chariſsima filia: Nam vt ampliùs eſſes in tua mente declarata ſuper eo, quod à me poſtulâſti, dixi tibi de communi lumine, quod omnes habere debetis in quocunq; ſtatu fueritis. Loquor de illis, qui commorantur in charitate communi. Ac etiã tibi dixi de illis, qui ſunt in lumine perfecto. Quod vtiq; lumen in duo tibi diſtinxi. Vnum erat illorum, qui diſcedentes à ſeculari vita, ſtudebãt valde mortificare ſua corpora. Secundum erat illorum, qui principaliter vacabant ad occidendum propriam voluntatem. Et iſti

ſunt illi perfecti, qui ſe nutriebant ad menſam ſancti deſiderij. Nunc autem in particulari tibi loquar, licet loquendo tibi, proderit etiam aliis: & ita tuo deſiderio ſatisfaciam. Ego volo te præcipuè tria facere, vt ex ignorantia non impediatur in aliquo perfectio tua, ad quam ego te voco & inuito: & vt aduerſarius Diabolus ſub ſpecie boni, atq; pallio virtutis charitatis proximi, nutrire non valeat in anima tua radicem præſumptionis: quoniam hinc in falſa iudicia præcipitareris, quæ tibi prohibui. Tibi quidem iuſtè iudicare videretur, & econuerſo tu iudicares iniuſtè, ſequendo tuum videre. Et aliquando Dæmonium veritates tibi plures oſtenderet, vt poſtea te præcipitaret in falſitatem atq; mendacium. Et hoc ideo faceret, vt eſſes iudex intentionum atq; mentium, creaturarum habentium in ſe rationem. Et hoc eſt abſolutè ſolummodo meum. Hoc eſt vnum ex illis quæ volo quòd omnino ſerues, & habeas in te: videlicet quòd neminem iudices abſq; modo, ſed volo iudicium tuum habere modum. Modus autem eſt iſte, quòd niſi defectum proximi tui priùs expreſſè, nõ ſolùm ſemel vel bis, immò ſæpiùs apertè manifeſtarem in mẽte tua, non debes in particulari redarguere, videlicet illum in quo tibi videtur eſſe defectus. Sed in communi corrigere debes vitia te viſitantium charitatiuè: plantando virtutes, & cum affabili benignitate. Tamen quando videris expedire, cum benignitate poteris etiam aſperitatem immiſcere. Quamuis ergo tibi videatur, quòd ego tibi pandam defectus alie-

nos, niſi cognoſcas expreſſè meam eſſe reuelationem, vt iam dixi, non arguas in particulari, ſed ambula per viam tutiorem, vt vitare poſſis aſtutiam atq; fraudem Diaboli. Quia cum hamo talis deſiderij te decipere poſſet, inducendo te ad iudicandum in proximo, quod à veritate remotum eſſet: vnde poſſes eum ſæpè fruſtra & iniuſtè ſcandalizare. Vnde ſit in ore tuo ſilentium vel vnum ſanctum colloquium, in commendando virtutes, & vitia contemnendo. Et quando tibi videretur, in proximo tuo defectum aliquem agnoſcere, cum quadam humilitate dulci, vnâ ſecum etiam temetipſam argúe. Tunc, ſi verò vitium illud erit in proximo, quem corrigere cupis, abſq; dubio corripietur, & emendabitur agiliùs attendendo ſe, ita dulciter eſſe comprahenſum: & illicò tibi dicet illud, quod ei dicere volebas. Tu verò ſecura ſtabis, & ita Diabolo præcidiſti, & obſtruxiſti viam: quia te decipere non valebit, nec impedire perfectionem animæ tuæ. Item volo te prudenter aduertere, quia confidere non debes in aliqua viſione, ſed potiùs huiuſmodi poſtergare coneris, & eas humili corde vitare. Et ſolummodo remanere ſtudeas in agnitione tui, & in te cognoſcere meam ineſtimabilem bonitatem. Ita faciunt illi, qui peruenerunt ad ſtatum perfectionis, de quibus tibi dixi, quia quotidie redibant ad vallē cognitionis ipſorum. Neq; tamen hoc impediebat in eis altitudinem vnionis, quam in me fecerant. Et hoc vnum eſt illorū triū, quæ te volo ſeruare, vt in veritate mihi ſeruias.

SI QVIS IN ORATIONE VIDEret aliquem proximum eſſe tenebroſum, non tamen debet ex hoc à ſeruo Dei temerè iudicari, quòd ille ſit in peccato mortali.

CAPVT. CIII.

SEcundũ eſt, de quo declarari petiſti: ꝙ ſi quandoque contingeret, quòd me rogares in particulari pro aliquibus proximis tuis, & in oratione videres in vno, ꝓ quo rogas, aliquod gratiæ lumen: & in alio nõ, licet ambo ſint amici mei: ſed tibi videretur, ꝙ vnus mentem haberet inuolutam atq; tenebroſam: tu verò non debes, nec etiam virtuoſè potes eum iudicare, quòd graui culpæ ſubiaceat: quia frequentiſſimè iudiciũ huiuſmodi falſũ eſſet. Vnde volo te non ignorare, ꝙ aliquando tu me rogas pro eâdem perſona: & vna vice videbis eam cum lumine iucundo, & vno deſiderio ſancto, corã me, in tantum, ꝙ de bono illius videbitur tibi, ꝙ anima tua pingueſcat, vt affectus veræ charitatis exigit: ſcilicet vt vnuſquiſq; lætetur, & exultet de proſperitate proximi ſui: & alia vice videbis eũ ita, ꝙ tibi videbitur mentẽ ſuã valde remotam à me, totam tenebroſam atque moleſtiis exagitatam eſſe, ita quod tibimetipſi videbitur valde laborioſum, orationem effundere coram me pro eo. Quandoque hoc ex aliquo contingit defectu illius pro quo rogas, multoties tamen occurrit, non ex defectu ſuo, ſed quoniam ego Deus æternus ab eius anima me ſubtraxi per ſenſum, prout ego frequẽter ago: vt anima per-

ueniat ad perfectionem, prout ego in ſtatibus animæ tibi narraui. Quia me quandoq; ſubtraho, per ſenſum, ſed non per gratiam. Unde tunc anima non ſentit aliquam dulcedinem vel conſolationem, ideo mẽs eſt arida, ſterilis, atq; pœnoſa, quam pœnã etiam extendere permitto vſq; ad animam illius, qui orat pro tali. Et hoc ago ex affectuoſa charitate quam habeo ad illam animam quæ recipit orationẽ, vt ille qui me rogat vnâ ſecum adiuuet, ad diſſoluendã nubem quæ mentem eius obumbrauerat. Itaq;, dulciſſima filia, vides cum quanta procedit ignorãtia, & quantum eſſet arguendus ille, qui iudicare vellet ex iſta ſimplici viſione: quod vitium graue foret in anima tali, quamuis ego demonſtrâſſem ita tenebroſam: de qua iam vidiſti, & intellexiſti, quia non eſt priuata gratia: ſed ſolummodo ſenſu dulcedinis, quam ei de me dabam. Igitur volo, tu quoq; velle debes, & alij ſerui mei, ꝙ attendatis valde diligenter ad agnitionẽ veſtri, vt perfectiꝰ agnoſcatis in vobis inæſtimabilẽ bonitatẽ meã. Et hoc et aliud etiam iudiciũ mihi relinquatis, quia meũ eſt, & non veſtrũ. Sed omittatis iudiciũ, ꝙ vtiq; meũ eſt, & aſſumatis veſtræ menti cõpaſſionem: erga proximũ cum fame honoris mei, atq; ſalutis animarum, cũ anxio deſiderio annunciando virtutes: vitia verò redarguite in vobis, & in eis: vt ibi ſuperiùs eſt expreſſũ. Et in hunc modũ in veritate venies ad me, demõſtrans apertè meminiſſe doctrinæ cũ obſeruãtia comendabili, quam ab incarnata veritate recepiſti, videlicet in omnib. volũtatẽ meã iudicando, et nõ volun-

luntatē hominum. Et ita facere debes, ſi deſideras in veritate virtutem adipiſci realem: & immorari iugiter in vltimo, perfectiſſimo, atq; glorioſo lumine, nutriendo te ſemper in menſa deſiderij ſancti, de cibo ſalutifero animarum, ad gloriam & laudem ſancti mei nominis.

QVOMODO POENITENTIA SVMI non debet pro fundamento principali, ſed affectus & amor virtutum.

CAPVT. CIIII.

TIbi, chariſſima filia, dixi de duobus, nunc verò tertium addam, quod à te requiro, circa quod habeas aduertentiam: & argue temetipſam ſi quanquam moleſtiam ſenſeris à Diabolo, vel à præſumptione tua, deſiderando videre ſeruos meos omnes ambulare per viam illam, per quam tu vadis. Nam hoc eſſet contra doctrinam, quam veritas incarnata tibi tradidit. Quia frequenter occurrit quòd aliqui vadunt per viam abſtinentiæ, vel admirabilis pœnitentiæ, & ita vellent omnes agere. Si verò ita fieri non viderint, aſſumunt inde diſplicentiam, & in ſe ſcandalizantur, iudicando tales non ambulare ſalubriter. Attende quòd iſti valde decipiuntur: quia frequenter accidit, quòd ille de quo ſic iudicant, ampliorem merebitur habere gratiam, licet ipſe ſe nō affligat in tanta pœnitentia, quàm illi qui ſcandalizantur in eo, & maiori pœnitentia conteruntur. Et ideo

tibi iam dixi, quòd illi qui paſcuntur in menſa pœnitentiæ, niſi procedant cum humilitate vera, & quòd pro principali fundamento, & affectu non aſſumãt pœnitentiam ipſam, ſed pro virtutis inſtrumento, ſæpè propter huiuſmodi murmurationem ſuam perfectionem offendunt. Et ideo non debent ignoranter incedere, ſed attendere, quia perfectio non conſiſtit ſolummodo in macerando corpus, immo potiùs in occidendo peruerſam atq; propriam voluntatem. Et per hanc viam abnegatæ voluntatis, & voluntati meæ ſubditæ deſiderare debetis omnes ambulare. Hæc eſt doctrina lucis illius luminis glorioſi, in quo anima philocapta currit induta realiter voluntatem meam. Non tamen ego contemno pœnitentiam, quia pœnitentia quidem vtilis eſt ad domãdum atq; caſtigandum corpus, quando contra Spiritum impugnare vellet. Sed, amantiſſima filia, nolo quòd hoc accipias tanquam regulam omnibus imponendam. Nam omnia corpora non ſunt æqualis complexionis, quia natura fortioris eſt vnus quàm alter. Et etiam quia frequenter occurrit, quòd propter accidentia diuerſa pœnitentiam iam inceptam oportet omittere. Itaque ſi fundamentum eſſet in te, vel alteri perſuaderes, quòd ſuper pœnitentia faceres vel faceret, omnino deficeret & eſſet imperfectum. Et ita conſolatio vobis abeſſet, & virtus in anima, cum eſſetis priuati re, quam inordinatè diligebatis, vbi feceratis principium veſtrum: & ita iudicaretis vos eſſe priuatos gratia mea. Sic igitur exiſtimantes veniretis ad importabile tædium,

dium, & ingentem amaritudinem atq; confuſionem, ex quo perderetis exercitium veſtrum, atq; orationẽ feruentem quam offerre mihi ſolebatis, agendo pœnitentiam illam. Qua dimiſſa propter occurrentia plurima non ſapit vobis oratio illo modo quo priùs, immo quodammodo videtur inſipida. Hoc verò contingeret, quia fundamentũ eſſet collocatum in corporali pœnitentia, & in eius affectu, & non in anxio deſiderio ſancto. Deſiderium intelligo verarũ atq; realium virtutum. Itaq; potes attentè cõſiderare quot in conuenientia mala ſequerentur, vobis volendo facere principiũ atq; fundamentum in pœnitentia corpora, quia procederetis ignoranter, & iniuſtè murmuraretis contra ſeruos meos, & veniretis ad amaritudinem valdè tædioſam. Et mihi ſeruire ſtuderetis operib. finitis, cum ego ſim bonũ æternum & infinitum: & ideo à vobis exſpecto deſideriũ infinitum. Oportet ergo quòd fundamentũ veſtrum ſit, in occidendo & abnegando propriam voluntatem: & cum ea voluntati meæ ſubiecta, mihi præbebitis infinitum famelicũ atq; dulce deſiderium, honorẽ meum exquirendo, & animarum ſalutem. Et ita nutrietis vos in menſa ſancti deſiderij, quòd nunquã in ſe vel in proximo ſuo ſcandalizatur: ſed in omnib. exultando gaudet, atq; fructum extrahit de tot, & ita variis modis, quos in animarũ ſalute teneo. Nõ ita faciunt illi miſeri qui doctrinam iſtam obſeruare nolunt, viam vtiq; dulcem atq; directam à dilectiſſimo filio meo vobis exhibitã & oſtenſam, immo faciunt oppoſitum iudicãdo temerè iuxta

cacam infirmitatē eorum. Et ideo veluti Phrenetici ſuam viam ignorant: vnde ſemetipſos inueniunt eſſe priuatos, bono terreno pariter & cœleſti. Et vt aliâs dixi, guſtant in vita præſenti arram inferni.

REPETITIO IN SVMMA, CVM quadam additione, de reprehenſione proximi.

CAPVT. CV.

NVnc ergo, filia chariſſima, ſatisfaciēdo tuo deſiderio, declaraui tibi ſuper eo quod à me poſtulâſti, videlicet quomodo proximū arguere debeas, ne quandoq; Dæmoniaca fraude decipiaris: nec etiā ab infimo iudicio tuo: quia videlicet in generali arguere debes, et non in ſpeciali; niſi fortè tibi reuelâſſem expreſſè: ſed cum humilitate, ſicut admonui te, redarguere debes vnâ cū eis temetipſam. Etiā tibi dixi, et iteratò dico, quia nullo modo licet tibi iudicare creaturā aliquam rationalē in cōmuni, ſiue particulari: neq; mentes amicorum meorum ſiue reperias eas eſſe diſpoſitas, vel etiā indiſpoſitas: propalando tibi cauſam, quare iudicare non debes, quia iudicando procul dubio te fraudatam inuenires in tuo iudicio. Sed tu pariter, & alij compaſſionem habere debetis, iudicium verò mihi relinquatis. Etiam te docui doctrinam, quam exhibere debes venientibus ad te pro conſilio, quomodo poſſint egredi de tenebris mortalium peccatorum, & viam proſequi virtutum: vt videlicet eis exhibere coneris pro principio atq; fundamento, virtutum amorem, & affectum cum ipſorum,

rum, agnitione pariter & meæ bonitatis in eis; & abnegent & occidant, in ſe propriam voluntatem, vt in nullo mihi penitùs rebelles inueniantur. Pœnitentiam autem eis exhibe velut inſtrumentum virtutis, & non pro affectu principali, ſicut iam dixi: non tamen æqualiter omnibus, immo prout videris eos ad portandum aptos, & iuxta poſſibilitatem atq; ſtatum ſuum. Aliqui poſſunt ampliùs, aliqui verò minùs, ſecundum aptitudinem, exteriorum inſtrumentorū. Et quia te monui, quòd in generali proximos argueres, & non in particulari, nolo tamen vt credas quòd actualiter videndo quendam expreſſum defunctum in proximo tuo, tu non poſſis eum corrigere, inter te & ipſum; immo potes. Et etiam ſi eſſet obſtinatus, ad ſe corrigendum ordinatè potes, & iuſtè manifeſtare duobus, vel tribus. Et ſi non prodeſt ita feciſſe, potes Eccleſiæ ſanctæ corpori myſtico patefacere. Sed ego te cautam eſſe volui, ne temerè iudicare velles ex aliqua viſione leui, vel per ſenſum in tua mente: nec etiam per viſum exteriorem, tu non debes præcipitanter, & incautè prorumpere ad arguendum proximū in ſpeciali, niſi tibi conſtaret à me procedere per expreſſam reuelationem, & eo modo ſicut iam dixi. Hæc via tutior eſt, vt à Diabolo decipi nō valeas, ſub vmbra charitatis proximi.

DE SIGNIS AD AGNOSCENDVM, quando viſitationes, & viſiones mentales à Deo ſint, vel à Diabolo.

CAPVT. CVI.

EXpleui, chariſſima filia, declarare tibi ſuper hoc articulo quantum expediens eſt, ad conſeruandam & augendam perfectionem in anima tua. Modò declarare volo ſuper eo quod à me poſtulâſti, videlicet de ſigno quo poſſis apertè cognoſcere, ſi viſio vel viſitatio mentalis, quam anima recipit aliquando, fuerit à me, vel à Diabolo. Super hoc aliâs tibi dixi, quòd quando procedit à me viſitatio, ſignum erit alacritas in anima remanens poſt viſitationem, fameſq; virtutum; & præcipuè cum anima remanet vncta virtute profundæ humilitatis, atq; diuinæ charitatis igne ſuccenſa. Sed quia petis, vtrum in alacritate tali poſſit intereſſe fraus aliqua Diabolica, quia ſi ſic eſſet, velles via tutiori perambulare: videlicet habendo & attendendo ſignum virtutis, quæ decipi non valet: ego tibi pandam in præſenti fraudem, quæ recipi poteſt, & quomodo cognoſcere poſſis, vtrũ alacritas illa fuerit in veritate, an non. Fraus inimici poteſt iſto modo recipi. Ego volo te noſſe, quia quodcunq; creatura rationalis amat, vel optat habere, poſtquam habuit, inde gaudium, habet. Et quantò magis amat id quod habet, tantò minùs videt, vel prudenter agnoſcere ſtudet, vnde venerit ex delectatione quàm habet, & aſſumpſit habendo rem, quam optauerat. Quæ delectatio, vel alacritas inordinata mẽtem eius impedit, ne videat vel diſcernat. Sic iſti qui delectantur & appetũt habere conſolationes huiuſmodi, mentales viſiones exquirunt, & ampliùs principalem affectum

fectum in conſolationis delectatione poſuerunt, quàm in me directè. Sicut ego tibi dixi de illis, qui adhuc erant in ſtatu imperfecto, qui magis attendebãt ad donum conſolationũ, quas à me donatore recipiebant, quàm ad meæ charitatis affectũ, cum quo largior eis. Hinc ergo tales in alacritate ſua facillimè decipi poſſunt, vltra fraudes alias, quas in alio loco tibi diſtinctè recitaui. Aliquando nanque fraudantur in iſto: Quia poſtquam ipſi conceperunt amorem, & auiditatem ad huiuſmodi conſolationes, vt eſt dictum, ex quo poſtea recipit conſolationem, vel viſionem eorum anima lætatur valde: quia ſe recipiſſe videt, quod amat & optabat habere. Unde ſæpiùs hæc alacritas à Dæmonio procedere poſſet, licet alacritatem huiuſmodi ſentiret, de qua tibi dixi, quòd quando viſitatio procedebat à Dæmonio, veniebat ad animam cum quadam alacritate, poſtea verò cum pœna remanebat atq; conſcientiæ ſtimulo, vacua virtutum deſiderio. Nunc autem auiſo te, quòd anima quandoq; poterit alacritatem iſtam habere, ac etiam cum eadem ab oratione ſurget. Attentè tamen aduertendum eſt, q̃a ſi fuerit hæc alacritas abſq; virtutis ignifero deſiderio, et humilitate peruncta, non remanſerit anima, nec in fornace mea diuinæ charitatis exuſta, talis viſio, conſolatio, & viſitatio indubitanter à Diabolo p̃cedit: & non à me, non obſtante q̃ anima ſignum alacritatis in ſe perceperit. Sed quia talis alacritas iuncta non eſt cum affectu virtutis, modo prædicto, manifeſtè patet alacritatem illam ab amore mentalis

conſolationis propriè procedere. Ideo lætatur anima gaudendo, ꝙ habet, quod optauerat. Nam eſt amoris vera cõditio in occurrentib. quibuſcunq; ſentire gaudium, habendo quod amat & optat. Itaq; confidendum non eſt in hac alacritate pura, licet alacritas illa ſimul cum tali conſolatione perduraret, vel etiam vltrà. Quoniam amor ignorans ex ipſo gaudio, non agnoſceret ibi fraudem adeſſe Diabolicam, non ambulando cautè cum ampliori prudentia. Si verò prudenter ambulare ſtudebit, attentè cõſiderabit, vtrum alacritas iſta aſſociata fuerit ab affectu virtutum. Et ita manifeſtè perpendet viſionem huiuſmodi fuiſſe meam vel Diaboli. Hoc eſt ergo ſignum illud, quo mediante poſſis intelligere qualitatem huius alacritatis, quando mens viſitatur à me, videlicet cum eſt vnita cum affectuoſo deſiderio virtutum. Hoc eſt vtiq; veriſſimũ ſignũ, vt quilibet agnoſcere poſſit apertè quando viſitatur à me, vel quando talis alacritas ab amore conſolationis propriæ procederet. Etiam viſitatio Diabolica cognoſcitur apertè, quia præbet aliquã alacritatem in aſpectu primo: et in fine tantam virtutem in ſe reperit, quantam priùs habebat, & alacritas iſta procedit ab amore propriæ conſolationis, quam optat: vt eſt ibi ſuprà dictum. Etiam volo te noſſe, quòd non omnes ab hac alacritate decipiuntur: niſi ſolummodo tales imperfecti, qui lætantur gaudendo talibus viſionibus, atque propriis conſolationibus, qui magis attendunt ad mea dona, quàm ad me donatorem. Sed illi qui purè ſine reſpectu pro-

propriæ conſolationis eorum attendunt ad affe-ctum meæ diuinæ charitatis,cum qua largior, ab hac alacritate nullatenus decipi valent. Et ideo ſubitò recurrunt ad iſtud veriſſimum ſignum,quando Diabolus vellet aliquando, cum fraude transformando ſe in angelum lucis,eos illaqueare ſiue decipere veniens ad mentis eorum cum alacritate iucunda. Ipſi verò qui minimè paſſionati ſunt ab amore propriæ conſolationis,illicò prudenter in mentibus eorum agnoſcunt Diabolicam fraudem. Nam alacritate citò prætereunte conſpiciunt ſe tenebris eſſe circundatos. Et ideo ſemetipſos humiliant cum vera notitia ſui, contemnendo quamcunq; conſolationem,amplectentes & aſtringentes meæ veritatis doctrinam. Dæmonium verò videndo ſe confuſum,vltrà nunquam vel rarò,ſaltem ſub illa forma redibit. Illi verò qui ſuas conſolationes appetunt: vt ibi dixi,ſæpè decipientur, niſi diligenter attendant ad huiuſmodi fraudem agnoſcendam, & vitandam eo modo,quo ſuperiùs eſt expreſſum: videlicet inueniendo talem alacritatem abſq; virtutis affectu: & ſi non percipiant poſteà ſe virtutis humilitate perunctos, & vera charitate ſuccenſos erga meum honorem, & animarum ſalutem, hoc egit mea bonitas inæſtimabilis,ſcilicet quòd ita prouidit circa vos imperfectos: atq; perfectis in quolibet gradu,ne decipi homines valeant,inquantum in ſe conſeruare voluerint lumen intellectus, à me gratiosè conceſſum cum pupilla ſanctiſſimæ fidei. Nec obumbrari ſe permittant ab aduerſante Dæmonio: nec ab amo-

ab amore proprio, quòd ſi ſponteperdere non vultis, nullus omnino à vobis poterit auferre.

QVOMODO DEO VALDE PLAcet ille, qui petit & pulſat cùm perſeuerantia, ad ianuam ſuæ veritatis.

CAPVT. CVII.

Satis apertè, chariſſima filia, tui oculum intellectus illuminaui, vt prudenter vitare valeas inimici generis humani fraudes, tuo deſiderio ſatisfaciendo, ſuper eo quod à me poſtulâſti: quia non contemno ſancta deſideria ſeruorum meorum, immo libenter accepto: & vos ad poſtulandum inuito. Et quod amplius eſt, amantiſſima filia, noueris, quia valde mihi diſplicet ille, qui non pulſat in veritate, iuxta portam ſapientiæ vnigeniti filij mei, ſequendo realiter ſaluberrimam doctrinam eius. Quam omnis qui ſequitur, vocem ſancti deſiderij pulſat iugiter orationibus humilibus, atque continuis, vociferans ad me patrem æternum. Ego verò ſum pater ille, qui vobis exhibeo panẽ gratiæ cœleſtis, mediante porta dulcis meæ veritatis. Aliquando tamen ad probanda veſtra deſideria, vnâ cum perſeuerantia, diſſimulo vos audire: tamen vos intelligo, & interim prouideo, prout expedire video ſaluti veſtræ. Inſuper exhibeo famem vobis, & vocem qua clametis ad me. Poſtea videndo conſtantiam veſtram, deſideria veſtra libenter adimpleo, quando ſunt ordinata, & in me directa. Ad ita petendum atque pulſandum, veritas incarnata vos

inui-

inuitabat in Euangelio, dicens: Quærite, et inuenietis: petite, & accipietis: pulſate & aperietur vobis. Et ita volo te facere, q nunquam vllo tempore deſiſtas à me ſubſidium ingenti deſiderio poſtulare, voce grandi mihi ſupplicando, vt mundo miſerabili miſericordiam faciam: neq; pulſare deſiſtas ad ianuam veritatis incarnatæ, ſequendo realiter veſtigia ſua. Delecteris inſuper in cruce, ſecum manducando cibum animarum, ad gloriam atq; laudem ſancti mei nominis, iugiter emittendo mugitum cum cordis anxietate, ſuper morte generis humani: quia vides ipſum ad tantam miſeriam adductum, quod lingua tua neſciret exprimere. Cum huiuſmodi mugitu, & clamore meorum amicorum diſpono mundo facere miſericordiam. Et hoc eſt, quod à te, necnon & ab aliis amicis meis, iugiter expeto, & hoc erit pro ſigno quòd in veritate me diligatis. Et ego promitto vobis veſtra ſancta deſideria, nullo modo contemnere.

QVALITER HÆC ANIMA DEO regratiatur: Deindeq; pro toto mundo facit orationem, & præcipuè pro ſuis in Chriſto filiis, & pro duobus patribus animæ ſuæ. Poſteà aliqua poſtulat.

CAPVT. CVIII.

Tunc anima pdicta tanq; ebria videbatur extra ſemetipſã, et alienatis ex toto ſenſib. corporalib. ex amoris vnione, quã in creatore ſuo fecerat, eleuata mente ſpeculando veritatẽ æternam, cũ oculo in-

lo intellectus veritate cognita, philocapta fuerat in ipſa, dicens: O ſumma & æterna Dei bonitas: quæ, ſiue qualis ego ſum, humilis atq; paupercula, cui tu pater æternus ita dignatus es tuā patefacere veritatē: & occultas Diabolicas fraudes, ac etiam proprij ſenſus vitabilem paſſionē, immo deceptionem qua ego pariter, et alij ſerui tui decipi poſſumus, in iſta miſerabili vita noſtræ peregrinationis, vt ambulemus cum cautela prudenti? Quis obſecro te mouit? Solus amor: quia me dilexiſti non amatus à me, imò priuſquam eſſem. O dilectionis ignis ineffabilis. Gratias, gratias ago tibi pater æterne. Quia ſum imperfecta circundata tenebris obſcuris. Tu verò perfectio ſumma, & lux inacceſſibilis oſtendiſti mihi perfectionem, & viam lucidiſſimam, doctrinam videlicet optabilem atq; ſalubrem vnigeniti filij tui. Ego iam obieram, & tu me reſuſcitâſti. Multo tempore iacueram infirma, tu verò mihi medicinam exhibuiſti. Nec ſolummodo medicinam pretioſi ſanguinis vnigeniti filij tui, quam vniuerſaliter humano generi tribuiſti: ſed in particulari mihi tradidiſti medicinam optabilem, contra quandam occultam ægritudinem quam etiam ignorabam, nec illam agnoſcebam, inſtruendo me, quòd nullatenus ego iudicare præſumam aliquā rationalem creaturā, et præcipuè ſeruos tuos, de quib. aliquādo velut excæcata & ægrotans, hac erā infirmitate corrupta: quia ſub colorata ſpecie tui honoris, atque ſalutis animarum ego temerè iudicabam. Et ideo tibi regratior affectuoſo corde, ſumma & æterna bonitas:

nitas: quia manifeſtando veritatē tuam, Diabolicas fraudeſ, atq; paſſionem propriam, tu mihi notificâſti meam ægritudinem. Vnde maieſtati tuæ ſupplico, vt miſericorditer atq; gratioſè mihi concedas, vt hodie finis imponatur, & terminus: vt ego nunquam egrediar à via ſaluberrimæ doctrinæ tuæ, quam mihi pariter & aliis omnibus, qui ſequi voluerint, eam ita gratioſè tribuiſti: quia ſine te nihil omnino fieri poteſt. Igitur ad te confugiendo recurro, pater æterne. Neq; pro me ſolo tibi ſupplico, ſed vniuerſaliter pro toto mundo, & præcipuè pro corpore myſtico ſanctæ matris Eccleſiæ: peto quòd iſta tua ſacra doctrina reluceat in ipſius Eecleſiæ ſanctæ miniſtris. Maximè verò ſingulariter, à te cum inſtantia poſtulo, pro cunctis illis quos mihi dediſti, vt amore præcipuo diligam, quos ex affectu ſingulari feciſti vnum eſſe mecum. Nam ad honorem & laudem tui ſancti nominis, mihi valde gratum & acceptabile refrigerium erit, eos ambulare videndo cum ſancto feruore, per viam huiuſmodi dulcem atq; directam. Opto namque, quòd ipſi per eam velociſſimè currant, mortui penitùs ad omnem voluntatem propriam, abſq; iudicio quocunq; temerario, ſine ſcandalo, ſine murmuratione contra proximum. Et amor, mi dulciſſime, ſupplico tibi, quòd nullus eorum ab infernali Dæmonio, de manib. meis auferatur: vt in vltimo die perueniant omnes ad te patrem æternum. Inſuper offero maieſtati tuæ petitionem aliam pro duab. columnis, videlicet pro duobus patribus, quos ad cuſtodiam atq; doctrinam, in

terra mihi tribuiſti à principio meæ conuerſationis, vſq; nunc, in ſubſidium, & ad roborandam infirmitatem meam, vt eos inſimul vnias, & in duobus corporibus vnā animam introducas: & neuter eorum attendat ad aliud quàm ad perficiendum in eis: & in myſterijs quæ ſuis in manibus hodie poſuiſti, gloriam & laudem tui ſancti nominis in ſalutem animarum. Et ego miſerabilis & indigna ſerua, vt filia, modos illos cum debita reuerentia teneam erga illos amore tui, qui cedant ad honorem tuum, pacem & quietem ipſorum, & ædificationem proximorum. Certiſſimè ſpero veritas æterna, quia non condemnes affectuoſum deſiderium meum: neq; petitiones quas obtuli maieſtati tuæ. Nam apertè vidi & agnoſco, prout voluiſti mihi patefacere, licet etiam experientia me docuerit, quia ſancta deſideria libenter acceptas. Ego autem indigna ſerua tua conabor iuxta poſſe, gratia tua fauente, doctrinam atq; præcepta tua cum diligentia ſeruare. O pater æterne, recordor vnius verbi tui, quando recitabas aliquid de miniſtris Eccleſiæ ſanctæ, quia promiſiſti alibi ꝙ latiùs enarrares de defectibus, quos hodierna die committunt. Ideo ſi placet implere promiſſum, audiam: vt augeatur in me materia doloris atq; compaſſionis, cum ſancto deſiderio in ſalutem ipſorum. Iam enim ſupra promiſiſti, quòd cum oratione cōtinua, lachrymis, doloribus, ſudoribus, atq; multa tolerantia ſeruorum tuorū, nobis exhiberes optabile refrigerum, in ſanctis & bonis paſtoribus, Eccleſiam virtuoſè reformando. Vt igitur hoc in me creſcat, ideo poſtulo.

QVO-

QVOMODO DEVS HANC ANImam ad orationem ſollicitat, reſpondendo ad aliquam ſupra dictarum petitionum.

CAPVT. CIX.

TVnc Deus æternus, miſericordiæ vertens oculum, huiuſmodi deſiderium vnâ cum illis petitionibus acceptabat: & vltimæ petitioni quam ei porrexerat, volendo ſatisfacere, dixit: O chariſſima filia, ſuper eo quod à me poſtulâſti, tuum deſiderium adimplebo, dum tamen ex parte tua non cõmittas ignorantiã ſiue negligentiam: quia multò grauiùs offenderes, & acriori repræhenſione digna fores poſteà quàm priùs: quia clarius, & amplius de mea veritate cognouiſti. Et ideo valde ſollicitè debes orationes effundere pro creaturis omnibus rationalibus, & pro corpore myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ, atq; pro illis, quos tibi tradidi, vt amore ſingulari diligas. Igitur abſq; negligentia iugiter orationem offeras in conſpectu meo, præbendo proximis in vita virtutis exemplum, atq; verbi doctrinam, arguendo vitia, & commendando virtutes indefeſsè. De columnis verò quas tibi gratioſè conceſsi, & de quibus mihi dixiſti, fac vt ſis eis vnum medium, tribuendo vtrique prout expedit, & ſecundum aptitudinem eorum, vt ego creator tuus inſtruxero te: quia ſine me nihil omnino potes facere, & ego tua deſideria ſalubriter adimplebo. Sed vide ne deficiatis tu & ipſi, fideliter in me ſperando: quia prouidentia mea nunquã deficiet vo-

bis. Et quilibet humili corde recipiat illud, quod eſt aptum ad recipiendum. Et vnuſquiſque miniſtret illud, quod ego tribui, & in futuro tribuam ad miniſtrandum, iuxta modulum ſuum prout à mea bonitate recepit & recipiet.

DE DIGNITATE SACERDOTVM, atque de Sacramento corporis Ieſu Chriſti: Et de his qui dignè vel indignè ſuſcipiunt vel communicant.

CAPVT. CX.

NVnc verò tibi reſpondere diſpono ſuper eo, quod à me poſtulâſti de miniſtris Eccleſiæ ſanctæ. Et vt veritatem apertiùs agnoſcere valeas, aperi oculum intellectus & ipſorum excellentiam attende diligenter: & in quanta dignitate ſunt à me conſtituti. Et quia contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt, volo tibi demonſtrare dignitatem eorum qui virtuosè theſaurum à me cõmiſſum in manibus eorum exercent. Et ex hoc apertiùs intelligere poteris miſeriam eorum, qui hodie paſcantur ſiue nutriuntur ad vbera ſponſæ meæ. Tunc vt obediret anima ſpeculabatur attentiùs in veritate, vbi videbat apertè relucere virtutes in veris guſtatoribus. Tunc ait animæ Deus æternus: Chariſſima filia, priùs tibi volo narrare dignitatem eorum in qua propter bonitatẽ meam eos collocaui, vltra generalẽ amorẽ quẽ habeo et oſtẽdi cæteris creaturis meis, creãdo vos omnes ad imaginem atq; ſimilitudinẽ meam. Et poſtea vos ad gratiam, in ſanguine dilectiſſimi filij mei

lij mei recreaui, vnde veniſtis ad tantam excellentiam ex vnione diuinitatis, facta per vnigenitum filium meum in humana natura: quòd in hoc exceditis angelos, quia veſtram humanam, & non angelicam vniuit ſibi naturam. Vnde, ſicut iam dixi, Deus factus eſt homo & homo factus eſt Deus ex vnione vtriuſque naturæ. Dignitas hæc & excellentia, generaliter eſt cōceſſa creaturis omnibus, quæ ſunt rationis capaces. Inter omnes autem elegi miniſtros meos pro ſalute veſtra, vt ab eis vobis quotidie ſanguis vnigeniti filij mei miniſtretur, qui verè eſt humilis & immaculatus agnus. Iſtis etiam, vt ita loquar, exhibui ſolem ad miniſtrandum, ipſis exhibendo ſcientiæ lumen atq; calorem meæ diuinæ charitatis: inſuper & calorem vnitiuum cum lumine pariter & calorem, videlicet vnigeniti filij mei verum corpus & ſanguinem. Quòd vtiq; corpus eſt veluti ſol. Et hæc vnio talis eſt atq; tanta, quòd ibi nulla ſegregatio poteſt habere locum, ſicuti ſol diuidi non poteſt, neque calor eius à luce, neq; lux à calore ex vnione ſuæ perfectionis. Iſte ſol à ſua rota non abſcedens, vniuerſum orbem illuminat, ac etiam omnes volentes ab eo calefieri, quantum eſt in ſe calefacit, nec ex alicuius immunditia ſol iſte fœdatur vel inquinari poteſt. Et eius lumen ſecum eſt iugiter vnitum, vti iam dixi. Sic hoc verbum, videlicet vnigenitus filius meus, verus eſt ſol, totus Deus, & totus homo, quia mecum eſt vnum, & ego ſecum. Potentia mea non eſt à ſua ſapientiâ ſeparata, neq; calor ignis ſancti Spiritus, eſt à me patre, nec ab ipſo filio meo ſegregatus, quia nobiſcum vnum eſt, quia

Spiritus ſanctus à me patre, & ab ipſo filio meo procedit, quia ſumus idem ipſe ſol. Ego ſum ille ſol Deus æternus, vnde procedit vnigenitus filius meus, atq; Spiritus ſanctus. Spiritui ſancto eſt ignis appropriatus: filio meo ſapientia, in qua ſapientia miniſtri mei gratiæ lumen hauriunt, quia miniſtrauerunt lumen hoc in lumine, & cum gratitudine beneficij recepti à me patre: ſequendo in veritate doctrinam iſtius veræ ſapientiæ filij mei: hoc eſt lumen illud, quod habet in ſe colorem veræ humanitatis, vnum equidem vnitur alteri. Vnde lumen diuinitatis meæ, fuit illud lumen vnitum cum colore humanitatis veſtræ, qui color effuſus eſt valde lucidus, quoniam fuit impaßibilis virtute naturæ diuinæ. Et hoc obiecto mediante huius incarnati verbi, conſperſi & inſerti cum lumine meæ Deitatis, & cum ignito calore ſancti, ſcilicet habuiſtis in veritate lumen. Cui lumen iſtud adminiſtrandum exhibui? Miniſtris meis in corpore myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ: vt vitam habeatis, ab eis accipiendo venerabile Sacramẽtum corporis eius in cibũ, & ſanguinem eius in potum. Dixi tibi, quòd huiuſmodi corpus eſt veluti ſol: vnde non poteſt vobis exhiberi corpus abſq; ſãguine: neq; corpus atq; ſanguis abſq; anima filij mei: neq; corpus & anima ſine diuinitate: quoniam vnum ab altero ſeparari nón valet. Prout alibi dixi tibi, quòd natura diuina nunquam ſeparata fuit ab humana natura, nec in morte, nec in alio caſu: neq; ſeparari poteſt. Itaq; totam diuinam eſſentiam, in hoc venerabili Sacramento recipitis, ſub albedine panis illius. Et ſicut non poteſt diuidi ſol, ita diuidi non valet in hac albedine panis,

ne panis, vel hoſtiæ totus Deus, atque totus homo: quãuis in mille diuideretur particulas hoſtia, ſi poſsibile foret, ſub qualibet particula totus Deus, & totus homo contineretur, vt iam dixi. Accidit enim ſicut in ſpeculo, quod quanuis in ſe diuidatur, ibi tamen imago repræſentata non diuiditur: ſic hanc hoſtiam diuidendo, non tamen diuiditur totus Deus, & totus homo: ſed in qualibet particula continetur ex integro: nec in ſemetipſo minuitur: vt apparet in hoc ſequenti exemplo. Si tu haberes vnicum lumen, & orbis vniuerſus accederet pro iſto lumine, participando ſingulis de tali lumine, in ſe tamen huiuſmodi lumen in aliquo non minuitur, & omnibus videtur habere totum: veruntamen aliqui plus & aliqui minus ex iſto lumine participant, iuxta materiæ quantitatem, quam ille qui debet recipere portat: nam in tali quantitate recipit ignem. Et vt apertiùs intelligas exemplũ hoc, attende. Si plurimi portarent candelas ad accendendum, & vna ponderis eſſet vnius vnciæ, alia duarũ ſiue ſex, vel vnius libræ: et quãuis omnibus accenſis, in qualibet parua & magna totũ lumen accipias, videlicet calorem, colorem, & ipſum lumen: iudicabis tamen quòd minus de lumine recipiat ille qui candelam paruam accendit, quàm ille qui maiorem. Igitur ita contingit in hoc venerabili Sacramento. de his qui recipiunt illud et eorum candelas afferunt, videlicet ſanctũ deſiderium, cum quo recipiunt ipſum venerabile Sacramentum. Quæ candelæ ſunt in ſemetipſis extinctæ: ſed accendũtur in perceptiõe pretioſi Sacramẽti huius. Extinctas eſſe dixi, quia per uos ipſos omnino nihil eſtis, neq; valetis: veruntamen ego vobis exhibui mate-

riam cum qua nutrire poſsitis in vobis huiuſmodi lumen. Materia namq; veſtra eſt amor, quoniam ex amore creaui vos: ideo neque viuere poteſtis abſq; amore. Hoc eſſe vobis ex amore traditum, habuit in ſacro Baptiſmo diſpoſitionem, quem accepiſtis in virtute ſanguinis vnigeniti filij mei. Nam aliás participare nullo modo poſſetis ex hoc vero lumine, ſed eſſetis ſicut candela ſine licinio interiori, quæ ſuccendi non poteſt, neq; lumen in ſe recipere valet: nam hoc licinium in quo recipitur lumē huiuſmodi, hoc eſt, fidem ſanctam coniunctam cum gratia, quam in Baptiſmo recipitis cum affectu animæ veſtræ à me creatæ, quæ apta eſt ad amādum, in tātum quod abſq; amore viuere nequit, immo cibus eius eſt amor, vt iam dixi. Sed vbi ſuccenditur hæc anima taliter vnita? Procul dubio ſuccenditur ad ignem meæ diuinæ charitatis, cum ſancto timore pariter & amore mei, ſequendo veritatis incarnatæ doctrinam. Tamen accenditur ampliùs vel minùs, prout affert anima, & exhibet huic igni materiam, quia licet habeatis omnes eandem materiam, quia videlicet omnes à me creati fuiſtis ad imaginem atque ſimilitudinem meam, & vos Chriſtiani, lumen habeatis in ſancto Baptiſmo, tamen vnuſquiſque creſcere poteſt in amore atq; virtute, mediante gratia mea, prout eſt de beneplacito veſtro. Non quòd immutetis aliam formam, quam à me recepiſtis, immo creſcitis & augmentatis in amore virtutes vtentes in virtute, & affectu charitatis arbitrio libero, dum tempus eſt vobis à me gratiosè conceſſum: quia trāſacto tempore facere non poteſtis. Itaq; poteſtis in

amore

amore creſcere, ſicut iam dixi tibi. Et cum hoc amore venire debetis ad recipiendum hoc venerabile Sacramentum, lumen vtiq; dulciſsimum atq; glorioſum, quod vobis exhibui miniſtrandum ab electis huiuſmodi miniſtris meis, exhibendum vobis in cibum. Atq; tantum accipitis ex iſto lumine, quantum de materia ſyncerę dilectionis & amoris, & igniti deſiderij portatis, quamuis totum in veritate recipiatis: vt iam tibi dixi, ponens exemplum eorum qui candelas afferebant, qui ſecundum quantitatem ponderis candelarum, ita lumen accipiebant, quamuis in quolibet videatur eſſe totum, integrū, & non diuiſum, quia diuidi non poteſt ex imperfectione veſtra quacunq;, nec etiam ex imperfectione miniſtrorum. Tantum ergo percipitis ex iſto lumine, videlicet de gratia quam in iſto venerando Sacramento recipitis, quantum vos cum ſancto deſiderio diſponitis ad recipiendum. Si quis verò cum culpa peccati mortalis accederet ad hoc venerabile Sacramentum, ab eo non habet aliquam in ſe gratiam, quamuis actualiter in veritate recipiat ex integro Deum & hominem, vt iam dixi. Sed, amantiſsima filia, nôſti qualiter eſt animę, quę tantum Sacramentum & tale indigne recipit. Quia ſtat velut vna candela quę fit aqua madefacta, quę ſi taliter ignē accipit, illicò ſtridet & extinguitur indilatè, ſolummodo fumo remanente. Sic hęc anima ſemetipſam affert candelam, quam in ſancto Baptiſmo recipit, poſtmodum autem aſperſit illam aqua culpę, quę fuit aqua directè, quę madefecit licinium in quo ſtabat lumen gratię Baptiſmalis: exinde verò non calefacta, iuxta verę con-

tritionis ignem,neq; culpam eius cum humilitate confitendo,acceſſit ad menſam altaris ad recipiendum huiuſmodi lumen actualiter, ſed non mentaliter. Et quia talis anima fuit indiſpoſita ad accipiēdum tale Sacramentum,in ea gratia non remanſit: quia propter aquam culpæ fuit extinctum in ea lumen gratiæ. Tunc autem ipſa remanſit in tenebroſa confuſione,cum maiori grauedine culpæ. Atq; de tàm excellentiſſimo Sacramento,non percipit neq; perſenſit: niſi conſcientiæ ſtridorem ipſam remordentem,non ex defectu luminis, quia recipere non valet aliquam in ſe læſionem, ſed ex aquæ defectu, quam in anima reperit: quæ quidem aqua impediuit affectum animæ. Vnde recipere non valuit illud admirabile lumen. Itaq; vides, quòd nullo modo lumen illud, vnito ſibi calore pariter & colore, diuidi poteſt, nec ex paruo deſiderio, quod anima gerat recipiendo Sacramentum iſtud, nec ex defectu, qui eſſet in anima quæ recipit, nec ex defectu eius, qui miniſtrat. Vt ergo dixi tibi de ſole, qui licet per immunda loca tranſeat, ipſe tamen nullatenus inquinatur neq; ſordeſcit: Ita lumen hoc amœnum in iſto venerabili Sacramento, nullatenus inquinari poteſt: neq; diuiditur, neq; minuitur in ſemetipſo,nec à ſua rota ſeparatur: licet vniuerſus orbis de ſuo luminoſo calore communicet. Ita minimè ſeparatur hoc verbum, videlicet vnigenitus filius meus, à me vero ſole, qui ſum pater æternus: quamuis in corpore myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ miniſtretur, omnibus volentibus illud accipere: immo totus in me remanet,atq; totum accipitis, & habetis Deum, videlicet & hominem: vt exemplum ego tibi dedi de lumine,quia

ſi omnes

ſi omnes homines mundi ſuas candelas ibi accenderent, in ſe remaneret ex integro, & omnes totum haberent.

QVALITER OMNES CORPOREI ſenſus in iſto Sacramento decepti ſunt: ſed non animæ ſenſus, & cum illo debet videri, guſtari, & tangi. Et de viſione quadam pulchra.

CAPVT. CXI.

O Chariſsima filia, nunc aperi diligenter oculum intellectus, ad conſiderandum affectuoſæ meæ charitatis abyſſū: quia verè cor vniuſcuiuſcūq; creaturæ ratiōalis, ex amore ſolui deberet, attendēdo præſertim inter alia, beneficia mea, gratiosè vobis exhibita, beneficium huius venerabilis & eximij Sacramenti. Sed, amātiſsima filia, conſiderare debes, quòd huiuſmodi ineffabile Sacramentum debet videri & attractari, non ſolummōdo tactu & viſu corporali, quia corporei ſenſus penitùs in eo deficiunt: Nam albedinem illius panis tantummodo videt oculus; manus nihil aliud palpat; guſtus quoque ſaporem panis inde percipit. Igitur animæ ſenſibus qui decipi non valent, videri et attractari debet: niſi forſitan ipſa ſibimet vellet auferre lumen ſanctiſsimæ fidei cum infidelitate damnabili. Soli ergo ſenſus animæ guſtant, vident, & palpant hóc admirabile Sacramentum: Sed quo videt oculo? oculo intellectus, in quantum intùs habeat pupillam ſanctiſsimæ fidei: hic oculis videt, & attendit ſub albedine tali, verum Deum, & verum hominem, naturam

turam humanam vnitam cum natura diuina: Corpus, animam, atq; ſanguinem Ieſu Chriſti, animam vnitam illi glorioſo corpori, atq; corpus & animā vnitam naturæ meæ diuinæ, tandem à me ſe nullatenus euellendo, ſiue diuidendo: hoc verò ſi benè recolis, in exordio quaſi vitæ tuæ manifeſtè tibi patefeci: & non tantùm oculo intellectus, ſed etiam oculo corporali tuo vidiſti, quamuis ex exceſſu luminis oculus tui corporis illicò defecerit in viſu, & in oculo mentali viſio ſola remanſerit. Oſtendi quippe tibi, pro declaratione tuæ mentis, ad te roborãdum contra bellum quod à Dæmonio receperas in ipſo venerabili Sacramento: & vt in amore creſceres, & in lumine ſanctiſsimæ fidei. Tu nôſti quod cum ad Ecclecleſiam in aurora pergeres, vt miſſam audires, ex quo fueras à Dæmonio moleſtata: tu ſtetiſti ſecùs altare crucifixi: Sacerdos autem aduenerat ad altare Mariæ. Igitur te ibi manente, tuos conſiderando defectus: quia dubitabas offendiſſe, me propter bellum, quo te Diabolus impugnauerat, & attendendo meæ charitatis affectū, quia te dignam feceram audire miſſam, cum te ipſam exiſtimares indignam, vel etiam Eccleſiam meam ingredi. Quoniam Sacerdos verba ſacramentalia protulit in altum, ſupra miniſtrum oculum attollēs vidiſti, me demõſtrante lumen vnum lucidiſsimum, veluti radium ſolis, à pectore meo procedens, prout radius à rota ſolis egreditur, & tamen ab ipſa rota minimè ſeparatur. In quo, & cum quo lumine deſcendebat vna columba ſuper hoſtia pariter & calice, permanendo virtute verborum conſecrationis à miniſtro prolatorum: vnde tuus oculus

corporeus

corporeus omnino defecit, exceſſum huiuſmodi luminis nullo modo ſuſtinere valens. Ideo viſio remanſit ſolùm in oculo mentis & intellectus. Ibiq; guſtâſti & vidiſti Trinitatis abyſſum: & verum Deum & hominem abſconditum, & velatum ſub albedine illa. Neq; lumen, neq; præſentia verbi, quam in eâdem albedine vidiſti intellectualiter, auferebat illam albedinem. Vnum aliud nõ impediebat, quia videlicet videre Deũ & hominem, non impediebat illã panis formam, ita quòd non haberet albedinẽ atq; ſaporem. Iſta tibi patefacta fuerunt à bonitate mea. Tunc apertè cognouiſti, quòd huiuſmodi viſio in oculo intellectus tui remanſit. Itaq; ſicut iam dixi, hoc admirabile Sacramentum videri debet, & attendi principaliter cum oculo intellectus, & cum pupilla ſanctiſſimæ fidei, quia decipi non poteſt. Manus quoq; dilectiõis affectuoſæ illud attractare debet, & id quod oculus ille vidit, & agnouit in ipſo Sacramento, fide tangit manu dilectionis ſe quaſi certificans de eo, quod per fidem vidit & intellectualiter agnouit. Guſtus verò ſancti deſiderij, auiditate multa guſtare debet illud. Guſtus ipſe corporis, guſtat ſaporem panis, deſiderium verò ſanctum, videlicet animæ guſtus, Deum & hominem in veritate guſtat. Vides ergo ſenſus corporales eſſe fraudatos, non autem animæ ſenſus, immo clarificatur, & in ſemetipſa certificatur: quia clarè vidit oculo intellectus, & pupilla luminis fidei ſalutaris. Et quia vidit & agnouit, ideo tangit amoris manu fideli, & cum animæ guſtu, & ignito deſiderio attendit, atque guſtat ineffabilem et igniferam charitatem meam, cum qua

cam

eam feci dignam, ita gratioſè recipere tantum inæſtimabile Sacramentum, atque gratiam, quam in ipſo Sacramento ſe recipere percipit. Itaq; nunc apertè cognoſcere potes, quia debetis non ſolummodo ſenſu corporali, recipere pariter & videre Sacramentum iſtud, immo cum ſenſu ſpirituali, diſponendo ſenſum animæ affectuoſa mẽte ad guſtandum, recipiendum, & videndum ipſum venerabile Sacramentum.

DE EXCELLENTIA SVMENTIS, in ſtatu gratiæ, Sacramentum hoc admirabile.

CAPVT. CXII.

Attende, filia chariſſima, in quanta conſiſtit excellentia quilibet homo, congruè recipiẽs hoc pretioſum, & admirabile Sacramentum. Eſt enim panis vitæ cibus angelorum: in me namq; manet, & ego in eo, veluti piſcis conſiſtit in mari, & ecõuerſo, mare cõſiſtit in piſce. Sic ego ſto iugiter in anima, & anima conſiſtit in me mari pacifico. In anima tali gratia remanet, quia recipit huiuſmodi panem vitæ, perſiſtens in gratia. Ideo panis illius accidenter conſumptus, remanet ibi gratia mea. Similitudinariè loquendo, contigit, vt in ſigillo, quando ſuper cera benè diſpoſita ponitur, quo ſublato remanet effigies eius in cera: ſic in anima benè diſpoſita remanet effigies gratiæ meæ, virtute iſtius venerandi Sacramenti: quia videlicet remanet in ea, calor ignitæ charitatis meæ, quæ ſancti Spiritus eſt. Ibi quoq; manet

manet, vnigeniti filij mei ſapientia, intellectus oculo clariùs illuminato, in ipſa verbi mei ſapientia, vt videat atq; cognoſcat ipſius veritatis meæ doctrinam. Hæc ergo ſapientia in magna fortitudine remanet, participando fortitudinem potentiæ meæ, quæ fortificat animam contra mundum, & aduerſarium, atque propriam paſſionem ſenſitiuam. Itaq; vides quòd in anima remanet effigies, inde ſublato ſigillo: quia videlicet conſumptis accidētibus illius hoſtiæ, verus iſte ſol in ſua rota reuertitur atque conſiſtit. Non quia diuiſus, vel ab ea ſegregatus eſſet: eſt enim mecum ſemper vnum, & ego ſecum: ſed abyſſus meæ paternæ charitatis, vobis exhibuit iſtum angelicum cibum in vita præſenti, vbi viatores eſtis atque peregrini, vt habeatis inde refrigerium, & non amittatis huiuſmodi pretioſi ſanguinis vnigeniti filij mei memoriam ſalutiferam. Vt ergo veſtris indigentijs diuina prouidentia mea ſubueniret, veritas incarnata ſe vobis ordinauit in cibum. Igitur attende diligenter, quantum obligamini diligere me, quia tàm exceſſiuè vos diligo, & quia ſum æterna bonitas, & omni reſpectu dignus, à vobis affectuosè diligi.

QVOMODO DEVS REQVIRAT à Sacerdotibus, in tanta dignitate conſtitutis maiorem puritatem, quàm in alijs creaturis.

CAPVT.

CAPVT. CXIII.

HÆc omnia dixi tibi, chariſsima filia, vt ampliùs agnoſcas, in quanta dignitate miniſtros meos ordinauerim: et vt ampliùs ex corde percipias amaritudinem atq; dolorem, ſuper miſerias eorum. Si diligenter ipſimet attenderent ipſam dignitatem ſuam, non iacerent in tenebris mortalium peccatorum: nec inquinarent ita facies animarum ſuarum. Et non ſolummodo vitarent offendere me, ſed tradendo corpus proprium ad comburendum igni, non videretur eis in aliquo ſatisfeciſſe mihi pro tàm glorioſo beneficio. Nam in vita præſenti non poſſunt ad maiorem dignitatem aſcendere. Ipſos appello Chriſtos meos: quoniam vncti mei ſunt. Et hunc angelicum panem vobis exhibendum eis committere decreui. Et eos veluti flores odoriferos in corpore ſanctæ Matris Eccleſiæ collocaui: dignitatem iſtam procul dubio nō habet angelus, quam hominibus ita gratiosè conceſsi, videlicet illis quos ad huiuſmodi miniſterium meum elegi: quos velut angelos terreſtres eſſe volo in vita præſenti. In qualibet anima puritatem atq; charitatem exquiro, videlicet vt affectuosè me diligat pariter & proximum eius, & quod ei iuxta poſſe ſubueniat in oratione ſancta ſimul, & ſubſidio temporali, ſecum charitatiuè viuendo. Multò tamen ampliùs à miniſtris huiuſmodi meis exigo puritatem interiorem & exteriorem, & amorem ad me ſimiliter & ad proximum ſuum, miniſtrando corpus & ſanguinem vnigeniti filij mei, cum igne charitatis, atq; fame ſalutis animarum, ad laudem

laudem & gloriam mei nominis. Sicut enim iſti miniſtri requirunt, & volunt habere puritatem atque mundiciam in calice, vbi ſit hoc venerabile Sacramentum ſiue ſacrificium, ita requiro puritatem & animæ mundiciam in eis. Et corpus eorum, velut inſtrumentum animæ, volo quòd in puritate ſeruetur. Neq; volo quòd ſe nutriant, & inuoluant in luto fætentis immundiciæ: neq; ſint elati per ſuperbiam, exquirentes excelſas prælationes: neq; crudeles exiſtant in ſe pariter & in proximo: quia crudelitate ſua minimè poſſent vti ſine detrimento proximi: quia ſi ſunt ſibimetipſis ex culpa crudeles, etiam proximorum animabus procul dubio crudeles exiſtunt, pro eo, quod non exhibent eis exemplum vitæ, neq; curant eorum animas extrahere de manibus inimicorum: nec eis vnigeniti mei ſanguinem & alia Sacramenta, ſicut obligantur adminiſtrant. Itaq; quando crudeles exiſtunt in ſemetipſis, etiam in proximo crudeles eſſe probantur.

QVOMODO SACRAMENTA NVLlo modo debent emi ſiue vendi: Et illi qui recipiunt ea, debent huiuſmodi temporalibus voluntariè ſubuenire miniſtris.

CAPVT. CXIIII.

IGitur volo miniſtros meos eſſe liberales, & non auaros: videlicet ne propter auaritiã, & cupiditatẽ vendant alicui Spiritus ſancti gratiã. Nullo modo volo ꝙ ita faciãt: immo ſicuti gratis, et cũ magna libe

 rali-

ralitate recipitur à bonitate mea, ita gratis & liberò corde ſyncera dilectionis affectu circa meum honorem, atq; animarum ſalutem, donare debēt omni rationali creaturæ humiliter expoſcenti, nec aliquid de precio ſumere debēt. Ipſi nanq; nō emerunt illa immo gratioſè receperunt, vt adminiſtrarent vobis. Benè tamen eleemoſynaliter accipere poſſunt: Vnde ſubditus huiuſmodi Sacramenta recipiens, iuxta poſſe miniſtris ex parte ſua ſubuenire debet. Congruum eſt enim, vt ipſi paſcantur à ſubditis in temporalibus: ſubditi verò paſci debent à miniſtris meis in gratia mea, & in ſpiritualibus donis, miniſtrando ſacra Sacramenta, quæ ſunt à me in Eccleſia ſancta collocata, vt in ſalutem veſtram ordinato tempore exhibeant. Et vos ignorare nolo, quòd abſq; comparatione quacunque, valde plus ipſi conferunt vobis quàm vos eis: quia nulla comparatio dari poteſt à rebus finitis atq; trāſitoriis, ex quibus aliquando vos eis ſubuenitis, ad me Deum æternum qui ſum bonum infinitum. Qui prouidentia mea & affectuoſa charitate parterna illos ordinaui, vt ea vobis miniſtrent. Neq; ſolummodo p tanto Sacramentali miniſterio vobis ab eis exhibito, ſed à quacunq; creatura gratia ſpiritualis aliquam vobis adminiſtretur, vel per orationem, vel alio modo: vos cum omnibus temporalibus veſtris bonis attingere non valetis ad ſatisfaciendū pro his, quæ ſpiritualiter vobis exhibentur, abſq; comparatione. Noueris tamen, q ſubſtantiā quā a vobis accipiunt, ipſi debent in tres diuidere partes, vnam pro ſuo victu

con-

conſeruent, aliam pauperibus diſtribuant, partem verò tertiam pro reparatione Eccleſiæ: vel aliis neceſſariis exponant: & ſi aliter expenderent inutiliter, offenderent ſine dubio.

DE DIGNITATE SACERDOTVM: Et quia Sacramentorum virtus ex defectu Miniſtrantium ſiue Recipientium nullo modo minuitur. Et quia non debent à ſecularibus corrigi.

CAPVT. CXV.

VT tibi ſupra dictum eſt, hoc agebant virtuosè viuẽdo dulces atq; glorioſi miniſtri mei, de quibus tibi dixi, quod ipſorum attenderes excellentiã vltra dignitatem quam eis exhibueram, faciendo eos Chriſtos meos. Nam exercendo virtuosè dignitatẽ iſtam, veſtiti ſunt iſto dulci atq; glorioſo ſole, quem illis exhibui miniſtrandum. Aſpice dulcem Gregorium, Syluestrum, & alios Anteceſſores qui ſubſecuti ſunt poſt principalem pontificem Petrum, cui traditæ fuerunt claues regni cœlorum, à veritate mea pro vobis incarnata, quæ dixit ei: Tibi dabo claues regni cœlorum: Et quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutũ & in cœlis, &c. Attende, filia dilectiſſima, quia me tibi pandente virtutum excellentiam iſtorum, tibi plenius oſtendã in quanta dignitate collocaui prædictos miniſtros meos: Iſta quidẽ eſt clauis ꝑtioſi ſanguinis vnigeniti filij mei, qua claui fuit apta vobis ianua

paradiſi, quæ longo tempore clauſa permãſerat ex culpa primi veſtri parentis Adæ. Sed ex quo verbum incarnatum humano generi donaui, pro redemptione veſtra ſacratiſſima morte ſua ſaluberrimè mortẽ veſtram occidit, atq; deſtruxit de pretioſo ſanguine ſuo, vobis abundantiſſimè faciendo balneum. Itaq; per effuſum ſanguinem, paſſionem, & mortem eius in virtute naturæ meæ diuinæ, quæ fuit vnita cum humanitate veſtra, cœlum humano generi fuit apertũ. Clauem autem huius pretioſi ſanguinis Apoſtolo Petro dereliquit atq; commiſit, cæteriſq; ſucceſſoribus eius præteritis: & qui ſuccedent in futurum, vſq; ad vltimum iudicij diem, habent & habebunt eandem auctoritatem, quæ Petro data fuit. Nec ex aliquo defectu commiſſo per eos, hæc auctoritas vllo modo minuitur, neq; perfectio ſanguinis aufertur vel alicui Sacramento: quia iam tibi dixi, quòd hoc venerabile Sacramentum veluti ſol ex aliqua immunditia cuiuſcunq; rei nullatenus iniquinari poteſt: neque lux eius amittitur ſiue minuitur, ex quibuſcunq; tenebris mortalium peccatorum, quæ forent in eo qui miniſtrat, vel in eo qui recipit. Nam culpa illorum Eccleſiæ ſanctæ Sacramentis omnino nullam poteſt facere læſionem, neq; virtutem illorum in aliquo minuere. Sed in eo qui miniſtrat irreuerenter, vel indignè accipit, abſq; dubio gratia minuitur, & augetur in hoc actu culpa. Itaq; vicarius meus in terra, videlicet Papa habet huius pretioſi ſanguinis claues. Et ſi benè recolis, hæc ego tibi patefeci ſub iſta figura, volendo tibi demon-

mon-

monſtrare, quantã reuerentiã volo ſeculares habere miniſtris meis, ſiue ſint boni ſiue mali: & quantã habeo diſplicentiã videndo contrariũ. Noſti quòd tibi monſtraui corpus Eccleſiæ myſticum, in forma quaſi cuiuſdam cellarij, vbi ſanguis vnigeniti filij mei conſeruabatur, cuius virtute Sacramenta cuncta valẽt, & habent vitam. Ad ianuam verò cellarij ſtabat Papa vicarius meus, cui cõmiſſum erat huiuſmodi ſanguinẽ miniſtrare. Ad ipſum etiam pertinebat eligere miniſtrantes alios, qui iuuarent eum adminiſtrare in vniuerſali corpore religionis Chriſtianæ. Sed ille ſolus quem acceptabat & vngebat, miniſter verus erat, alius verò non. Ad ipſum procedit vniuerſus ordo clericatus, hos eligit & ponit ad miniſtrandum ſanguinem iuſtum, vnumquemq; per officia ſibi congrua. Et vt ipſe poſuit eos in Eccleſia ſancta ſicut adiutores, ita pertinet ad eum ſolum ipſos corrigere de ſuis defectibus: & ita volo penitùs obſeruari. Nam ex excellentia & auctoritate, quam eis conceſſi, eos extraxi & exemi totaliter à qualicunq; ſeruili iuriſdictione, ſiue ſubiectione temperalium Dominorum. Lex ergo ciuilis de nihilo ſe cũ illis intromittere debet in aliqua punitione. Sed ſolus ille, qui habet iuriſdictionem in lege canonica & diuina. Iſti ſunt vncti mei. Et ideo monui, dicente Scriptura: Nolite tangere Chriſtos meos: vnde magnam procul dubio ruinam incurrit ille, qui temerè præſumit eos aliquo modo punire.

QVOMODO PERSECVTIONEM factã Eccleſiæ ſiue miniſtris, Deus imputat ſibi factã; Et quod eſt grauiſsima culpa.

CAPVT. CXVI.

SI tu peteres à me, quare tibi monſtraui, quòd culpa illorum qui ſanctam Eccleſiam atq; miniſtros eius perſequebantur, grauior erat aliis culpis eorum: & etiam quare volebam, non obſtantibus eorum quibuſcunq; defectibus, quòd reuerentia circa illos in nullo minueretur vnquam, ego reſpondebo tibi. Quoniam quæcunq; reuerentia fit eis, non eis, immo mihi fit, ex virtute ſanguinis vnigeniti filij mei, quem eis ego commiſi miniſtrandum: vnde ſi non eſſet ille reſpectus, vos haberetis ipſis miniſtris meis tantam reuerentiam, quantam aliis hominibus vitæ præſentis, & non vltra. Quare propter huiuſmodi miniſterium, eſtis compulſi reuerentiam eis exhibere. Poſtea verò vos oportet ad eorum manus incidere et accedere. Non quidem ad eos propter ſemetipſos, immo virtute Sacramentorum; quæ commiſſa ſunt eis, à quib. illa recipere debetis: Quæ ſi poſſetis habere, & illa recuſaretis, eſſetis in ſtatu damnationis, in tali ſtatu moriendo. Itaq; reuerentia talis eſt omnino mea: & huius pretioſi ſanguinis vnigeniti filij mei, qui mecum vnum eſt, & ego ſecum, ex vnione naturæ diuinæ cum humana natura, & non illorum. Et ſicut iſta reuerentia mea eſt, ita reputo meam irreuerentiam eis exhibitam. Quare tibi iam dixi, quòd eis non obligamini facere reuerentiam huiuſmodi, ſuo principaliter reſpectu, ſed auctoritatis intuitu, quam ego eis commiſi. Et ita nullus eos offendere debet, quoniam offendendo illos reputo talẽ offenſionẽ eſſe meã,

&

& non eorum. Iam.n.expreſſè prohibui, dicens: Chriſtos meos à manibus eorum nullatenus eſſe tangendos. & nullus excuſari poteſt dicendo: Ego non facio iniuriam, nec Eccleſiæ ſanctæ facio rebellionem, ſed cōtra defectus iniquorum paſtorum. Iſte mentitur in caput ſuum, & velut excæcatus ab amore proprio, nō videt, quamuis in veritate benè videat, ſed videre diſſimulat, vt conſcientiæ ſtimulum aliquo modo cooperiat. Ipſe tamen videt & intelligit, quod ſanguinem vnigeniti filij mei perſequitur, & non illos. Mea quidem eſt hæc iniuria, ſicut erat illa reuerentia mea. Et ita reputo meum, omne damnum eis illatum: & contra me factas omnes contumelias, vel deriſiones, & opprobria, & vituperia quæ fiunt illis: quia Chriſtos meos nullo modo contingere, ſiue punire debent. Ego nanq; illos habeo punire, non ipſi ſeculares. Sed illi velut iniqui demonſtrant irreuerentiam, quam circa ſanguinem habent. Et quia vilipendunt hunc excellentiſſimum theſaurum, eis à me traditum in ſalutem animarum ſuarum, & vitam. Nam vltra recipere non valebant, quàm habere verum Deum & hominem in cibum, vt ſupra iam dixi tibi. Sed quia reuerentia mihi non fiebat ab ipſis miniſtris, ideo circa eos eſt imminuta reuerentia conſueta, ſuſtinendo perſecutiones ab illis, qui conſiderant in eis multa peccata: prout alibi tibi magis apertè narrabo. Sed tamen in veritate, ſi reuerentiam in eis iſtam habuiſſent intuitu mei, non in-

 ſur-

ſurrexiſſent: ita contra eos ex quocunq; defectu perpetrato per illos, quia ſanguinis huius dignitas in nullo minui poteſt: vnde neq; reuerentia minui debet: & quando minuitur, offendor ego. Ideo multiplici reſpectu talis culpa mihi diſplicet amplius, quàm alia culpa ſua, ſuper quo præcipuè tres cauſas in præſenti dicam. Prima quidem, quoniam ea quæ miniſtris meis aguntur, vt iam dixi, contra me directè reputo facta. Secunda, quia præceptum meum tranſgrediendo vilipendunt. Nam eis expreſſe prohibui, ne tangant eos aliqua moleſtia: vnde ſanguinis virtutem apertè contemnunt, quam à ſacro Baptiſmo traxerunt. Sunt igitur inobedientes ea quæ ſunt inhibita faciendo: & ſunt ipſi pretioſo ſanguini rebelles, ꝓpter ipſorum irreuerentiam: immo cum magna perſecutione moleſtantur, & veluti putrida membra ſunt à corpore ſanctæ Matris Eccleſiæ præciſa. Et ſi taliter obſtinati perſeuerant in huiuſmodi rebellione ac irreuerentia, morte ſuperueniente, procul dubio barathrum æternæ damnationis incurrunt. Tamen ad extrema perueniendo, ſi ſe realiter humiliauerint, ex corde culpam ſuam agnoſcendo, & ex affectuoſo deſiderio capiti ſuo reconſiliari voluerint, quanuis actualiter implere non valuerint, ad miſericordiam eos acceptabo. Conſulo tamē, ne tale tempus exſpectare velint, quia ſecuri minimè ſunt, vt illud habere poſſint. Tertia quoq; cauſa, propter quam iſta eſt grauior culpa aliis, quia peccatum eſt ex affectata malitia perpetratum; agnoſcentes.n. iſta nullo modo facere

debe-

debere, neq; poſſe cũ bona conſcientia, deliberatione prauiá volunt offendere. Quæ quidẽ offenſa procedit à quadam odibili & peruerſa ſuperbia, ſine vlla corporali delectatione, immo corpus vnâ cũ anima cõſumitur. Anima conſumitur, quia gratia priuatur, & ſæpè conſcientiæ vermis eos intùs exurit. Et ſubſtantia tẽporalis in obſequiũ Diaboli diſſipatur: vnde corpora poſt hæc velut animalia moriuntur. Itaq; tale peccatum directè contra me militat & oppugnat. Et abſq; colore delectationis, vel vtilitatis, immo ſolũmodo cum affectata malitia, & horribili ſummo ſuperbiæ, quæ ſuperbia procedit abſq; ſenſibili delectatione, & amore: ſed ab illo timore deteſtabili & peruerſo, quem ille Pilatus habuit, qui timore perdendi temporale dominium, vnigenitum meum interemit. Ita fecerunt atq; faciunt iſti. Multa peccata committuntur ignorantia ſiue ſimplicitate, nõ intelligẽdo, vel cognoſcendo. Aliud verò cõmittitur ex deliberata malitia: quia cognoſcũt aliqui apertè malũ quod ipſi faciunt, et ex inordinata cõcupiſcentia, et volũtate quã habent in peccato: vel ex aliqua vtilitate miſera quã putant, vel iudicant, in eo reperire, grauiter offendũt. Et ſic offendunt atq; damnificant animam ſuam, atq; pariter et proximum eius: me quidem offendunt, quia non exhibẽt gloriã atq; laudem nomini ſancto meo. Proximum verò, quia ſibi nõ exhibent charitatis debitum. Me tamen actualiter in hoc actu minimè percutit iſte, quia videlicet mihi directè faciat offenſam, immo ſemetipſum offendit, quæ quidem offenſio mihi diſplicet propter eius detrimentum. Horum autem

offenſio fit abſq; medio, directè mihi ſoli. Cætera peccata colorem aliquem habent, & cum aliquo medio perpetrantur: vt aliâs ego tibi dixi, quòd omne peccatum, & omnis virtus, fiebat proximo mediante. Peccatum enim fit ex priuatione charitatis Dei & proximi, victus verò cum amore charitatis. Offendentes proximum, me nimirum offendunt ipſo mediante. Sed quoniam inter omnes homines hos miniſtros meos elegi, qui ſunt uncti mei, miniſtratores ſanguinis vnigeniti filij mei, carni veſtræ vniti cum natura mea diuina: itaq; conſecrantes, Ieſu Chriſti filij mei perſonam ibi repræſentant. Itaq; potes apertè cognoſcere, quòd hæc offenſio fit huic verbo filio meo, & ſi fit ei, vtique mihi fit, quia ſumus vnum. Iſti miſeri pretioſum ſanguinem hunc perſequuntur: & iſto inæſtimabili theſauro ſe priuant, atq; ſaluberrimo fructu eius. Vnde mihi grauior eſt hæc eorum offenſa, facta mihi, & non miniſtris, quàm ſint alia ſua peccata. Sicut enim honor ille non eſt, nec eſſe reputo miniſtrorum, immo verè meus eſt: ita perſecutio talis in me dirigitur, & in hunc pretioſum ſanguinem vnigeniti filij mei: quia ſumus vnum, vt ſupra dictum eſt. Vnde noueris, quòd omnia præterita peccata quæ commiſerunt hactenus, iſti culpæ comparata leuiora iudico: quare tantam indeſentio diſplicentiam. Vnde, ſicut aliâs tibi patefeci, materiam exhibendo tibi doloris & amaritudinis, ex offenſione mihi facta, & damnatione miſerorum: ita te nunc exhortor pariter & alios amicos atque ſeruitores meos, vt inuigilare ſollicitè

licitè ſtudeatis orationibus humilibus, continuis & deuotis ante me, vt ex bonitate mea misericorditer illuſtrentur atque ſoluantur huiuſmodi tenebræ, quæ superuenerunt in his putridis membris, à corpore ſanctæ Matris Eccleſiæ præcisis. Sed ego quaſi non inuenio quenquã, qui charitatiue de perſecutione, quæ fit iſti pretioſo ſanguini, condoleat. Benè multos inuenio mihi diſplicentiam irrogantes, atque me ſagittis amoris proprij ſagittantes. Iſti cum quodam timore ſeruili, & inani reputatione propria, velut excæcati, reputant ad honorem ſuum accedere, quod in veritate ſibi dedecus eſt. Et econuersò reputant eſſe dedecus illud, vnde ſalutem & honorem indubitanter acquirerent, videlicet humiliando ſe capiti ſuo.

IN HOC CAPITVLO LOQVITVR de Perſecutoribus Eccleſiæ ſanctæ, atque de Miniſtris, variis modis.

CAPVT. CXVII.

DIxi tibi, quòd à plurimis ego ſagittabar: & ita ſe veritas hẽt, videlicet cũ intentione ſua mala me iuxta poſſe ſagittando percutiunt, non ꝙ in me cadere poſſit aliqua læſio cuiuſcunq; rei, vel ab aliquo poſſim offendi. Quia cõtingit in me, per modũ loquendi, ſicut apparet in duriſſimo lapide, q percuſſius ictũ in ſe non recipit, immo reuertitur ad percutientẽ

ita

ita culparum illarum percuſſiones, vnde ſenſio fatorem procul dubio mihi nocere nullo modo poſſunt: ſed venenata ſagitta culpæ lethalis eos percutit & occidit. Quæ culpa gratia priuat eos in uita præſenti, fructum huius pretioſi ſanguinis amittendo. Et ſi in vltimo ſe non emendauerint, cum contritione cordis, & humili confeſſione ſancta, peruenient ad æternam damnationem à me præciſi, & cũ Dæmonio copulati: Colligationem enim in ſimul ordinauerunt, quoniam illicò cũ anima gratia priuatur, in peccato ligatur cum vinculis odij virtutum, & amoris vitiorum. Et cum arbitrio libero ligamen iſtud in manu Diaboli poſuerunt, cũ quo ligat eos, quoniã ab eo aliter ligari nõ poſſent. Iſto ligamine ligati ſunt ad inuicem iſti perſecutores huius pretioſi ſanguinis: & veluti membra cum Dæmonio ligata, Dæmonium officiũ aſſampſerũt. Ipſa nanq; Dæmonia conantur iuxta poſſe, fideles à ſalutis via peruertere, gratiæ ſtatum ab eis auferendo, & ad culpas inducere mortalium offenſarum, atq; peccatorum: vt irremediabile malum, quod experiuntur in ſe, participent cum illis fidelibus, quos decipere poſſunt. Similiter iſti faciunt, qui veluti membra Diaboli, ſponſæ filios Ieſu Chriſti filij mei ſubuertunt, eos à charitatis vinculo diſſoluentes, & eos liga miſerabili & infœlici ligantes: & ipſos cum eiſdem huiuſmodi fructu ſanguinis exultant eſſe priuatos. Hoc vtiq; vinculum ſigillo tenebrarum apparet eſſe ſigillatum: quia non agnoſcuut in quot inconuenientia miſeranda ceciderunt, & alios ad cadendum impellunt. Ideo

non

non ſe corrigunt, quia minimè cognoſcũt: immo tanquam excæcati gloriantur in eorum corporis & animæ deſtructione. O chariſſima filia, doleas amaritudine vehementi, videndo tantam miſeriã & cæcitatem in his, qui loti ſunt in iſto pretioſo ſanguine, ſicut & tu. Sunt inſuper adulti atq; nutriti præfato ſanguine ad Eccleſiæ ſanctæ pectus: & modò veluti rebelles ab eius pectore diſceſſerunt ex quodam vilipendẽdo timore: atq; ſub colore corrigendi defectus miniſtrorum meorum, de quibus expreſſè prohibui, ne tangerentur ab eis. Unde terror valde te debet inuadere, vnâ cum aliis amicis meis, quandocunq; nominari ſentis vituperoſam huiuſmodi colligationem, atq; deteſtabilem: lingua tua narrare non ſufficit quantum illam abominor. Et quod videtur etiam eſſe deterius: quia cum clamide defectuum miniſtrorum meorum ſe defendere volunt, & eorum culpas nec aduertere videntur: quia nulla clamis, ante meos oculos aliquid abſcondere poteſt, quin apertè videam omnia. Coram oculo creaturæ quãdoq; poteſt aliquid abſcondi, mihi verò nunquam: quia nõ ſolùm præſentia video, verum etiam omnia præterita, & futura cognoſco. Ego dilexi vos et agnoui pluſquã creditis. Et hæc eſt vna, de cauſis, quare miſerabiles homines in uita præſenti ſe non corrigunt: quoniam in veritate cum lumine viuæ fidei non exiſtimant à me videri: quia ſi veraciter ita crederent, & quòd omnis culpa punietur, & omne bonum à me remunerabitur, vt in alio loco tibi dixi, procul dubio non ita multiplicarent offenſas:

immo

immo potiùs iam factas contra me ſollicitè corrigerent, & humiliter à me miſericordiam expoſcerent: & ego mediante ſanguine filij mei, miſericordiam eis impenderem. Sed ipſi ſunt velut obſtinati, & à bonitate mea reprobati, & in ruinam vltimam inciderũt, priuati lumine propter eorum defectus: & tanquam omnino cæci, ſunt effecti, ſanguinis vnigeniti mei perſecutores. Quæ perſecutio fieri non debet ex aliquo defectu qui videretur, vel eſſet in miniſtris eiuſdem pretioſi ſanguinis.

BREVIS REPETITIO SVPER PRAEdictis de Eccleſia, & Miniſtris eius.

CAPVT. CXVIII.

ALiqua tibi narraui, chariſſima filia, de reuerẽtia, quæ fieri debet vnctis meis, nõ obſtantib. quibuſcunq; defectib. eorum: quoniã illa reuerentia nõ fit, neq; fieri debet intuitu ſolũmodo ipſorũ, ſed propter auctoritatem quam eis exhibui. Et quoniam ex defectibus eorum, Sacramenti miniſterium nec minui, nec diuidi poteſt, ipſa reuerentia circa eos deficere non debet, intuitu theſauri pretioſi ſanguinis. Faciendo autem oppoſitum, oſtendi tibi paruam ſcintillam in comparatione magnæ diſplicentiæ, quam inde percipio, & quam grauiter offendunt. Et quantum habeo moleſtam colligationem factam: & quam quotidie iſti faciunt in ſeruitium Diaboli contra me, cum perſecutione pretioſi ſanguinis vnigeniti filij mei, vt ampliùs amariſſimè doleas. Iſte quem in

præſenti narraui tibi, eſt vnus defectus particularis, ex perſecutione facta contra ſanctam Eccleſiam, & ita tibi dico generaliter de religione Chriſtiana: quoniam omnes in peccato mortali conſiſtentes, vita gratiæ ſe priuant, atq; ſanguinem pretioſum vilipendunt: hoc valde mihi diſplicet. Sed valde maiorem diſplicentiam habeo de ſupra memoratis, qui ligati ſunt ita directè contra me.

DE EXCELLENTIA ET VIRTVtibus Miniſtrorum ſanctorum: Et quomodo conditionem habent ſolis: Et de ipſorum correptione circa ſubditos.

CAPVT. CXIX.

NVnc vt impendam aliquale refrigerium animæ tuæ, mitigabo dolorē tuum, atq; tenebras iſtorum miſerabilium ſubditorum cum vita ſancta, et odorifera miniſtrorum meorum, de quibus tibi dixi, q habebant conditionē ſolis. Itaq; cum odore virtutum ipſorum factorem poteris in præſenti mitigare: atq; ſimili modo cum luce tenebræ ceſſabunt, ac etiam cum iſta luce meliùs intelligere poteris tenebras vitiorum, quæ regnant in miniſtris meis. Igitur oculum intellectus aperias, & videbis in me iuſtitiæ ſolo glorioſos miniſtros, qui cum adminiſtrarēt verum ſolem, conditionem induerunt ſolis: vt ego tibi recitaui de Petro principi cæterorum Apoſtolorū, qui Claues ab vnigenito filio meo, regni cœlorum accepit: ita tibi dico de aliis, qui lumen in hoc viridario

ſanctæ

ſanctæ Matris Eccleſiæ miniſtrauerunt, videlicet corpus atq; ſanguinem vnigeniti filij mei, veri ſolis vniti mihi: nec à me quoquomodo diuiſi: vt eſt ibi ſupra dictũ. Et omnia Sacramenta Eccleſiæ ſanctæ, quæ quidẽ omnia valent, & vitam exhibent in virtute pretioſi ſanguinis, in diuerſis gradib. vt à Spiritu ſancto ſunt ordinati miniſtri: Cum quo miniſtrauerũt? cũ lumine gratiæ, quod extraxerunt ab iſto vero lumine. Sed iſtud amabile lumen & ſolum. Non enim poteſt eſſe ſolum gratiæ lumen, neq; poteſt eſſe diuiſum. Itaq; totũ habetur, ſiue nihil. Ille qui conſiſtit in peccato mortali, priuatus eſt illicò lumine gratiæ. Qui verò gratiam habet, eſt illuminatus in oculo intellectus, in agnoſcendo me, qui gratiam ei dedi, & virtutem quæ conſeruat gratiam. Et in ipſo lumine peccati miſeriã agnoſcit atq; cauſam ipſius: videlicet amorẽ propriũ ſenſitiuum; ideo mouetur ad odiũ contra illum. Et ex hoc odio proprij amoris in affectu ſuo, recipit calorem meæ diuinæ charitatis. Affectus illicò ſequitur intellectum, vnde recipit ab iſto glorioſo lumine calorem, ſectando doctrinam dulciſſimæ meæ veritatis. Quare memoria repletur indilatè recordatione beneficij ſanguinis. Itaq; cernis, quòd lumen hoc haberi nequit abſq; calore pariter & colore: quoniam hæc tria vnũ ſunt ex vnione perfecta. Et ita nemo habere poteſt vnã animæ potentiam ordinatã ad recipiendũ in ſe, me verum ſolẽ, quin omnes tres ordinatæ ſint, & in nomine meo congregatæ. Cùm enim oculus intellectus cum lumine fidei, conſurgit vltra cõmune lumen, & aſpectum

ctum ſupranaturalē, ad ſe ſpeculandū in me affectus eum indilatè ſequitur, amādo quæ vidit & agnouit intellectus: & ipſo facto memoria repletur his quæ diligit affectus. Et ita diſpoſitæ potētiæ talis animæ participāt & habēt me ſolem verū, & illuminantur in potentia mea & ſapientia vnigeniti filij mei, & iſta ſuccenſa clementia Spiritus ſancti. Vides ergo quòd iſti miniſtri mei fideles, aſſumpſerunt conditionem ſolis, quia videlicet induti cum plenis potentijs animarum eorum, de me vero ſole, more ſolis, agunt. Sol quippe calefacit & illuminat, & cum calore ſuo terram geminare facit. Ita faciunt iſti dulces, electi & vncti miniſtri mei, quos in corpore myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ collocaui ad miniſtrandum corpus & ſanguinem vnigeniti filij mei, cum alijs Eccleſiæ Sacramentis, quæ vitam habent ex virtute ſanguinis, virtuosè miniſtrauerunt illa mentaliter & actualiter. Mentaliter, videlicet illuſtrando corpus myſticum Eccleſiæ ſanctæ, lumine ſcientiæ ſupranaturalis, cum colore ſanctæ vitæ ſequentes Ieſu Chriſti filij mei doctrinam, colorem quoque miniſtrauerūt ardentiſſimæ charitatis. Vnde cum calore ſuo charitatiuo germinare faciebant animas, quæ ſteriles erant, eas illuminando lumine ſcientiæ pariter, & eorum vita ſancta & ordinata, tenebras expellabant infidelitatis atq; mortalium peccatorum, ordinantes vitam eorum, qui viuebant inordinatè, cum frigiditate mentis ex priuatione charitatis, & in tenebris peccatorum. Igitur apertè cognoſcere potes, quòd ipſi ſunt veluti ſol, ex eo quod ſolis conditionē

aſſumpſerunt à me vero ſole: quoniam ex amoris affe-ctu ſunt quaſi vnum mecum effecti, & ego cũ eis. Quilibet iuxta gradum ſuum, vt eum elegi, lumen exhibuit in Eccleſia ſancta. Petrus cum prædicatione, miraculis & doctrina, poſtremò cum proprio ſanguine. Gregorius cum ſcientia ſacram paginam exponendo, & cum vitæ ſanctæ ſpeculo. Syluester verò contra Iudæos, & infideles ante Conſtantinum Imperatorem cum efficaciſsima diſputatione, fidem Chriſtianam approbando verbis atque factis, vt ego ſibi virtutem adminiſtraui. Si conſideres Auguſtinum, Hieronymum, atque glorioſum Thomam de Aquino, & alios quàm plurimos, videbis, quanto lumine ſponſam iſtam illuſtrauerunt, veluti luminaria ſplendentia ſuper candelabro collocata, errores extirpauerunt, & obcæcatas animas illuminauerunt cum humilitate perfecta, veluti famelici ſalutis animarum, & honoris mei, manducantes iſtum cibum ingenti dilectione ſuper menſa ſanctiſsimæ crucis. Martyres verò, ſanguine proprio dilatauerunt veram & ſalutiferam fidem, qui ſanguis iactabat odorem in conſpectu meo, & cum odore ſanguinis atq; virtutum, & lumine ſcientiæ ſanctificabant in iſta ſponſa, fœtorem infidelitatis expurgando, & animas in tenebris aſſuetas illuminando: quia lumen veræ fidei relucebat in eis. Prælati quoq; in ſtatu prælationis à vicario meo in terra conſtituti, mihi cum ſancta & honeſta vita ſacrificium iuſtitiæ faciebant. Margarita quoque iuſtitiæ cum humilitate vera, & ardentiſsima charitate, cum ſalutifero lumine diſcretio-

nis

nis in eis, atque ſubditus eorum apertiſſimè relucebat. In ſe principaliter iuſtè mihi debitum exhibebant, videlicet nomini meo reddendo gloriam & honorem. Sibi verò reddebant odium & diſplicentiam propriæ ſenſualitatis, contemnendo vitia, & amplectendo virtutes, unà cum charitate mea pariter & proximi ſui, cum humilitate conculcabant ſuperbiam. Et ad menſam altaris accedebant, veluti angeli cum puritate corporis, & animæ, cum ſynceritate mentis offerendo mihi ſacrificium, in fornace veræ charitatis exuſti. Et quia priùs de ſemetipſis iuſtitiam egerant, ideo de ſubditis etiam iuſtitiam agebant, volentes & inducentes eos virtuosè viuere, corripientes tranſgreſſores abſq; timore ſeruili, non attendentes ad ſemetipſos, immo ſolùm ad honorem meum, & ſalutem animarum. Ipſi tanquam boni paſtores imitabantur paſtorem optimum, videlicet Ieſum Chriſtum vnigenitum meum, quem vobis aſſignaui, vt ipſe gubernaret, & aleret vos oues, & vitam pro vobis exponeret. Iſti verè ſunt imitati veſtigia ſua. Ideo correxerunt, & non permiſerunt membra languentia putreſcere, videlicet non corrigendo, immo charitatiuè, cum benignitatis vnguẽto, ſiue cũ ignis aſperitate plagam incidendo culpæ, ſicuti ſancta diſcretio videbat expedire, fortiter arguendo atq; diſciplinando, plus vel minus, iuxta defectus exigentiam. Et pro tali repræhenſione ſiue correptione, vel etiam pro veritate ſalubri profitenda mortem ſui corporis vilipendebant: iſti quidem erant hortulani veri, qui ſollicitè cũ ſancto zelo atque timore Dei ſpinas peccatorũ euel-

lebant, plantando virtutum odoriferas in Eccleſia ſancta plantas: vnde ſubditi viuebant virtuosè cum ſancto timore, quotidie creſcentes veluti odoriferi flores in corpore myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ. Quare corrigebant abſq; timore ſeruili, quia penitùs erant illo priuati. Nam in eis aberat venenoſa culpa peccati: & ideo cum iuſtitia ſancta viuebant, arguendo viriliter abſq; timore quocunq;. Hæc eſt illa Margarita, quæ valde lucebat in eis, quæ lumen exhibebat, & pacem in ſubditorum mentibus: vnde cum ſancto timore perſiſtebant in vnitate cordium. Vnde certiſſimè noueris, quia nihil aliud eſt in cauſa talium tenebrarum, atq; diuiſionum in mundo inter ſeculares clericos, atq; religioſos, & Eccleſiæ ſanctæ paſtores, niſi quia iuſtitiæ lumen omnino defecit, & iniuſtitia tenebroſa præualuit. Nullus in vita præſenti ſtatus in lege ciuili ſine diuina conſeruari poteſt in ſtatu gratiæ ſine ſancta iuſtitia. Quoniam accidit ei, qui non corripit, nec corripitur, veluti membro quod incipit in ſe putreſcere: quia ſi medicus iners & inſipiens, ibi ſolummodo ſupponat vnguentum, & non vtatur opportuno cauterio, plagam incidendo, corpus vniuerſum inficitur atq; putreſcit. Ita prælato contingit, vel alijs dominis: qui ſi videndo membra ſubditorum eſſe corrupta, propter fœtorem peccati mortalis, apponūt ſolum vnguentum blanditiarum & adulationum, abſq; debita repræhenſione nullo tempore liberabuntur: ſed ex hoc inficientur alia membra, quæ vicina ſunt in ipſo corpore, videlicet ſub eodem paſtore. Si verò fuerit idoneus & expertus medicus animarum illarum: vt

erant

erant iſti glorioſi paſtores, vnâ cum vnguento repræhenſionis ignem adhibebit. Et ſi membrum huiuſmodi penitùs obſtinatum eſſet in malo, præcidet illud à congregatione ſeparando, ne corrumpat alia membra putredine peccatorum: ipſi tamen non ita hodie faciunt, immo videre diſſimulant. Sed nunquid ignoſcantur? hoc eſt, quia radix amoris priuati viuit in eis, vnde peruerſum timorem ſeruilem extrahunt. Nam ex timore perdendi ſtatum prælaturæ ſiue temporalia quædam, non corrigunt. Sed velut excæcati faciunt, ideo non agnoſcunt quomodo ſtatus in ſe conſeruatur. Quod ſi cognoſcerent, quomodo benè conſeruatur cum iuſtitia ſancta manu tenerent eam. Sed quia lumine vero priuati ſunt, neq; videre, neq; intelligere queunt: & exiſtimant eum ex iniuſtitia conſeruare, non arguendo ſubditorum iniquitates, ipſi verò decipiuntur à propria paſſione ſenſitiua, & ab ambitione prælaturæ ſiue dominij, & iſti non arguunt, neq; corrigunt, eò, quia ſunt eiſdem defectibus, vel maioribus infecti. Scientes ergo ſe culpabiles, audaciam atque confidentiam amittunt arguendi cæteros, inhibiti atq; ligati à ſeruili timore, ſe videre diſſimulant. Et ſi quandoque vident aperta quædam, arguere ſiue diſciplinare negligunt: immo ſe blandis verbis obligari permittunt, interuenientibus exequijs & oblationibus: vnde poſtmodum in ipſorum malorum excuſationes adinuenire conantur, vt ipſos in nullo punire, vel arguere debeant. In iſtis impletur illud Euangelicum à mea veritate prolatum: ipſi cæci ſunt, atq; cæcorum duces: & ſi cæcus à cæco ducatur ambo in foueam cadunt. Non ita

 fecerunt

fecerunt illi qui præceſſerunt, vel faciunt etiam aliquã moderno tempore conſiſtentes veri duces, & amabiles miniſtri mei, de quibus tibi dixi, quòd habebant in ſe proprietatem ſolis atq; conditionem, qui verè ſe veluti ſol habent. Non inueniuntur in eis tenebræ peccatorum, vel ignorantiæ: quia ſequuntur in veritate doctrinam vnigeniti filij mei: neq; tepidi ſunt, eò quòd exuſti ſunt, & iugiter exuruntur in fornace meæ diuinæ charitatis. Et veluti contemptores diuitiarum, prælationum, atque dignitatum vitæ præſentis, abſque timore quocunque corrigunt audacter. Nam ille qui prælationem ſiue dominium appetere non vult, amittere nullomodo metuit. Ideo viriliter arguunt iſti, quoniam immunis à culpa reperitur eorum conſcientia. Quare pretioſa Margarita, iuſtitiæ tenebroſa non erat in ipſis miniſtris meis fidelibus, immo lucida: amplexabantur inſuper auidè paupertatem voluntariam, & vilitatem propriam cũ humilitate profunda. Ideo paruipendebant irriſiones, contumelias, detractiones, hominum iniurias, opprobria, pœnas atque tormenta quorumcunque perſecutorum. Omnia cum inuincibili patientia tolerabant amore mei, tanquam angeli terreſtres: immo plus quàm angeli, non ex natura, ſed ex gratioſo miniſterio ſuper naturam eis à bonitate mea commiſſo: videlicet miniſtrandi corpus & ſanguinem vnigeniti filij mei. Et verè miniſtri mei tales angeli ſunt, eò, quia ſicut angelus à me ueſtræ cuſtodiæ deputatus inſpirat in mentibus veſtris inſpirationes bonas atq; ſanctas: ita faciebant ipſi, & hodie facere

tenen-

tenentur: eò, quia deputati ſunt ad veſtram cuſtodiam. Ideo iugiter habebant oculum in ſubditos eorum, veluti veri cuſtodes, inſpirantes in eorum animabus inſpirationes bonas & ſanctas, cum exemplari vita & virtuoſa, pro eis offerentes amoroſa, & dulcia deſideria in conſpectu meo, cum humili oratione continua. Ita quod vides, quot ſunt angeli collocati ſuper candelabro, velut accenſæ lucernæ in corpore myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ, ab ignita charitate mea, pro veſtra ſalubri cuſtodia: vt in cæcitate veſtra ducem habeatis, vt vos in veritatis atq; ſalutis via dirigant. Ipſi miniſtri mei cum humilitate magna, & exemplari conuerſabantur cum ſubditis eorum, ipſos charitatiuè gubernando cum viua fide pariter, & firma ſpe, minimè dubitabant ne ſibi, ſiue ſubditis, iſta temporalia deficerent. Ideo pauperibus abuntandiſſimè diſtribuebant Eccleſiæ ſibi commiſſæ ſubſtantiam, & benè ſeruabant, & opere perficiebant illud, ad quod erant obligati, diſtribuendo videlicet in neceſſitate pauperum Eccleſiæ ſubſtantiam temporalem. Ipſi depoſita facere vitabant: itaq; poſt vitam eorum non inueniebantur eis aliqua depoſita, immo poſt mortem aliquorum debita plurima reperiebantur contracta pro neceſſitatibus pauperum charitatiuè ſubleuandis. Et hoc occurrebat ex excellentia charitatis eorum, quæ procedebat à vera ſpe, quam in prouidentia mea collocauerant. Nam erant procul dubio timore ſeruili priuati: & ideo minimè timebant eis aliqua neceſſaria debere quoquo modo deficere ſiue temporalia. Hoc eſt vtique ſignum

quod apertè demonſtrat hominem in me collocáſſe ſpem, & non in ſe, quando videlicet timore ſeruili non timet. Sed illi qui ſperant in ſe ſunt illi qui timent & expaueſcunt ex vmbra propria, metuentes atq; dubitantes, ne cœlum vnâ cum terra deficiat eis. Cum iſto timore atq; peruerſa ſpe, quam habent in modica prudentia ſua, tantam infœlicem & miſerabilem ſollicitudinem aſſumunt, in acquirendo atq; conſeruando res iſtas exteriores, quòd videtur ipſos omnino poſtergare ſpiritualia, & vix inuenitur quis ad hæc attendat. Sed *ipſi miſerabiles infœlices atq; ſuperbi non attendunt, neque conſiderant quòd ego ſum ille qui prouideo, quæ ſunt neceſſaria animæ ſimul & corpori veſtro, quanuis cum illa menſura qua ſperatis in me, cum ea remetietur vobis prudentia mea: neq; miſeri atq; præſumptuoſi attendunt: quòd ego ſum ille qui ſum, ipſi verò non ſunt. Eſſe namq; ſuum, à mea bonitate acceperunt, & omnem gratiam ſuper hoc eſſe fundatam. Et ideo ſuperuacuè laborat, & inuanum laborat ille, qui cuſtodit ciuitatem, niſi cuſtodiatur à me. Stulto labore fatigatur omnis qui ſe putat illam ſua vigilia ſiue ſollicitudine poſſe defendere, quoniam ego ſum ille ſolus qui cuſtodio. Tamen à vobis exigo: quòd hoc eſſe vobis à me conceſſum, & alias gratias in ipſo, & ſuper ipſo fundatas exerceatis, virtuosè viuendo cum arbitrio libero, dum tempus habetis, & lumen rationis quod ego vobis exhibui: Quia creaui vos abſque vobis: Sed non decreui, ſaluare vos abſque vobis. Vos quippe dilexi antequam eſſetis. Et hoc videtur, & apertè cognouerunt iſti dilecti mei, & ideo me dilexerunt ineffabiliter. Et propter affectuoſum amorem quo me dilige-*

diligebant, & ita fiducialiter in me ſperabant, & nunquam in aliquo dubitabant ſiue metuebant. Vnde Syluester diſputando coram Imperatore Cōſtantino contra illos duodecim Iudæos in præſentia magnæ multitudinis, in maxima conſtantia perſeuerabat: cum fide viua credens, & exiſtimans, quia me ſecum exiſtente nullus ei nocere poterat: & ideo nullum timere debebat. Et ita cæteri mei ſerui fideles omni timore ſeruili depoſitò conſtanter in omnibus agebant: quia ſoli non erant, immo benè ſociati: quoniam in dilectione charitatis exiſtentes in me ſtabant. Et à me lumen ſapientiæ vnigeniti filij mei recipiebant. A me verò potentiam habebant, vnde fortes erant contra principes atq; mundi Tyrannos. A me quoq; recipiebant ignem ſancti Spiritus, in quo percipiebant eiuſdem clementiam & amorem ignitum. Hic amor eſt aſſociatus cum lumine fidei, cum firma ſpe, cū inuincibili fortitudine, cum pace vera, & longa perſeuerantia: videlicet vſq; ad vltimum ſuæ mortis. Itaq; vides apertè, quòd ſoli non erant, immo ſociati, & ideo nullo modo metuebant. Solus ille qui ſe ſolum videt & attēdit, in ſe ſolūmodo ſperās, charitatis amore priuatus eſt, ille qui timet, & quæcūq; parua res incutit ei timorē, ex eo quia ſolus eſt priuatus, ex defectu ſuo, me qui ſummā ſecuritatē animæ tribuo, me per affectū amoris in veritate poſſidenti: hoc experientia cognoſcebant hi glorioſi dilecti mei: quia nihil animabus eorum obeſſe poterat, immo potiùs ipſi nocebant hominibus & Dæmonibus, qui frequentiſſimè ligati permanebant, ex virtuoſa potētia, quam ego ſuper eos ex bonitate mea conceſſeram. Et

hoc erat quod correſpondere volebam fidei, ſpei, atq; dilectioni, quam habebant in me. Lingua tua faciliter enarrare non poſſet virtutes iſtorum, nec oculus intellectus aſpicere fructum, quem in vita durabili recipiunt. Et ita recipient omnes qui realiter veſtigia ſequentur eòrum. Ipſi permanent in conſpectu meo, veluti pretioſi lapides, quia labores eorum valde libenter acceptaui, & lumen quo corpus myſticum Eccleſiæ ſanctæ cum odore virtutis illuſtrauerunt. Et ipſos in vita durabili digniſſimè collocaui, vbi recipiunt beatitudinem, & gloriam inæſtimabilem in viſione mea, quoniam ipſi præbuerunt exemplum ſanctæ & honeſtæ vitæ: & cum lumine virtuosè miniſtrauerunt illud verum & æternum lumen: videlicet corpus & ſanguinem vnigeniti filij mei, atque cætera Sacramenta. Et ideo valde ſingulariter à me diliguntur & honorantur: tamen ex dignitate quam eis ita gratioſè commiſi: quia ſunt vncti, atque miniſtri mei fideles, tùm etiam quia theſaurum quem eis in manu poſui, non abſconderunt in terra per negligentiam atq; ignorantiam: ſed à me recepiſſe cognouerunt, & eum ad lucrum expoſuerunt cum fideli ſollicitudine, humilitate profunda, & alijs virtutibus veris atq; realibus. Et quoniam ego in ſalutem animarum, eos in tanta collocaueram excellentia, nunquàm otioſè pertranſibant, immo veluti boni paſtores ingenti ſollicitudine reducebant oberrantes oues, ad ouile ſalubre ſanctæ Matris Eccleſiæ. Quare per amoris affectum, & animarum ſalutem, veluti famelici morti ſemetipſos exponebāt, vt eas abſtraherent

herent de manu Diaboli. Ipſi quandoque ſe ſimulabant infirmos cum infirmis. Aliquando namque ne peccator ex deſperatione confunderetur, & vt apertiùs, atq; maiori fiducia ſuam ægritudinem in confeſſione propalaret dicendo, cum intentione ſancta ſimulabant. Et ego ſum infirmus. Salubriter ergo nouerant flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus: & prudenter exhibebant vnicuique cibum ſuæ ſaluti neceſſarium & vtilem, videlicet conſeruando bonos, quorum virtute gaudebant: quoniam ex inuidia nullo modo tabeſcebãt, immo dilatati multùm in affectu ſynceræ charitatis omnium proximorum eorum, & præcipuè ſubditorum ſuorum. Peccatores autem à peccatis ſuis extrahere ſollicitè ſatagebant, eis affectuosè, prudenter, atque charitatiua compaſſione condeſcendes: & in corpore pœnitentiali frequenter in animo maiorem amaritudinem imponentes habebant, quàm illi quibus imponebatur. Et aliquando plures erant, qui pœnitentiam iniunctam, vnâ cum peccatoribus illis agebant: & præcipuè cum percepiſſent huiuſmodi pœnitentiam eis extitiſſe moleſtam, vel valde grauem: vnde frequenter ex hoc actu charitatiuo difficultas aſpera vertebatur in dulcem atque gratam. Iſti fideles miniſtri mei dilecti, cum eſſent in ſtatu prælaturæ, ſe ſubditos exhibebant ex humilitate: & cum eſſent in Eccleſia domini, ſe faciebant infimos, atque ſubditorum ſeruos, exiſtentes in virtute ſani atq; robuſti, ex charitate ſe ſimulabant infirmos, & imbecilles. Cum ſimplicibus erant & ipſi ſimplices, cum paruis

parui.

parui: & ita cum hominibus humiliter, atq; charitatiuè ſalubriter conuerſari nouerant, vnicuiq; cibum vtilem animæ ſuæ miniſtrando. Horum verò quid erat in cauſa? Procul dubio fames, atq; deſiderium quod habebant ad honorem meum, atq; ſalutem animarum: & ita velociſſimè currebant ad manducãdum huiuſmodi cibum, in menſa glorioſæ crucis nullum omnino recuſando laborẽ. Sed veluti zelatores igniferi ſalutis animarũ atq; ſalutiferæ fidei dilationis et exaltationis, immergebant ſemetipſos inter ſpinas multarum tribulationum: & cũ inuicta patiẽtia pericula mũdi tolerabãt. Iugiter offerẽtes in conſpectu meo incenſum affectuoſi & anxij deſiderij: cum oratione continua & humili, atq; ſudoribus lachrymoſis: & ſic vngebant proximi ſui plagas. Plagas inquam culpæ mortalium peccatorum: vnde perfectam ſanctitatem ipſi ſubditi aſſequi poterant, ſi cum humilitate cordis huiuſmodi recipiebant vnguentum.

CAPITVLI REPETITIO IN SVMma de reuerentia, quæ Sacerdotibus reddi debet, ſiue bonis ſiue malis.

CAPVT. CXX.

NVnc ô chariſſima filia, demonſtraui tibi ſcintillam paruam de ipſorum excellentia; ſcintillam voco reſpectu eius quod eſt. Tibi narrando pauca de dignitate, in qua ipſos collocaui, quoniam eos elegi atq; meos eſſe feci miniſtros. Et intuitu dignitatis iſtius, &

ui, & auctoritatis quam eis exhibui, nolebam, ſed neq; volo, quòd propter aliquem defectum ipſorum ſecularis aliquis eos aliquo modo puniat; & ipſos iniurioſè tangentes vel punientes, me valde grauiter offendunt: immo volo quòd eos habeant in debita reuerentia. Nō quidem eos intuitu ſui, ſicut iam dixi, ſed intuitu mei: videlicet propter auctoritatem eis à me conceſſam. Vnde reuerentia talis nullo tempore minui debet, quanuis in eis minueretur virtus. Ipſos quippe tibi poſui, narrando veluti miniſtratores veri ſolis, videlicet corporis & ſanguinis vnigeniti filij mei, & aliorum Eccleſiæ Sacramentorum. Iſta dignitas contingit atq; pertinet bonis atq; malis, et ad quemlibet ipſorū illam miniſtrare pertinet, vt iā dixi ſuperiùs. Dixi tibi, ꝙ miniſtri mei perfecti ſolis conditionē habent, & ſic eſt, illuminātes atq; calefacientes ex charitatis ardore proximos eorū, & cū iſto calore fructificabāt atq; germinare faciebāt virtutes in omnibus eorū ſubditorū. Etiā tibi dixi, quia ſunt angeli nobis aſſignati per me, ꝓ tuta cuſtodia ueſtra, vt bonā de vobis diligentiam habeant, atq; ſanctas inſpirationes in cordibus veſtris intromittant, mediantibus orationibus ſuis, atq; ſalutari doctrina, & exemplo virtuoſæ vitæ. Sollicitè quoq; miniſtrent vobis Eccleſiæ Sacramenta, prout angelus agit, qui vos à malo cuſtodit, vobiſque ſeruit, & bonas inſpirationes in mente veſtra inſpirat: Itaq; cernis, quòd vltra dignitatem, quam eis ego conceſſi, tam ornamento virtutum, ſicut de talibus tibi narraui: & vt omnes obligātur eſſe, quantum ipſi digni ſunt à vobis amari: & in quanta reuerentia debent à vobis habe-

haberi: quoniam ipſi dilecti filij ſunt, et veluti ſol in corpore myſtico Eccleſiæ ſanctæ poſiti propter virtutes eorum. Nam omnis homo virtuoſus dignus eſt amari, ſed multò fortiùs iſti, propter miniſterium in eorum manibus à me poſitum. Quare virtutis intuitu, ac propter huiuſmodi Sacramenti dignitatem, eos amare debetis. Eorum verò qui miſerabiliter viuunt, odire defectus obligamini. Non tamen eorum iudices eſſe debetis: quia nolo & omnino prohibeo, quia Chriſti mei ſunt. Ideo debetis amare, atq; reuereri penitùs auctoritatem eis à me conceſſam. Vos optimè nôſtis, quia ſi quidam immundus, & malè inductus, vobis adduceret aliquem pretioſum theſaurum, de quo vitam continuè traheretis vos amore theſauri, & domini mittentis odio nullo modo portitorem haberetis, non obſtante quòd eſſet in ſe laceratus, & immundus. Immunditia quippe benè diſpliceret vobis, atq; conaremini quòd ab immunditia purgaretur, & indueretur amore domini. Igitur ita facere debetis, ex debito ſecundum ordinem affectuoſæ charitatis: & ita volo vos agere circa tales miniſtros meos: quando ſunt inordinati, qui cum immunditia vitiorum, atq; lacerati, per ſeparationem veræ charitatis vobis adducunt ingentes theſauros, videlicet Eccleſiæ ſanctæ veneranda Sacramenta, quæ vobis vitam gratiæ cõferunt indubitanter, vobis illa dignè ſumentibus. Ergo non obſtantibus illorum vitijs atq; defectibus amore mei mittentis, & amore vitæ gratiæ, quam à magno theſauro recipitis, qui ab eorum manibus vobis in Eccleſia ſancta miniſtratur, videlicet vnigeniti filij corpus & ſan-

ſanguis, vniti cum diuina mea natura, reuerenter acceptare eos debetis. Odio quidem habeatis eorum vitia cum diſpicentia magna, ſed iuxta poſſe conemini charitatis affectu, & oratione ſancta illos adiuuando induere, ac indumenta ipſorũ abluere lachrymis, & eos offeratis cum ſancto deſiderio in conſpectu meæ diuinæ maieſtatis, vt illos induam ex bonitate mea veſtimento charitatis. Vos apertè ſcitis, quòd volo eis libenter impendere gratiam, in quantum ipſi diſponant ſe ad accipiendũ illam, & vos ad intercedendum pro eis: quia procul dubio non eſt meæ voluntatis vt ipſi miniſtrent vobis, & alijs in vita præſenti ſolem in tenebris: neque quòd ipſi nudati ſint veſtimento virtutum, & immundi viuant inhoneſtè: immo poſui eos dando vobis in exemplum virtutum, vt ſint velut angeli terreſtres, & velut ſol mentes peccatorum illuminando. Si verò tales eſſe renuunt, oportet vos orare pro eis, & non eos iudicare: iudicium verò mihi reſeruare. Ego autem orationibus veſtris intercedentibus impendam eis miſericordiam abundãtiſſimè, ſi recipere ſe diſponent: ſi verò vitam ſuam corrigere neglexerint in vita ſua, dignitas eis ita gratoſè conceſſa redundabit eis in ruinam. Et à me ſummo Iudice cum improperio maximo, in mortis extremitate, niſi realiter & viua fide recurſum habeant, ad miſericordiæ meæ latitudinem inæſtimabilem, velut obſtinati dirigenter ad ignem æternum.

DE

TRACTATVS DE DEFECTIBVS, ET VITA REproba Sacerdotum, & Miniſtrorum iniquorum.

CAPVT. CXXI.

NVnc autem, filia dilectiſſima, vt tu & alij ſerui mei materiam habeatis ampliorem, offerendi pro illis ante me continuas & humiles orationes, volo tibi dicendo monſtrare ſceleratam vitam ipſorum. Quamuis vndecunq; te verteris, videbis apertè ſeculares, atq; religioſos clericos, prælatos atq; ſubditos, paruos & magnos, iuuenes & antiquos: & in omni manerie gentium offendere me iugiter: omnes enim culpæ putredine mortalium peccatorum infecti ſunt. Qui tamen fætor mihi nullo modo nocet, immo ſolummodo ſibimet offendentibus. Vſq; nunc ego narraui tibi de iuſtis miniſtris meis, & de eorum excellentia, & de virtute bonorum tùm ex aliquo refrigerio tuæ mentis, tùm etiam, vt apertiùs & pleniùs agnoſcas vilitatem atq; miſeriam iſtorum, ita miſerabilium, & quàm maiori reprahenſione digni ſunt, atque maiori pœna cruciandi. Prout econuerſo dilecti mei fideles, ex eo quod virtuosè tractauerunt eis à me commiſſum theſaurum, maiori præmio & excellentia digni ſunt: & vt in conſpectu meo veluti Margaritæ pretioſæ conſtituantur & ordinentur: & econuerſo miſerabiles iſti pœna crudeli atq; terribili cruciabuntur in perpetuum. Attende, filia chariſſima, quoniam ipſi principium atq; fundamentum ſuum fecerunt, & conſtituerunt in amore proprio: vnde proceſſit arbor vitan-

vitandæ ſuperbiæ cum indiſcretionis filio. Quia tanquã indiſcreti ſibi honorem attribuunt atq; gloriam, magnas prælationes inquirentes cum deliciis, et ornamento ſui corporis: mihi verò reddunt vituperium & offenſas. Sibi enim attribuunt illud quod non eſt eorum; mihi verò quod non eſt meum. Mihi debet attribui gloria & honor; ſibi autem debent reddere odium propriæ ſenſualitatis cum vera notitia propriæ vtilitatis, exiſtimando ſe tanto miniſterio prorſus indignos, quantum à me gratioſè receperunt. Ipſi autem oppoſitum operantur. Nam inflati ſuperbia nullo tempore ſatiantur, quotidiè rodendo terram diuitiarum & deliciarũ vitæ præſentis, tenaces, cupidi, & auari circa pauperes? Vnde propter hanc auaritiam atque miſerabilem ſuperbiam ipſorum, quæ nata fuit ex amore proprio ſenſitiuo, curam omiſerunt animarum, & ſolùm attendunt & iugiter vacant cum ingenti ſollicitudine temporalibus & exterioribus vanitatibus, omnino quaſi derelinquentes oues, quas ego commiſeram eis velut oues abſque paſtore. Nec eis alimenta tribuunt, nec eas aliquo modo nutriunt, neque ſpiritualiter, neque etiam temporaliter. Spiritualiter enim adminiſtrant Eccleſiaſtica Sacramenta, quæ nullo modo virtutem ſuam amittunt, vel etiam minuunt ex aliquo defectu illorum: neque vobis auferri poſſunt. Sed ipſi non vos alunt orationibus cordialibus, deuotis, & humilibus: nec habent ignitum veſtræ ſalutis deſiderium: & famem cum honeſta ſancta vita. Nec etiam ſubditos paupe-

res alunt corporali cibo, ſubueniẽdo neceſſitatibus eorum in ſubſtãtia temporali, de qua tibi dixi, quòd fieri debent tres partes: vna debet eſſe pro neceſſitatib. eorũ, ſecunda pauperib. erogari, tertia verò in vtilitatẽ Eccleſiæ debet expendi. Sed ipſi faciunt oppoſitum. Quia non ſolummodo ſubtrahunt à pauperib. illam partem, quam obligantur eis impendere. Sed ipſi rapiunt aliena. Simoniam exercendo per inordinatum pecuniæ deſideriũ, vendendo Spiritus ſancti gratiam. Aliquoties .n. accidit ꝙ aliqui miniſtri, & infœlices, indigentibus impendere denegant illud, ꝙ eis valdè gratioſè conceſſi, vt vobis exhibeant, niſi manus impleatur eis, atq; multis enxeniis viſitentur. Et tantùm ſubditos amant, quantùm ab eis aliquam vtilitatem habent, & non vltrà. Eccleſiæ ſubſtantiã expendunt ſolùm in ornatis, atque delicatis veſtibus, non vt honeſti clerici ſiue religioſi, ſed veluti Domini, ſiue ſecularis Curiæ domicelli, quotidie ſatagentes pompoſos equos habere, ac etiam vaſa plurima tàm aurea quã argentea, cum curioſis ornamentis in domo tenentes: atque poſſidentes ea quæ tenere non debent, cum multa vanitate cordis. Cor etiam ipſorum ex vanitate diſſoluta verba loquitur. Et omne deſiderium eorum eſſe videtur in epulis atque conuiuiis, de ventre quodammodo ſibi Deum facientes, inordinatè comedentes & bibentes. Et ideo ſubitò ruunt in immunditiam viuendo laſciuè. Væ, væ ipſorum vitæ miſerabili, & infœlici: quoniam illud ꝙ vnigenitus filius meus acquiſiuit, cum grauiſſima pœna, ſuper ligno

ſan-

ſanctiſſimæ crucis, ipſi cum meretricib. expendunt. Et ita damnabiliter iugiter animas deuorant, et occidũt Ieſu Chriſti ſanguine pretioſo redemptas, eas diuerſimodè cum fœtenti miſeria corrumpendo, & de patrimonio vel hæreditate pauperum filios adulterinos alunt, & ornant. O diabolica templa, ego vos elegi & collocaui, vt in præſenti vita tanquam angeli terreſtres eſſetis: & vos eſtis tanquam incarnati Dæmones: & ipſorum officium aſſumpſiſtis. Dæmones habent in ſe tenebras, quas etiam aliis impendunt, & poſtea cruciata tormenta miniſtrant. Iuxta poſſe ſubtrahunt animas à ſtatu gratiæ cum variis moleſtiis atque tentationibus; vt inducant eas ad ſtatum æternæ damnationis in peccatis mortalibus innoluendo. Quanuis nemo compelli poſſit ad peccatum aliquod, niſi ſponte conſentire velit, licet ipſi Dæmones iuxta poſſe ſollicitè vires apponant. Ita miſerabiles iſti non digni vocari miniſtri, ſed veluti Dæmones incarnati. Nam ex defectu proprio ſe conformauerunt cum illorum voluntate diabolica: & ideo faciunt officium ipſorum, me lumen verum in tenebris mortalis peccati miniſtrantes. Et adminiſtrant oſtendentes abominabiles tenebras inordinatè, immo ſceleratæ vitæ ipſorum, tàm ſubditis quàm aliis hominibus, exhibendo materiam confuſionis, atque ſcandali mentibus intuentium eos, ita ſceleratè viuere. Sunt etiam in cauſa miniſtrandi confuſionem atque conſcientiæ pœnas his quos aliquando ſubtrahunt à ſtatu gratiæ, & à via veritatis, & eos ad culpã reducen-

do faciunt illos ambulare per viam falſitatis & mendacij. Qanquam ille qui ſequitur eos, non eſt ex hoc excuſatus à culpa ſua, quia compelli nullo modo poteſt ad culpam peccati mortalis ab iſtis Dæmonib. viſibilibus, vel etiam ab inuiſibilibus, abſq; proprio conſenſu voluntario. Nullus itaque debet vitam ipſorum imitando reſpicere, faciendo mala quæ faciunt. Sed iuxta monita meæ veritatis in Euangelio ſancto facere debetis ea bona, quæ dicunt ex doctrina, data vobis in corpore myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ, in ſancta pagina declarata, mediantibus prædicatoribus à Spiritu ſancto doctis, qui vobis in veritate pronunciant verbum meum. Et illorum vitam, & opera mala nullo modo ſequamini, nec eos in aliquo punire velitis, quia me grauiter offenderetis. Illis quoq; relinquite vitam iniquam, & pro vobis accipite doctrinam veram atq; ſalubrem. Punitionem verò mihi ſeruate, quoniam ego ſum ille dulcis æternus Deus, qui cuncta bona remunero, & omnem offenſam in cõgruo tempore punio. Non enim illis parcetur, ſiue dimittetur in ſuo tempore, debita diſciplina, propter dignitatem eis à me glorioſè conceſſam: videlicet quia miniſtri mei ſunt effecti. Immo iuſtè punientur vltra cæteros, in maiori miſeria, ſi ſe non correxerint, quia plus à mea bonitate receperunt. Et ideo tanquam ingrati me totaliter offendẽtes, indubitanter valde maiori punitione ſunt digni, Itaq; vides eos eſſe velut Dæmones: & econuersò tibi dixi de meis electis, quòd erant angeli terreſtres: & ideo faciebant angelorum officium.

QVO-

QVOMODO IN PRAEDICTIS MIniſtris iniquis iniuſtitia regnat: Et præcipuè non corrigendo ſubditos.

CAPVT. CXXII.

DIxi tibi, quòd in electis miniſtris meis iuſtè margarita refulgebat: nunc verò tibi dico, quòd iſti miſerabiles, & infœlices in pectore ſuo geſtant iniuſtitiam pro fibula, quæ quidem iniuſtitia cum amore proprio coniungitur atq; connectitur in eis. Nam ex amore proprio committunt iniuſtitiam contra ſuas animas; ac etiam erga me cum indiſcretione tenebroſa, quia mihi non exhibent honorem & gloriam, neq; ſibimetipſis vitam ſanctam & honeſtam, neq; deſiderium ſalutis animarum habent, & virtutum eſuriem. Et ideo committunt iniuſtitiam erga ſubditos, atq; proximos eorum, neque vitam corrigunt, immo velut excæcati non agnoſcūt et ex inordinato timore diſplicendi creaturæ, permittunt eos in ſuis infirmitatibus iniq; dormire. Nec aduertere videntur, quia placere deſiderantes, ita grauiter offendunt, & mihi creatori ſuo ac etiam eiſdem valde diſplicent. Aliquando ſe corrigere ſimulabunt, vt cum aliqua parua iuſtitia ſe cooperire poſſint, non arguendo maiores, qui grauiora comiſerunt, quàm illi minores quos corrigunt: & hoc ex timore ſeruili, ne forſitan eos impediant vel auferant eis vitam, ſiue ſtatū eminentiæ ſuæ: ſed acriter arguunt in-

ſimos, quia conſiderant eis obeſſe non poſſe, nec auferre ſibi ſtatum. Iſte procul dubio committit iniuſtitiã ex amore proprio deteſtabili; qui proprius amor vniuerſum orbẽ infecit, atq; myſticũ corpus Eccleſiæ ſanctæ, ſylueſtra quidem faciendo viridarium huius venerandæ ſponſæ, flores ibi putridos inſerendo; quod viridariũ benè fuit excultum, et virtuosè renouatũ, et ornatum odoriferis florib. tempore quo miniſtri mei fideles, & veri laborantes aderant. Nam ex eorũ virtute ſubditi non viuebant iniq;, ſed cum vita ſancta & boneſta: hodie verò non ita, ſed oppoſitũ, quoniam ex iniquitate paſtorum ipſi ſubditi mali ſunt. Propter qꝫ iſta ſponſa cernitur plena eſſe ſpinis multarum iniquitatum. Non quidem in ſemetipſa recipere poteſt aliquã læſionem, cuiuſcunq; putredinis peccatorum, quo ad ipſius veneranda Sacramenta: ſed illi qui nutriuntur ad vbera præfatæ ſponſæ, putredinẽ illam habẽt, & voluntariè recipiunt in animabus ſuis, auferendo ſibi dignitatem in qua poſueram eos: Non qꝫ in ſe dignitas illa minuatur in aliquo, ſed intuitu defectuum eorum, propter quos quàmplurimi vilipendunt hunc vnigeniti mei pretioſum ſanguinem. Quare frequentiſſimè ſeculares omittunt illam habere reuerentiam eis, ad quam obligantur virtute ſanguinis Ieſu Chriſti, quamuis ita facere nullo modo debeant. Et ſi perdant illam ipſorum huiuſmodi culpa, non eſt ideo minor, licet illi defectuoſi cognoſcantur, vt iam ſupra dixi: tùm ipſi miſerabiles & infœlices exemplum exhibent iniquitatis atque miſeriæ, vbi poſueram

ram

ram & elegeram eos, vt exhiberent exempla virtutum.

DE QVAMPLVRIMIS ALIIS defectibus Miniſtrorum.

CAPVT. CXXIII.

ATtende filia chariſſima, præfatorum iniquorum atq; miſerabilium miniſtrorum tantæ putredinis originem. Indubitanter ea eſt propria ſenſualitas, quam ex amore proprio dominã inſtituerunt, et animam infœlicem ſuam eſſe fecerunt, cum ego liberauerim eos ab omni ſeruitute, cum vnigeniti filij mei ſanguine totum humanũ genus à ſeruitute liberaui diabolica. Gratiam huiuſmodi recipit omnis creatura rationalis: hos verò quos vnxi, non ſolùm à ſeruitute diabolica liberaui, & eligendo conſtitui, vt mihi ſolùm æterno Deo ſeruirent, vobiſq; miniſtrarent Eccleſiaſtica Sacramenta, ſed illos etiam ab humana ſeruitute liberaui, taliter quod omnino prohibui atque prohibeo, vt ſecularis aliquis Dominus illos iudicet, vel aliquo modo puniat. Et attẽde filia chariſſima, meritum, quod mihi retribuunt pro tanto beneficio, quia quotidie me perſequuntur cum iniquitatibus, atque ſcelerata vita ſua, cum tanta peccatorum varietate, quod lingua tua narrare nequiret, et audiendo quaſi deficeres. Tamẽ aliqua tibi narrare volo ꝑpter ea quæ dixi, vt materiã ampliorem habeas compaſſionis atq; lachrymarum. Ipſi ſtare deberent iugiter in menſa fructiferæ crucis, ex

anxio deſiderio, ibiq; ſe nutrire cibo ſalutis animarũ amore mei. Et quanuis omnis alia creatura in ſe rationem habens, hoc ipſum agere teneatur: Iſti multò fortiùs obligantur, quos elegi vt vobis affectuosè miniſtrarent vnigeniti filij mei corpus & ſanguinem; & vt vobis exhibeant exemplũ vitæ ſalutaris: et vt cũ anxio atq; pœnoſo deſiderio ſequendo viam incarnatæ meæ veritatis, cibo nutriantur iugiter animarum veſtrarum, in menſa ſanctiſſimæ crucis: ipſi verò pro ſua menſa tabernas elegerunt, ibiq; iurant atque frequentiſſimè periurant, viuendo miſerabiliter in multis iniquitatibus, etiam in publico, ſicut homines excæcati ſine lumine rationis. Et ita ſunt effecti velut animalia totaliter immunda, propter huiuſmodi defectus, & verbis atque factis, & actibus in vita laſciua ſtudent: officium verò negligunt, immo frequenter ignorant, & aliquando perſoluendo, magis ore quàm corde perſoluunt, quoniam illud eſt à me remotum. Ipſi directè viuunt veluti ribaldi atq; luſores: & ex quo luſerunt atq; alienauerunt animas ſuas In manibus Dæmonum, ipſas exhibendo, ipſi malè conſumunt & alienant bona temporalia ſuarum Eccleſiarum, quæ receperunt in virtute pretioſi ſanguinis Ieſu Chriſti. Vnde pauperes priuati ſunt omni ſubſidio, quod habere tenentur: & Eccleſia non habet ea quæ neceſſaria ſunt in opportunis diuino officio. Vnde quia facti ſunt in ſe templum abominabile Dæmonũ, vilipendunt aduertere neceſſaria templo meo. Sed illud ornamentum quod in templo meo

facere

facere deberent, ob reuerentiam ſanguinis vnigeniti filij mei, faciunt in domibus eorum in quibus habitant. Et quod etiam deterius eſt, ipſi faciunt veluti ſponſus, qui ſponſam propriam ornat: ita faciunt iſti Dæmones incarnati, qui de ſubſtantia temporali ſuarum Eccleſiarum ornant abominabiles, atq; Dæmoniacas ſuas concubinas, cum quibus iniq; ſceleratiſſimè viuunt, & abſque verecundia quacunq; faciunt eas ad Eccleſiam cum aliis ambulare, atq; diuinis officiis intereſſe, dum ipſi miſerabiles in altari conſiſtunt ad conſecrandum vnigeniti filij mei corpus & ſanguinem. Nec erubeſcunt quòd infœlices illæ concubinæ filios eorum ad manum adducant, vt offerãt vnâ cum alio populo. O Dæmones incarnati, atque Dæmonibus deteriores, vtinam iniquitates veſtræ nõ eſſent ita publicatæ coram oculis veſtrorum ſubditorum, ex eo, quod ſi laterent eos, offenderetis tantummodo me, cum detrimento animarum veſtrarũ, proximo veſtro minimè noceretis, exhibendo ſceleratam vitam veſtram eis in exemplũ. Quare cum exemplo veſtro materiã præbetis, ne ſua peccata derelinquant, immo potiùs, vt illa ſiue maiora committant. Nunquid hæc eſt illa puritas quam à miniſtris meis opto & exigo? præcipuè cum ad celebrandũ accedunt ad altare? Puritas eiuſmodi videtur hæc eſſe tali miniſtro? quoniam manè ſurgit cũ inquitata, & contaminata mente: & corpore poluto iacuit in peccato mortali fætentis immunditiæ, deinde procedit ad celebrãdum. O tabernaculum Dæmonis, vbi eſt nocturna

vigilia cum officio diuino deuotè celebrato? vbi humilis oratio continua? In ipſo nanque tempore nocturno diſponere te debes ad ſacrum myſterium, quod habes manè perficere, cum vera notitia tui, te reputans indignum ad tantum, atq; tale myſterium: & cũ cognitione mei, quoniam ex bonitate mea te feci dignum: & non tuis meritis elegi te in miniſtrum meũ, & vt illud in creaturis meis virtuosè miniſtrares.

QVOMODO IN IPSIS MINISTRIS inuenitur eſſe peccatum contra naturam: Et de quadam viſione ſuper hoc habita.

CAPVT. CXXIIII.

NOueris amantiſſima filia, quia tantam puritatẽ ab eis, ac etiam à vobis in iſto venerabili Sacramento requiro, quãtam in vita præſenti homo poteſt habere. Vnde quantum in vobis eſt, quotidie conari debetis illam iugiter acquirere. Nôſſe nanq; debetis, quia ſi poſſibile foret, expediret etiam ipſam angelicam naturam in hoc venerabili Sacramento purificari, ſed omnino purificatione non indiget: quoniam in angelo peccati venenum occurrere non valet: hoc verò tibi dixi, vt intelligas quantam ab omnibus in iſto venerabili Sacramento puritatem exquiro, præcipuè tamen ab eis. Sed oppoſitum agunt, quia valde ſunt immundi, ne-

que

que ſolummodo de immunditia fragili, ad quam eſtis quodammodo naturaliter inclinati, quanuis virtuoſa ratio, quando vult, vnâ cum arbitrio libero vobis à mea bonitate tradito, refrenare poteſt huiuſmodi naturalem inclinationem atque rebellionem. Sed iſti miſeri non tantùm iſtam inclinationem in ſe refrenare non ſtudent, immo quod eſt valde peius, vacant illi Sodomitico peccato contra naturam. Et ipſi veluti ſtulti & excæcati, non vident, nec intelligunt huiuſmodi miſeriam putredinis in qua ſunt, eò quòd offuſcatum habent oculum intellectus, & attendere non videntur, quia propter abominabilem fœtorem, quem inde percipio, iuſto iudicio meo ſolùm ex iſto peccato, quinque ciuiuitates aliquando feci ſubmergi: quia iuſtitia mea noluit vltrà ſuſtinere tantam abominationem: quia non ſolùm ego qui ſumma ſum & æterna puritas, abominor enormitatem tanti criminis: Verùm & ipſi Dæmones abhorrent illud atque deteſtantur, quos ipſi miſeri voluntariè ſibi dominos effecerunt. Non quippe Dæmonibus diſplicet illud, vel aliud peccatũ, vt eis aliquod bonum virtuosè placet: Sed quia naturam habent angelicam, & ideo natura talis omnino vitat actualiter videre committi tàm enorme peccatum, quanuis ipſum peccatorem antea vulnerauerit venonata ſagitta concupiſcentiæ. Cùm verò peruenit ad actum huiuſmodi peccati, ſubitò fugiendo recedit occaſione prædicta. Vnde tu benè recolere debes, quod

ante

ante mortalitatem ego tibi patefeci, quantum erat abominabile mihi, & quantũ quaſi totus orbis ex iſto peccato corruptus erat. Unde leuando te ſupertemetipſam ex anxio deſiderio, & eleuatione mentis, oſtendi tibi mundum vniuerſum. Et quaſi peccatum hoc abominabile videbas in omni manerie gentium effuſum: & videbas, vt ego tibi monſtraui, Dæmones inde fugere, ſicut iam tibi dixi. Et ipſa tunc habuiſti tantam in mẽte tua pœnam ex illo fœtore, quòd quaſi videbaris tibi in mortis articulo laborare. Neq; videbas locum, in quo tu & alij ſerui mei ſtare poſſetis, ne à tali fœtore contaminaremini. Non enim inueniebas locum aliquem in quo tutò ſtare poſſes, nec inter paruos, nec inter magnos, nec inter antiquos, nec inter iuniores, nec inter religioſos, nec inter clericos, nec inter prælatos, nec inter ſubditos, nec inter dominos, nec inter ſeruos. Nam omnes quaſi videbantur iſta maledictione contaminari, mente ſimul & corpore. Tunc oſtendi tibi, non in omnibus hominibus particulariter, ſed in generali, de quacunq; manerie gentium, quia plurimi non ſunt ita contaminati. Nam inter malos & reprobos etiam aliquos mihi reſeruaui iuſtos & bonos, amore quorum iuſtitia mea refrenatur, ne lapidibus iniungam, vt eos in inſtanti conterant; atq; terræ, vt eos illicò deglutiat atque abſorbeat; & auibus, vt eos deuorent: atq; Dæmonibus, vt eorum animas, pariter & corpora ſecum aſportent. Immo vias atque modos inuenio, quantum eſt in me, vt habeant à me miſericordiam, hoc eſt,

vt

vt illi corrigant vitam ſuam. Ordino etiam ſeruos meos, qui omni lepra mortifera carent, veluti mediatores, vt pro eis intercedant in conſpectu meo; & illis aliquando patefacio huiuſmodi miſerias eorum, vt amplius & feruentius in corde ſollicitentur ad inquirendam ſalutem eorum, offerentes eos in conſpectu meo cum compaſſione maiori, atque dolore peccatorum illorum, & offenſæ contra me perpetratæ, me feruenter exorando, ſicut ego feci tibi. Quia ſi benè recolis, cum ex ordinatione mea tu percepiſſes vnam paruam ſcintillam huiuſmodi fœtoris, ad quandam extremitatem te cognouiſti deductam, vnde cordialiter exclamando dixiſti: O Pater æterne, miſerere mei, tuarumq́ creaturarum; vel animam meam à corpore ſubtrahas, quia mihi videor vltra tolerare non poſſe: vel mihi refrigerium exhibe; mihi locum oſtendendo, in quo poſſim vnâ cum aliis amicis tuis virtuosè acquieſcere, ne lepra talis vllo modo nobis obeſſe valeat, vel animas ſiue corpora contaminare. Ego verò tibi reſpondi, pietatis oculum ad te vertendo, dicens: Et nunc iteratò dico: Filia dilectiſſima, requies veſtra conſiſtit in hoc, vt laudem & gloriam quotidie nomini meo reddatis, adolentes iugiter deuotarum orationum incenſum in conſpectu meo, pro infœlicibus iſtis, qui iacent in tanta miſeria, quotidie prouocantes diuinum iudicium contra ſe propter iniquitates eorum: locus verò veſter in quo ſemper immoremini ſit vobis Ieſus Chriſtus crucifixus vnigenitus filius meus, habitantes

atq;

atq; latitantes in cauerna ſui pretioſi lateris, vbi guſtabitis ex amoris affectu, in illa ſua natura humana meam diuinã naturam; in corde ſuo ſic aperto inuenietis apertè meam atq; proximi charitatẽ. Nam propter honorem meum, & vt obediẽtiam iniunctam ſibi à me perficeret in ſalutem veſtram, velociſſimè cucurrit ad mortẽ opprobrioſam ſanctiſſimæ crucis. Cũ verò guſtaueritis hunc ineffabilem amorem, & cum diligentia conſideraueritis doctrinam eius, opere ſequemini, nutriendo vos iugiter in menſa ſanctiſſimæ crucis, ex charitate portantes, cum vera patientia defectus proximorum veſtrorum, ac etiam omnem laborem, pœnam atq; tormentum, vndecunq; proueniunt: et per modum hunc euadetis, lepramq́; fugietis. Iſte locus eſt & modus quem aſſignaui tibi, & aliis amicis meis. Tamen iſto remedio non obſtante, non auferebatur ab anima tua ſenſus illius perceptæ putredinis, nec ab intellectus oculo recedebant illæ tenebræ, quibus obfuſcata fueras, donec animæ tuæ fuit à mea bonitate prouiſum. Quare dum poſtea communicãt ſumendo venerabile Sacramentum corporis & ſanguinis vnigeniti filij mei, qui verè Deus eſt & homo, prout in altari ſumitis in ſignum apertæ veritatis, omnis fœtor ille ſubitò ceſſauit, vnà cum tenebris ex odore pariter & luce perceptis, in guſtu prædicti venerandi Sacramẽti, in tantum q odorem illius in ore ſimul & guſtu tuo, pluribus diebus admirabili modo retinuiſti & perſenſiſti, ſicut à bonitate mea fuerat ordinatum. Itaq; vides, amantiſſima filia, quantum abomi-

hominor in quacunq; creatura iniquitatē huiuſmodi, ſed valde magis in his quos à mundo retraxi & elegi, vt in ſtatu continentiæ mihi miniſtrarent. Aliqui in angelico ſtatu ſanctæ religionis, quidam autem in ſtatu plantationis, veluti fructiferæ plãtæ in agro myſtici corporis Eccleſiæ ſanctæ plantati, vt mihi fideliter in veritate miniſtrarent. Aures tuæ leniter audire non poſſent, neq; lingua tua narrare, quantùm iſte defectus abominabilis mihi diſplicet in eis, vltrà diſplicentiam, quam habeo generaliter in hominibus in vita ſeculari viuentibus: Ex eo ꝙ iſti ſunt veluti lucernæ ſuper candelabro collocatæ miniſtratores veri ſolis in lumine virtutis, & honeſtæ ſanctæque vitæ. Sed ipſi miniſtrant in tenebris. Et adeo tenebroſi ſunt, quòd ſacram paginam in ſe procul dubio luminoſam, quam hauſerunt electi mei cum lumine ſupranaturali, me verò lumine pandēte, ſicut alibi narraui tibi, ex eorum inflata ſuperbia frequenter interpetrantur in tenebris, & immundè viuentes non vident nec intelligunt aliquid inde, niſi litteralem corticem exteriorem, & abſq; ſapore quocunq; recipiunt illam, ex eo, quia guſtus animæ non eſt ordinatus, immo corruptus ab amore proprio, & elatione mentis & immunditia, ſtomachum habentes impletum, exoptantes inordinatas ſuas cõcupiſcētias adimplere. Repleti nãq; ſunt immunditia, cupiditate, curioſitate & auaritia, & abſq; verecundia ſua crimina publicè cõmittendo gloriantur, ac etiam vſuram à me prohibitam exercere multi miſeri non erubeſcunt.

QVO-

QVOMODO SVBDITI EX PRÆDIctis defectibus, quos in Prælatis aſpiciunt, ſe minimè corrigunt.

CAPVT. CXXV.

QVomodo poſſunt igitur iſti tot & talibus infecti vitiis, atq; repleti, de fratrib. arguere quẽquam, et iuſtitiã exercere de ſubditorum erroribus & defectibus? Nullo modo bona fronte poſſunt, ex eo, quia reproba vita propria tollit eis audaciã & iuſtitiæ ſanctæ zelũ. Et ſi quando vellent exercere iuſtitiam aliquam, audent eis infœlices atq; miſeri ſubditi dicere: Medice, primò cura temetipſum, & poſtea mihi præbe medicinãm; tu laboras.n. ægritudine grauiori quã ego, & arguere me contendis? Malè procul dubio facit ille qui ſolo verbo ſubditum arguit, & non cum ordinata ſanctaq; vita, ſiue ſit ille bonus ſiue malus, ordinatè tamen poteſt, immo debet in ſubdito ſuo peccatum arguere, ac etiam iuxta poſſe corrigere: ſed ipſe malè facit, quòd ipſe non arguit atq; corrigit verbo & exemplo virtutis & ſanctæ vitæ. Subditus verò grauiùs offendit non acceptando correctionem humiliter, à bono ſiue malo Prælato ſibi factam in ſalutẽ animæ ſuæ, vitam ſuã defectuoſam corrigẽdo, quia ſibi ſoli nocet, & non alteri: vnde ſolus ipſe tẽpore congruo punietur pro ſuis defectibus. Hæc omnia mala contingunt, quia Prælati non attendunt ad corrigendum ſubditos cum ſancta & exemplari vita. Et ideo non corrigũt, quia ab amore proprio ſunt excæcati, in

quo

quo fundatæ ſunt omnes iniquitates eorum: & non attendunt niſi ad perficiendas inordinatas voluntates atq; concupiſcentias ſuas: & ad iſta videntur omnes vacare iugiter tàm ſubditi quàm prælati, tàm clerici quàm religioſi. O filia mea dilectiſſima, vbi eſt hodie religioſorum obedientia, qui collocati ſunt in ſancta religione, velut angeli, & illorum quàm plurimi ſunt, Dæmonibus inferiores immo deteriores? Electi ſunt vt annuncient in veritate verbum meum in doctrina pariter & vita, & ipſi clamant verbo ſolummodo vocis, & ideo non ſequitur aliquis fructus in cordibus auditorum. Prædicationes eorum potiùs compoſitæ ſunt ad complacentiam hominum, & aurium pruritum & conſonantiam, quàm ad honorem meum vel animarum ſalutem. Ideo ſollicitè ſtudent non in ſancta vita, ſed vt verba ſua valde politè proferant cum quadam mundana ſiue facundia Tulliana. Iſti procul dubio non ſeminant vtile ſemen verbi mei realiter atq; ſalubriter, quia non attēdunt ad euellendum vitia, & plantandum virtutes. Vnde quia non extraxerunt ex horto ſuo ſpinas, ex horto proximorum euellere negligunt & omittunt, cellas proprias inutiliter & curioſè diſcurrendo per ciuitates, vnde contingit eis, uelut piſcibus accidit, qui quādo diu non exiſtunt in aqua procul dubio moriuntur. Ita religioſi vani, quandò morantur extra cellam inhoneſtè viuendo, vita gratiæ priuati moriuntur. Tales à ſua cella diſcedunt, de qua ſibi cœlum facere deberent, & eundo per vicos & plateas, curioſè viſitant amicorum ſiue conſanguineorum habitationes, & aliorum ſe-

cularium, vt inordinatè eorum voluntati placet & videtur. Quorum huiuſmodi culpa pro parte redundat in Prælatos eorum indiſcretos, qui concedunt huiuſmodi licentias amplas, & largas nimis & in diſcretas, & veluti miſeri paſtores & infœlices per effectum non aduertunt, nec curare videntur, videndo ſubditorum animas in manibus Dæmonũ: immo quod eſt etiã valde grauius, ipſimet ſunt in cauſa damnationis eorũ. Nam aliquãdo videntes illos eſſe diſſolutos, velut incarnati Dæmones, eos ad Monaſteria dirigunt, vbi nouerunt eſſe dæmoniacas moniales laſciuas & inordinatas: & ita cum ingenio ſubtili & admirabili vnus eſt cauſa ruinæ alterius, principium autem ipſorum ex operatione Dæmonis erit ſub colore deuotionis: ſed quoniam vtriuſque vita miſerabilis eſt atque laſciua, non diu durat iſtè color huiuſmodi ſimulatæ deuotionis, quia ſubitò fructus apparent huius infœlicis & inordinatæ deuotionis: & primò quidem apparent flores iniquè fœtentes immundarum & inhoneſtarum cogitationum: poſtea frondes verborum turpium, & ex vtraque parte procedentium: deinde ſuadente Diabolo venenata ſua deſideria perficiunt, fructus verò qui ſequuntur inde tu nôſti, quos aliquando vidiſti, quia filij ſunt: & aliquando deducuntur ad tale præcipitium ambo, quòd habitum ſanctæ religionis abicientes, apoſtatant vterq; ſcilicet ille ribaldus atq; miſer, & ipſa publica meretrix efficitur. Omnium iſtarum iniquitatum mali Prælati ſunt in cauſa, quia ſuprà ſuos ſubditos oculos habere neglexerũt: immo concedebant eis largam atq; inordinatam licentiam, & viden-

videntes & agnoſcentes eorum iniquitates, videre diſſimulabant, & quia ſubditus non fuit in cella delectatus, & ita per vtriuſque defectum incidit in mortem, lingua tua faciliter enarrare nequiret, in quot & quàm varijs modis offendere me conantur. Facti ſunt arma Diaboli, & cum fœtore ſuo venenosè corrumpunt intùs & extrà, videlicet in religione ſancta, ſed extrà ſecularium aſpectum, priuati charitate fraterna ſunt, & quilibet optat atq; contendit eſſe maior, & contra paupertatis votum propria poßidere conantur. Ipſi promiſerũt ordinem obſeruare, ſed in facto miſerabili modo trãſgrediuntur; immo quod eſt valde peius, non ſolũ ipſi tranſgrediuntur ordinẽ, ſcilicet veluti lupi rapaces inſurgunt & perſequuntur bonos & humiles, qui ordinẽ conãtur obſeruare, faciendo ſuper eos truſas atq; deriſiones, exiſtimantes ex his deriſionibus quibus obſeruatores ordinis ita perſequuntur, ſuam propriam cooperuiſſe miſeram vitam, ſed ex hoc apertiùs ipſi patefaciunt illam, & ideo tot inconuenientia in ſanctis religionibus occurrunt. Sanctæ quippe ſunt in ſe, quia factæ ſunt atq; fundatæ realiter à Spiritu ſancto, ideo non eſt defectus in ordinibus, ſed in tranſgreſſoribus. Ideo minimè e-duntur propter aliquem defectum ſubditorum, ſiue malorum religioſorum. Ex hoc ergo qui cupit aliquam ingredi religionem, non debet attendere, neque ſequi mores eorum, qui viuunt inordinatè tranſgrediendo regulã, immo ſuper brachia ſanctæ religionis approbatæ nauigare debet, quæ non infirmatur in ſemetipſa, nec infirmari poteſt in ijs qui ſeruẽter vſq; ad mortem illã obſeruãt.

Dicebam quòd ſanctæ religiões, ex defectu prælatorum, atq; peruerſorum ſubditorum ad tantam relaxationem adductæ ſunt, quòd illi qui ſimpliciter ordinem obſeruare conantur, iudicantur à tranſgreſſoribus, veluti culpabiles & valde repræhenſibiles, ex eo, quia minimè ſequuntur inordinata veſtigia ipſorum: ipſiq; peruerſi cæremonias quas benè ordinauerunt, obſeruare ſtudent ſolùm in oculis hominum ſecularium ad complacendum eis: & vt eorum inordinationes atq; defectus aliqualiter operiantur. Itaq; vides, quòd votum primum obedientiæ, quo promiſerant ordinem obſeruare non implent, de qua quidem obedientia tibi loquar in alio loco. Vouerunt inſuper obſeruare paupertatem voluntariã atq; continentiam: hæc autem qualiter obſeruent vide poſſeſſiones, & abundantiam pecuniarum, quas in ſua ſingularitate poßident, à charitate communi ſeparati, non communicando cum ſuis fratribus tàm temporalem quàm ſpiritualem ſubſtantiam, vt ordo charitatis, ac ſacra religio diſponit & ordinat. Ipſi verò ſolummodo ſtudent impinguáre ſemetipſos, animalia ſua, & ſic vna beſtia nutrit aliam & interim frater eius ſame cruciatur, & affligitur ingenti frigore, velut inops atq; pauperculus. Poſtquam enim abundantißimè pro ſe fulcitus eſt pannis & pellibus, & quotidie nutritur, & vtitur in ſua menſa curioſis epulis, vltra de fratre ſuo pauperculo non curat, & ideo renuit eſſe cum eo in paupere menſa refectorij. Sollicitè ſtudet adeſſe, vbi carnibus implere poßit atque ſanare propriam gulam, vnde poſtea videtur impoßibile, quòd ipſe tertium continentiæ votum obſer-

uare

uare valeat. Quia plenus venter non gignit mentem caſtam. Immo laſciui fiunt huiuſmodi cum inordinatis concupiſcentijs, & ita procedunt de malo in peius. Et multa mala contingunt eis ex eo, quia poſsident iſta temporalia, quia niſi haberent ad expendendum, non ita viuerent inordinatè, nec haberent amicitias inutiles & curioſas. Quia quando quis non habet vnde largiatur, amicitia quæ non eſt in vera charitate fundata, ſed in amore doni vel alterius complacentiæ, quam vnus ab altero recipit, non diu permanet. O miſerabiles, in tanta miſeria collocati propter eos defectus, quibus ſe voluntariè ſubiecerunt cum ego collocauerim eos in tanta dignitate; ipſi vitant ad eos accedere velut ad locum venenatum, & ſi quantiſper ibi morantur voce clamant, cor autem eorum eſt valde remotum à me, ad altaris mēſam accedunt ex quadam conſuetudine magis quàm ex aliqua deuotione, ſiue præcedenti quacunq; diſpoſitione, quemadmodum irent ad menſam corporalem: hæc & alia multa mala, de quibus tibi dicere nolo, ne grauentur ſiue maculentur aures tuæ, ſequuntur ex defectibus paſtorum, & eorum ignauia, quia non corrigunt ſubditorum ſuorum defectus, neque curant vel aliquem oſtendunt habere zelum, vt ordo ſeruetur quem in ſe non ſeruant ipſi. Sed iniuſtè ponent aliquando lapides graues obuiarum, quæ moleſtabunt humilis ordinis obſeruatores, eos iniuſtè puniendo de culpis, quas in veritate minimè commiſerunt. Totum hoc accidit, quoniam in tali Prælato, prætioſa Margarita iuſtitiæ minimè refulget, immo ſolùm iuſtitiam regnat in pectore ſuo; & ideo pu-

nit iniuſtè ſubditum, qui meretur habere gratiam, atq; beneuolentiam, & illis qui ſunt Diaboli membra, ſicut ipſe dat amorem, iucunditatem, & ſtatum ordinis officia talibus imponendo. Ipſi velut excæcati viuunt, & velut excæcati præbent ordinis officia, & ita ſubditos inordinatiſſimè gubernant. Et niſi ſe correxerint in vita præſenti, cum iſta cæcitate ſua peruenięt ad tenebras æternæ damnationis. Et oportebit vt ante me ſuum iudicem, diſtrictam rationem exhibeant, de ſubditorum animabus: & quia malè mihi reddere poterunt, ideo iuſtè recipient à me quæ recipere merentur.

QVOMODO IN DICTIS INIQVIS Miniſtris Eccleſiæ, regnat luxuriæ peccatum.

CAPVT. CXXVI.

CHariſſima filia, dixi tibi ſcintillam paruã de vita Religioſorum, & cum quanta miſeria viuunt in ſancta religione, cum ouium veſtimento, cum ipſi ſint lupi rapaces: nunc verò tibi narrare diſpono, de defectibus clericorum atq; miniſtrorũ Eccleſiæ ſanctæ, tecum iuſtè conquerendo de prædictis eorum defectibus, vltrà defectus quos aliás tibi narraui, ſuprà tribus columnis vitiorum, videlicet de immunditia, inflata ſuperbia, & cupiditate: Quoniam ex cupiditate ſancti Spiritus vendebant gratiam, vt iam tibi dixi. Iſtorum trium vitiorum vnum ab altero dependet, & iſtarum columnarum amor proprius eſt cauſa. Iſtæ columnæ dum erectæ conſiſtunt, & amore virtutum non deijciuntur

ad

ad terram, & omnino non ruunt: Verùm ſufficiunt animam tenere ligatam, & obſtinatam in quolibet alio vitio. Quoniam omnia alia vitia, ſicut iam ſupradictum eſt, oriuntur ab amore proprio: nam ab amore proprio principale ſuperbiæ vitium oritur: homo namq; ſuperbus, vtiq; priuatus eſt amore charitatis, & à ſuperbia procedit ad immunditiam, & ad auaritiam: & ſic homines per ſemetipſos incatenantur atque ligantur in catena Diaboli. Nunc ô chariſſima filia, reſpice cum quanta miſeria fœtentis immunditiæ, maculant iſti miſeri corpus atq; mentem ipſorum, vt aliqua iam tibi dixi. Sed aliquid addere volo, vt apertiùs agnoſcas erubeſcentem fontem miſericordiæ meæ, & ampliori compaſſione mouearis ad hos infœlices, quos iſta tangunt. Sunt aliqui ita impleti dæmoniaca conditione, quòd non ſolummodo carent omni reuerentia circa venerabile Sacramentũ, excellentiam vilipendẽdo, in qua collocaui eos ex inæſtimabili bonitate mea: ſed ipſi velut immemores ex affectione miſera, quam circa creaturam aliquam habent, cum ab illa obtinere non valent quod optant, agũt aliquas incantationes, inuocando Dæmones, & cum venerabili Sacramento, quod eſt vobis exhibitum, in cibũ vitæ facient ſua maleficia mortifera, vt infœliciſſima deſideria ſua perficere valeant, ac inhoneſtas voluntates eorum executioni mandare. Et ouiculas illas, de quibus ipſi debent habere curam, ipſis prouidendo ſpiritualiter atque corporaliter, his & alijs modis affligendo cruciant. Et vt etiam ipſa vidiſti, eas ire compellunt velut inſanientes & mente captas. Et ita violenter acquie-

ſcere eas faciunt his quæ ſunt vltra voluntatem ipſarũ, propter maleficia quæ fecerunt iſti Dæmones incarnati. Et aliquando propter huiuſmodi violentiam, quã ipſæ reſiſtendo ſubſtinent earum corpora grauiter affligũtur. Et quoniam hæc & multa alia mala tu plenè nôſti, de miſerabili & inboneſta vita eorum: vltra non expedit in præſenti replicare. O chariſſima filia, carnem humanam vltra choros angelorum exaltatam, ex vnione diuinæ naturæ cum humana veſtra natura, taliter iſti miſeri & infœlices vilipendunt atq; tanto fœtori ſubijciunt. O miſer & abominabilis homo, non homo ſed animal immundum, quia carnem tuam oleo ſancto perunctam, & mihi conſecratam abſq; verecundia meretricibus exhibes, ac etiam deterius inquinas. Carni tuæ totiuſq; ignis humani fuit ablata plaga, qua vulnerauerat eam Adam ex inobedientia ſua, ſuper ligno ſanctiſſimo crucis, virtute plagati corporis vnigeniti filij mei. O miſer, ipſe te honorauit, & econuersò tu irrogas ei cõtumeliam. Ipſe vulnera tua ſanauit pretioſo ſanguine ſuo: & quod amplius eſt, ipſe tibi commiſit ipſum ſanguinem omni populo ſuo miniſtrandum, & tu vulneras eum quantum eſt in te, cum huiuſmodi peccatis inhoneſtis atque laſciuijs: ipſe veluti bonus paſtor abluit oues ſuas in ſanguine ſuo, & tu lotas inquinando fœdas, quia iuxta poſſe tuum in fœtentiſſimo ſubmergis eas. Tu debes eſſe ſpeculum honeſtatis, & econuersò tu es exemplum inhoneſtatis, & immunditiæ. Omnia membra tui corporis, vt apparet, miſerabiliter ad operandum diſponis: & oppoſitum agis eius quod vnigenitus filius meus egit.

egit. Nam ego ſuſtinui, quòd eius oculi velarentur, vt oculi tui ſalubriter illuminarentur, tu verò cum tuis oculis laſciuis venenata ſagitta percutis animam tuam, & iuxta poſſe conaris vulnerare cor illarum creaturarum, quas ita corrupta mente reſpicis. Ego ſuſtinui, quòd aceto felle mixto potaretur, & velut animal inordinatum auidè tibi procuras epulari ſplendidè, quodammodo faciendo tibi de ventre Deum, vel idolum, in tua lingua iugiter habes inhoneſta verba cum vanitate multa, quàm exercere deberes in admonendo proximũ, in annunciando verba mea, & in perſoluendo diuinum officium, vt obligaris ore pariter & corde. Ego autem ex illa ſolummodo ſentio fœtorem, iuras enim atque ſæpè periuras, etiam blaſphemando inſtar vilis ribaldus. Ego ſuſtinui, quòd illi ligarentur manus, vt te ſimul, & humanũ genus à culpæ vinculo ſolueret. Manus tuæ cõſecratæ ſunt, & vnctæ ad miniſtrandum uenerabile Sacramentũ. Tu verò eas exerces in tactibus immũdis & in honeſtis. Omnia opera tua quæ p man⁹ intelligũtur corrupta ſunt, et in obſequiũ Diaboli parata & ordinata. O miſer homo, ego te collacaui procul dubio in dignitate magna, vt mihi ſoli ſeruias tu & omnis alia creatura habẽs in ſe rationem. Ego ſuſtinui, quòd ipſi filio meo pedes affigerentur, faciendo tibi ſcalam de corpore ſuo: & volui ſibi coſtatum aperiri, vt ipſa ſecreta cordis apertè videre poſſes. Ipſum vobis ego conceſſi, velut apothecam apertam, vbi poſſitis videre pariter & guſtare ineffabilem amorem, quem ad vos habeo, reperiendo naturam in eo diuinam vnitam veſtræ naturæ humanæ.

Ibi videre potes, quòd ille ſanguis eius de quo te feci miniſtrum, eſt veluti ſalubre balneum ad abluendum tuas & aliorum iniquitates: tu verò de corde tuo feciſti Dæmoni templum. Tuus etiam affectus, qui pro pedibus intelligitur, in ſe non habet, nec offert in conſpectu meo, niſi putredinem atq; vituperium. Ipſi pedes tui non deferunt, niſi ad loca Diaboli, ita cum toto corpore tuo tu percutis vnigeniti filij mei corpus, ex eo, quia facis oppoſitum omnium quæ fecit ipſe, ac etiam eorum quæ facere teneris: iſta tui corporis inſtrumenta ſonum tenuerunt inordinatum atq; malum, ex eo, quia tres animæ tuæ potentiæ congregatæ ſunt in nomine Dæmonis, vbi congregare debueras in nomine meo. Memoriam debuiſti tenere plenam beneficijs à me gratioſè receptis: tu autem in ipſa conſeruas inhoneſtatem, & alia multa mala. Oculum inſuper intellectus cum lumine ſanctiſſimæ fidei debuiſti ponere in obiectum Ieſu Chriſti crucifixi, à quo miniſter electus es: tu verò propoſuiſti tibi ſtatum, atque delicias vitæ præſentis cum vanitate multiplici: & tuus affectus amare me ſolummodo debet abſque medio: tu verò, modo damnabili creaturas inordinatè diligis, atq; miſerabile corpus tuum, inſuper alia animalia tua plùs amare conuinceris, quàm me Dominum tuum. Et quid hoc apertè demonſtrat? Impatientia quam erga me demonſtras, auferendo tibi quicquam ex his quæ diligis, atque diſplicentia quam erga proximum habes, quando tibi videtur aliquod habere detrimentum ab eo? Nā ipſum habes odio cum blaſphemia, & charitatem eius atque meam apertè multùm offendis.

dis. O miſer & infœlix, effectus es veluti miniſter diuinæ meæ charitatis igniferæ: tu verò propter inordinata deſideria tua propriâ pro paruo temporali detrimento perdis illum. Attende, filia charißima, quoniam hæc eſt vna de illis tribus miſerabilibus columnis, de quibus iam tibi ſuprà dixi.

QVALITER IN PRAEDICTIS MIniſtris auaritia regnat, etiam ad vſuram præſtando.

CAPVT. CXXVII.

N*Vnc ergo tibi de ſecunda columna, videlicet de miſerabili auaritia narrare diſpono, quam ego ſatis abhorreo, pro eo, quòd infœlices iſti vendere conantur illud, quod vnigenitus filius meus tanta liberalitate donauit eis. Attendere namq; debent ipſum in ligno crucis apertum, & ex toto laceratũ, vndiq; ſanguinem effuſum. Non enim redemit homines auro, vel argento, immo ſuo ſanguine pretioſo propter amoris abundantiam. Neq; redemit vnam ſolummodo mundi partem, immo quantũ in eo fuit, ex ampliſsima charitate ſua redemit vniuerſum genus humanum, præteritos videlicet, præſentes & futuros: neq; vobis exhibuit huiuſmodi ſanguinẽ abſq; igne, ꝑ eo, quòd cũ igne feruentis amoris vobis illum impendit. Neq; recipiſtis iſtũ ignem & ſanguinẽ abſq; natura diuina: quoniã in ipſo fuit pfectè vnita cũ humana natura ueſtra: & huius vniti ſanguinis ex affectu tã exceſsiuæ charitatis iſti miſeri miniſtri effecti ſunt. Et ipſi cũ auaritia tanta, & cupiditate deteſtabili*

bili, quòd à filio meo pretio tanto & ingenti charitate redemptum eſt in cruce, videlicet animas, ita vilipendunt, & malè tractant. Atq; theſaurum eis gratis cõmiſſum, ex quo miniſtri facti ſunt huius pretioſi ſanguinis in auaritia tanta diſpenſant, quòd etiam ſancti Spiritus gratiam vendere ſatagunt, quam ipſi gratis acceperunt, vt alijs etiam ipſi ſimili modo miniſtrent: ſed econuerſò ſubditos à ſe redimi faciunt, quando ipſi ſubditi petunt, quod ſibi gratis conceſſi. Tales non habent os auidum, vt apertè videtur, ad guſtandum, & manducandum eſcam animarum ad honorem meum: immo ſolùm ad deuorandum pecuniam. Et ita ſunt in charitate reſtricti ſuper eo, quod ipſi liberaliter acceperunt, quòd in eis per gratiam habitare nequeo, neq; proximus per amorem. Subſtantiam temporalem quam ipſi acceperunt abundanter virtute pretioſi ſanguinis Ieſu Chriſti laſciuè conſumunt, viuendo luxurioſè cum mulieribus & hominibus inhoneſtis, & attinentibus eorum, nutrientes vituperabiliter adulteros filios ſuos. Et ſolùm attendentes ad ſemetipſos, veluti fures atq; latrones digni morte æterna, furantur ea quæ ſunt Eccleſiæ & pauperum Ieſu Chriſti. O miſerabilis, vbi ſunt filij dulcium atq; realium virtutum quas habere debetis? Vbi eſt ingens, & affectuoſum deſiderium circa meum honorem, atq; ſalutem animarum? Vbi eſt ille dolor atq; cruciatus quo ſalubriter affligi debes videndo lupum infernalem auferentem atq; deuorantem ouiculas meas? Non adeſt. Quoniam in arcto corde tuo atq; ſimilium tuorum, amor mei atq; proximorum tuorum non eſt, neq; etiam capere

poteſt

poteſt in eo. Tu ſolummodo diligis temetipſum amore priuato, atque ſenſitiuo, cum quo venenas temetipſum & alios. Tu es ille Dæmon infernalis, qui deuoras eas cum inordinato amore. Aliud non videtur appetere gula tua. Et ideo minimè curas, quanuis ille Dæmon inuiſibilis eas aſportet. Tu ipſe Dæmon viſibilis effectus es inſtrumentum, vt ad inferna deſcendant. Quos veſtis atq; pinguefacis de ſubſtantia Eccleſiæ? Temetipſum & alios Diabolicos viros vnâ tecum, ſimul & animalia tua: videlicet pulchros equos ornatos, quos in ſtabulo tuo tenes, non ex neceſſitate, ſed ex curioſitate propter inordinatas concupiſcentias tuas. Tu deberes contentari, ſi neceſſitati ſatisfactum eſſet. Iſtæ ſuperfluæ concupiſcentiæ ſolent eſſe ſecularium hominum, vitæ præſentis: delectationes verò tuæ deberent eſſe circa pauperes, etiam infirmos viſitãdo, ſubueniẽdo neceſſitatibus eorũ ſpiritualiter atq; tẽporaliter. Ex hoc te præcipuè feci miniſtrũ, atq; tantã exhibui dignitatẽ. Sed quia tu brutum animal effectus es, ideo delectaris in animalibus illis. Tu verò non vides veluti excæcatus: quia ſi videres, & attentè conſiderares æterna ſupplicia, quæ tibi parata ſunt niſi te correxeris, nullo modo faceres: immo doleres de præteritis tranſgreſſionibus, atq; præſentes virtuosè vitares. Ergo filia chariſſima, conſiderare potes, quàm iuſtè conqueri debeo de miſeria miniſtrorũ iſtorũ. Et cũ quanta liberalitate dotaui eos, atq; magnificaui, & ipſi cum quãta miſera cupiditate degenerant, & abominabiles atque reprobi fiunt. Ad hoc etiam aliqui augent ſuas iniquitates, ad vſuram videlicet præſtando, non quòd quaſi vſur-

vſurarij publicè tendiculam in oſtio ſuo teneant: Sed cum ingenio ſubtili, exquiſitò tempus venundare procurant proximo ſuo, ex cupiditate ſua peruerſa, quod omnino prohibitum, & illicitum eſt. Et ſi eſſet aliquod enxenium parui valoris, & ipſe cum intentione ſua recipiat in loco pretij pro ſeruitio commodatæ pecuniæ, tanquam vſura reputabitur: & quicquid aliud accipiet pro tali tempore. Ego conſtitui miſerum huiuſmodi, vt ipſe ſecularibus hoc interdicat: & ipſe facit ita. Et inſuper addo, quòd ſi quis ad eum vadit pro conſilio ſuper tali materia, quando inuolutus eſt in eodem defectu, & quia lumen rationis amiſit, conſilium eius tenebroſum omnino eſt atq; paßionatum ex eo, quòd anima ſua ſimili paßioni ſubiacet. Iſti cum alijs pluribus defectibus, oriuntur à corde ſuo cupido, & auaro. Tali congruè dici poteſt verbum veritatis incarnatæ: quando facto flagello de funiculis eiecit vendentes & ementes à templo, dicẽs: Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Tu benè vides, dulciſsima filia, quòd ita ſe veritas habet: ipſi vendunt & emunt quaſi mercataturam agentes de gratia Spiritus ſancti. Et ſic manifeſtè patet, quòd illi qui volũt Eccleſiaſtica beneficia multa, largiuntur enxenia ſimul, & pecunias illis qui ſtant in circuitu Curiæ. Et illi miſeri fautores attendere negligunt, vtrum ſint boni vel mali. Sed vt complaceant, & amore doni percepti ſatagunt huiuſmodi plantam verè putridam, in viridario ſanctæ Matris Eccleſiæ collocare: vnde facient ex hoc optimam ſummo pontifici rationem? Et ſic vterque fraudulen-

dulenter incedit cum vicario Ieſu Chriſti, vbi deberent cum veritate purè procedere. Sed ſi vicarius vnigeniti filij mei depræhendit huiuſmodi defectum illorum, vtrunque punire debet auferendo beneficium indigno, niſi vitam ſuam emendauerit. Alter verò qui emit, congruè poneretur in carcere, donec de ſuo defectu videatur eſſe correctus, vt alij timeant ita de cætero perpetrare. Si ſummus pontifex ita faciet, procul dubio ſuccedet ad honorem meum, & debitum eius. Sin autem de iſto peccato punietur, quoniam compelletur ante me reddere rationem de ſuis ouibus, crede filia dilectiſſima, quòd hodie non ita ſeruatur: & ideo tot in Eccleſia mea defectus oriuntur ex eo, quia quando promotiones in Eccleſia fiunt, non inquiritur de vita promouendorum, vtrum bona ſiue mala fuerit. Et ſi quid inquiritur, interrogantur illi qui cum eis ſimul malæ vitæ ſunt, qui non aliter exhiberent atteſtatores, niſi prout ſe percipiunt eſſe maculatos. Et hodie præcipuè reſpicitur ad alicuius ſtatus altitudinem, vel nobilitatem huius miſeri corporis, vel ad temporales diuitias: & quod valdè politè loqui nouerit promouendus. Et quod eſt valde mirabile, immo deteſtabile, in conſiſtorio quandoque dicitur & allegatur, quòd pulcher eſt homo: attende diabolicum opus, quia deberet inquiri de ornatu, & pulchritudine virtutis, & inquiritur & attenditur de pulchritudine corporis, & corticis exterioris. Deberent inquiri pauperes humiles, qui vitarent ex humilitate prælationes iſtas, & aſſumuntur illi qui cum vanitate multa, & inflata ſuperbia, & ambitione quærunt.

Atten-

Attendunt etiam ad ſcientiam, quæ ſi eſt in homine bonæ vitæ cum humilitate vera, bona quidem eſt & perfecta. Cùm autem eſt in homine ſuperbo, inhoneſto, & vitæ ſceleratæ, quaſi venenum eſt ei: neq; de Scriptura quicquam intelligit, niſi ſecundum exteriorem corticem literæ, in tenebris eam intelligit, quia caret omnino lumine rationis, & offuſcatum habet oculum intellectus, in quo lumine rationis declarata fuit, & intellecta cum lumine ſupernaturali Scriptura ſacra, prout apertiùs alibi tibi dixi. Itaq; ſcientia procul dubio in ſe bona eſt, ſed non in eo qui iugiter abutitur ea, immo efficitur ſibi velut ignis inferni, niſi vitam ſuam virtuosè correxerit. Et ideo potiùs eſt attendẽdum ad hominẽ ſanctæ vitæ, quàm ad hominem ſcientificum qui malæ uitæ fuerit: frequentiſſimè tamen fit oppoſitum, immo boni & uirtuoſi ſi in ſcientia ſint, idiotæ, ſtulti reputantur, atque contemnuntur ab eis: pauperculos quoque uitant, quia nihil habent ad largiendum. Itaque uides, quòd in domo mea, quæ debet eſſe domus orationis, ubi relucere debet iuſtitiæ ſanctæ lumen & ſcientiæ cum honeſta ſanctaq; uita, cum odore uirtutis, mendacium abundantiſſimè uidetur. Debet & uirtus paupertatis uoluntariè lucere, cum ſancta ſollicitudine circa curam animarum, ut exuantur à poteſtate Dæmonum. Sed omnes quaſi ſatagunt, & appetunt aggregare diuitias, & tantam diligentiam atq; ſollicitudinem erga temporalia ſumpſerunt, ut omnino ſpiritualia reliquiſſe uideantur: nec ad alia communiter attendere uidentur, niſi ad ludendum, & ad riſum, & ad multiplicandum huiuſmodi ſubſtantiam. tempo-

temporalem, & velut inanes attendere non videntur, quod hic eſt modus vt illam amittant. Nam ſi virtutibus abundarẽt, & haberent ad ſpiritualia diligentiam, vt obligantur, abſq; dubio temporalibus abundarent. Et multas rebelliones paſſa fuit Eccleſia ſancta, quas indubitantiſſimè non habuiſſet, ſi ſpiritualia curâſſet. Ipſi debent dimittere mortuos, tradere ſepulturæ mortuos proprios, & virili virtute ſequi doctrinam veritatis, videlicet Ieſu Chriſti filij mei, vt in eis mea voluntas virtuosè perficiatur: hoc eſt illud agere, propter quod eos elegi, & in tantá dignitate collocaui. Sed oppoſitum agunt, quia moribunda & iſta tranſitoria, cum affectu nimis in ordinato ſepelire contendunt, & auferunt offitium de manu ſecularium. Hoc autem mihi valde diſplicet, atq; damnoſum eſt Eccleſiæ ſanctæ, quia deberent illa gubernanda permittere ſecularibus, videlicet illis qui poſiti ſunt ad huiuſmodi regimen temporalium, vt vnus mortuus congruè ſepeliat alium. Et quia dixi, quòd vnus mortuus alium ſepeliat: Attẽde, quod duplici modo mortuum intelligo, vnus eſt, quando miniſtrat aliquis iſta temporalia cum culpa peccati mortalis, videlicet per inordinatum affectum atque ſollicitudinem. Alius modus eſt, quando eſt corporis officium, quod nõ habet in ſe vitam, niſi quantum habet ab anima. Et tantum de vita participat quantum anima trahit in eo moram, & non vltrà: & ideo per ſe res mortua poteſt appellari. Debent igitur vncti atque miniſtri mei, qui velut angeli viuere debent, dimittere mortuis iſta moribunda & terrena, ipſi verò gubernare debent animas

quæ ſemper viuunt, & nullo tempore moriuntur: quantum ad eſſentiam gubernantes eas, ac eis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrantes, & alia dona ſancti Spiritus, eas alendo cibo ſpirituali verbi Dei, & exemplo ſanctæ vitæ, & iſto modo mea domus erit locus orationis abundando iuſtitijs & virtutibus eorum. Et quia nō ita faciunt, immo contrarium video per experientiam, ideo congruè dicere poſſum, quod eſt effecta ſpelunca latronū, ex eo, quod ex auaritia ſunt effecti mercatores, ementes & vendentes, vt iam dixi. Et eſt effecta receptaculum animalium, ex eo, quia viuunt vt animalia bruta cum inhoneſtate fœtida. Et hoc enim ex illa fecerunt veluti ſtabulum, quoniam iacent in luto miſerabilis inhoneſtatis. Et ita tenent in Eccleſia dæmoniacas concubinas ſuas abſq; verecundia, ſicut ſponſus honorificè ſpōſam in domo ſua retinet. Itaq; vides hæc & alia multa mala, quæ tranſeo pro præſenti, quæ procedunt, & oriuntur ab his duabus columnis abominandis, videlicet immunditia, cupiditate, & auaritia.

QVOMODO SVPERBIA REGNAT in prædictis Miniſtris, per quam ſenſus perditur.

CAPVT. CXXVIII.

NVnc filia amantiſſima, de tertia columna, videlicet de ſuperbia dicere volo: & quanuis illam vltimo loco ponam, ipſa tamen eſt prima pariter & vltima: quoniam omnia vitia condita ſunt, & ortum habent à ſuperbia, ſicut virtutes vitam habent & condun-

conduntur à charitate. Superbia nanq; nutritur, & oritur ab amore proprio ſenſitiuo, de quo tibi dixi, quod erat fundamentum iſtarum trium columnarum & omnium malorum quæ creaturæ committunt, pro eo, quòd ille qui ſe diligit amore ſic inordinato, priuatus eſt amore mei, quia me non amat. Non amando me iugiter offendit, quia præcepta legis apertè tranſgreditur, ex eo, quia me non amat ſuper omnia, neq; proximum veluti ſeipſum. Et hæc euidentiſſima ratio eſt, quia qui ſemetipſum amat hoc amore priuato atq; ſenſitiuo, mihi minimè ſeruit, neque me diligit, immo mundum amat, & ei ſeruit. Mundus enim atq; ſenſitiuus amor iſte priuatus à me valdè diſcrepant, nec aliquam habent conformitatem mecum. Et quia tantùm ab inuicem diſcordamus, ideo neceſſarium eſt quòd ille, qui mundum amat hoc amore ſenſitiuo et ei ſeruit, odio me habeat: & ille q̃ me diligit, neceſſarium eſt vt mundum habeat odio, iuxta verbum vnigeniti filij mei, dicentis in Euangelio: Quòd nemo poterat ſeruire duobus dominis aduerſis atq; contrarijs: quia ſi vni ſeruit, alteri diſplicebit. Itaq; vides apertè, quòd amor iſte priuatus ſenſitiuus atque proprius animam expoliat, & priuat omnino charitate mea, induit eam vitio elationis atque ſuperbiæ: vnde defectus omnis oritur ab hoc amore, velut à principali fundamento. Et quanuis ego meritò conqueri poſſim de quacunque creatura rationali, quæ tali peccato polluta, & inuoluta fuerit, valdè tamen amplius habeo diſplicentiam de Chriſtis, & vnctis meis, qui magis humiles eſſe debent: tùm, quia quilibet

libet obligatur habere virtutem humilitatis, quæ charitatem alit veluti baiula ſiue nutrix, tùm quia etiam miniſtri facti ſunt humilis agni, dulcis, & immaculati vnigeniti filij mei. Et quomodo non erubeſcunt ipſi pariter, & omnis humana generatio montem aſcendere ſuperbiæ? Conſiderando me dominum æternum hominibus inclinatum & humiliatum, cum humano generi tribui verbum vnigenitum filium meum in carne veſtra mortali, vt vos homines ab æterna morte redimeret. Et ipſum uerbum filium meum videt ex obediẽtia mea, pro ſalute veſtra, cum humilitate profunda & inæſtimabili charitate mortem crucis opprobrioſè ſubijſſe. Caput habet inclinatum, vt te peccatorem affectuoſa charitate ſalutet: coronam in capite, vt ab eo poſsis honorari: brachia tenet aperta & extenſa, quia te cupit amplexari: pedes habet affixos, quia te vult exſpectare tecumque morari. Et tu miſer homo, qui factus es ab eo miniſter, tantæ benignitatis & humilitatis deberes amplecti crucem, & tu renuis & amplexaris mundum, & iniquas creaturas. Tu deberes eſſe firmus & ſtabilis incarnatæ veritatis imitando doctrinã, fingẽdo mentẽ atq; cor tuum in eo, & tu circumuolueris vento, & vna quæque parua res te commouere facit. Si tibi proſperitas adeſt, illicò moueris ex inordinata lætitia: ſi autem aduerſitas occurrit, ex impatientia turbaris, & ita pateſacis apertè ſuperbiæ medullam, videlicet impatientiam: quia ſicut medulla charitatis eſt vera patientia, ſic impatientia eſt medulla ſuperbiæ: vnde ſuperbi & iracundi frequentiſ-

ſimè

ſimè turbantur, atque ſcandalizantur de quacunq; parua re. Superbia mihi diſplicet in tantum, quod etiam à cœlo ruit cum Angelo ſuperbire placuit. Superbia nunquam aſcendit in cœlum, immo de cœlo deſcendit in profundum inferni. Et ideo veritas ait in Euangelio: Qui ſe exaltat, videlicet per ſuperbiam, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Superbia mihi diſplicet in omni manerie gentium, ſed valde magna in huiuſmodi miniſtris, vt iam dixi, ex eo, quia ſunt in humili loco à me collocati, vt agno manſueto & humili virtuoſè miniſtrent: ſed ipſi faciunt oppoſitum multi. Robore ſuffundi deberet ille Sacerdos verè miſer, volēdo ſuperbire, conſiderando me vobis humiliatum, & exhibendo vobis vnigenitum filium meum. Ipſe meus vnigenitus humiliatus eſt vſq; ad mortem crucis opprobrioſam. Ipſe caput habet inclinatum atq; ſpinatum, & iſte miſer eleuat ita ſuperbè caput, contra me pariter & proximum ſuum. Et cùm debeat eſſe agnus humilis, & ipſe factus eſt aries vel hircus cum elatæ ſuperbiæ cornibus, & omnes adhærentes ei percutere ſatagit. O infœlix homo, tu nō attendis quòd de manibus meis nullo modo potes euadere? Nunquid hoc eſt officium quod tibi comiſi, vt cornibus tantæ ſuperbiæ me lædas & offendas, & cum iniuria conuerſeris cum proximo tuo? Nūquid hæc eſt illa manſuetudo, quam ad altare ſanctum afferre debes, offerendo mihi ſacrificium illud excellentiſſimum, videlicet corpus & ſanguinem vnigeniti filij mei? Tu es effectus, velut animal ferociſſimum, ita quòd nullum timorem habes de me. Tu deuoras proximum tuum, & in diuiſione permanes cum eo,*

& factus es perſonarum acceptor, videlicet illos acceptando qui tibi ſeruiunt, vel aliquam vtilitatem afferunt, vel alia cauſa tibi placent, quia fortè ſunt eiuſdem vitæ reprobæ, ſicut es tu, quos corrigere deberes, & eorum defectus contemnere. Tu verè facis oppoſitum, præbendo eis exemplum, quòd ipſi faciant illud, quod facis tu, ſiue deterius. Si tu bonus eſſes, ita faceres, quia verò tu malus es, arguere neſcis, neq; defectus alterius tibi diſplicent. Tu contemnis humiles atq; pauperculos virtuoſos: tu refugis eos, eò, quia fœtor vitij tui non valet odorem ſuſtinere virtutis. Tu reputas eſſe tibi vituperium, ad oſtium tuum videre pauperculos meos: tu vitas eos in ſuis opportunitatibus viſitare: vides eos periclitari fame, nec extendis ad eos manum adiutricem. Et hæc omnia faciunt illa cornua ſuperbiæ tuæ, quæ nolunt inclinari in actum virtutis, & humilitatis alicuius. Quare non inclinatur? Quia proprius amor in eo regnat, qui nutrit huiuſmodi ſuperbiã, ideo non vult in aliquo condeſcendere, ſiue miniſtrare pauperibus aliquam ſubſtantiam temporalem, nec etiam ſpiritualem abſq; retributione ſiue redemptione. O maledicta ſuperbia, in amore proprio fundata, quomodo talium intellectus oculos excæcáſti, taliter quòd dum videntur amare ſemetipſos, atq; de ſe teneres eſſe, & dum videntur eſſe in diuitijs atq; delicijs, & in alto ſtatu conſiſtere, ipſi ſunt in magna paupertate atq; miſeria, quia priuati ſunt virtutum diuitijs. Ipſi deſcenderunt ab altitudine gratiæ ad infirmitatem ſiue profundum mortalium peccatorum. Iudicant ſe benè videre, ipſi verò cæci ſunt, quoniam

niam ignorant ſemetipſos & me, neq; cognoſcunt ſtatum ſuum, neque dignitatem in qua collocaui eos: neque mundi fragilitatem intelligunt, atq; modicam firmitatem: quia ſi cognoſcerent, non facerent ſibi Deum ex eo. Quis abſtulit eis huiuſmodi lumen verum? ſuperbia. Et per hunc modum effecti ſunt incarnati Dæmones, cum elegerim eos in Angelos: & vt in vita præſenti ſint Angeli terreſtres, & ipſi ſe deiecerunt ab altitudine cœlorum in profundum abyſſi, & in tantum eſt iniquitas per eos augmentata, quòd aliquando committunt alium defectum, de quo tibi dicam. Sunt aliqui taliter effecti dæmoniaci, quòd aliquando conſecrare ſimulant, & hoc in veritate non agunt, iudicium meum formidantes: & vt auferant omne frenum atq; timorem in malis operibus ſuis à corde ſuo. Nam aliquando mane ſurgunt ab immunditia: & ſero cum crapula velut ebrij dormitum ierunt, & erunt aliqua neceßitate coacti celebrare, vt populo ſatisfaciant, attendendo tamen iniquitates proprias, intelligunt apertè cum bona conſcientia ſe non poſſe, neq; debere celebrare: vnde mordentur aliqualiter à ſtimulo conſcientiæ, reſpectu timoris iudicij mei, non quidem ex odio vitij, ſed ex proprio amore. Vide nunc amantißima filia, quantùm excæcati ſunt, quia deberent habere recurſum ad cordis deuotam contritionem, & ad ſui defectus diſplicentiam, cum ſancto propoſito corrigendi, & ipſi diabolicum hoc remediũ aſſumunt, quia non conſecrabunt: & velut excæcati nõ aduertunt, quia error iſte poſterior, grauior & periculoſior eſt, quàm ille primus, ex eo, quia faciunt ido-

latrare populum adorando non conſecratam hoſtiam, loco veri Sacramenti corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti filij mei, qui eſt Deus & homo poſt hoſtiæ conſecrationem, ſed minimè conſecrando ſolummodo eſt panis. Igitur attende, qualis & quanta ſit hæc abominatio, & quanta ſit patientia mea ſuſtinendo tales, qui niſi ſe correxerint, vniuerſæ gratiæ redundabunt eis in iudicium. Populus autem ad vitandum illud in conueniens, debet adorare cum iſta conditione, dicens: In quantum iſte miniſter omnia quæ debet, dixerit atq; fecerit, ego credo quod tu es Ieſus Chriſtus filius Dei viui, mihi datus in cibum ab inæſtimabili charitate diuina, in memoriam tuæ dulciſſimæ paſsionis, & excellentiſsimi beneficij ſanguinis effuſi, cum inæſtimabili charitatis igne, ad abluendas iniquitates meas atq; totius vniuerſi. Itaq; faciendo ſic ex aliqua cæcitate cuiuſcunq;, nullus offendet adorando vnam rem pro alia, quamuis illa culpa peccati ſolùm eſt illius iniqui miniſtri, tamen actualiter ibi fieret quod eſt omnino prohibitum. O chariſsima filia, quis terram inhibet ne repentè deglutiat eos? Quis meam refrenat potentiam? Quin immobiles eos illicò faciat eſſe, veluti ſtatuas lapideas ante populum vniuerſum in confuſionem ipſorum? Vtiq; miſericordia mea, quia refreno meipſum: hæc eſt quòd cum miſericordia refreno iuſtitiam, vt eos vincam ex violentia miſericordiæ. Ipſi verò velut obſtinati Dæmones non agnoſcunt, neq; vident miſericordiam meam, ſed quaſi videntur exiſtimare, quòd ex debito ſim eis obligatus ad ea quæ gratioſè cõcedo, ex eo, quòd à ſuperbia ſunt excæcati, nec ita fore cognoſcunt.

DE

DE QVAMPLVRIBVS ALIIS DEfectibus, qui procedunt à ſuperbia, & amore proprio.

CAPVT. CXXIX.

HÆc omnia tibi narraui, ut affectione maiori moueâris ad amarum gemitum, ſuper illorum obſcura cæcitate, dum in ſtatu damnationis voluntariè perſeuerant: & vt ampliùs agnoſcas inæſtimabilem miſericordiam meam, ad hoc vt in ipſa miſericordia fiduciam aſſumas atq; ſecuritatem maximam, & ſic offeras ipſos miniſtros, ac vniuerſum orbem ante me, poſtulando pro eis à me miſericordiam. Et quantò feruentiùs offeres in conſpectu meo pro eis amoroſa & pœnoſa deſideria, tantò demonſtrabis apertiùs amorem affectuoſum quo me diligis, ex eo, quòd vtilitatem illam quā tu & alij ſerui mei mihi facere non valetis, veſtro proximo facere debetis, & hoc à vobis exigo. Et ego tunc voluntariè me compelli permittam à ſancto deſiderio, deuotis lachrymis, & orationibus veſtris: & ita ſponſæ meæ miſericordiam exhibebo, & eam in ſanctis & bonis paſtoribus in veritate reformabo. Quia tali modo reformata ſubitò mali ſubditi corrigentur violenter, quia quaſi de malis quæ perpetrantur à ſubditis, mali paſtores in cauſa ſunt: quia ſi corrigerent iuſtè ſubditorum defectus, & in eis iuſtitiæ margarita reluceret cum honeſta ſanctaq; vita, ſubditi non ita procederent inordinatè. Noueris ergo, quòd ex his peruerſis inordinatiſq; moribus illicò ſequitur, quòd vnus alterius veſtigia ſectatur.

Subditi nanque non obediunt Prælato, quia Prælatus quãdo ſubditus erat inobediens erat & ipſe Prælato ſuo: vnde congruè recipit à ſuis ſubditis quod ipſe ſuo Prælato fecit. Et quia prauus erat ſubditus, nunc etiã prauus eſt, cum effectus eſt paſtor, huius culpæ & cuiuſcunq; alterius eſt in cauſa ſuperbia in amore proprio fundata. Ignorans erat atque ſuperbus in ſtatu ſubditi, nunc verò Prælatus exiſtens, valdè plus ignorans eſt atq; ſuperbus: & eſt ignorantia ſua tãta, quòd velut excæcatus ad officium ſacerdotale quandoq; promoueri faciet hominem idiotam, quis vix legere nouit, & officium ſuum ignorat: vnde frequenter ignorando dicere verba ſacramentalia, minimè conſecrabit ex ignorantia ſua. Et in hoc actu committit defectum eundem in non conſecrando, quem commiſerunt ex malitia cæteri non conſecrantes, ſed conſecrare ſimulantes. Et vbi debent eligere viros expertos, & in virtute fundatos, & qui intelligant atq; nouerint illud quod agunt in tanto miniſterio: & ipſi faciunt oppoſitum, quia non attendunt, vtrum ille ſciat, neq; ſi tempus à iure diſpoſitum habeat, immo ſtudiosè videntur eligere pueros, & non homines ætatis congruæ: nec attendunt, vtrum honeſtè viuant cum ſancta & ordinata vita, & dignitatẽ ad quam promouentur intelligant, vel myſterium ab eis exequendum, & virtuosè contractandum: immo ſolùm attendunt ad multiplicandum gentes, & non virtutes. Ipſi quippe cæci ſunt atq; cæcorum aggregatores: nec attendunt, quòd ex hoc et alijs inordinatis actibus eorũ ego rationem ab eis exigam in extremitate mortis eorum;

ex eo,

ex eo, quòd promouerunt ad Sacerdotium homines ita tenebroſos & ignorantes, vt eſt dictum: & ipſi committunt eis curam animarum cùm apertè cognoſcant, quòd de ſeipſis curam habere neſciant. Tales ergo qui minimè cognoſcunt in ſe defectum proprium, quomodo poterunt cognoſcere ſiue corrigere defectum alienum? Non poterunt vllo modo, neq; contra ſemetipſos agere deliberabunt. Oues verò, quæ paſtore carent, qui cum diligentia cuſtodiat eas, & in via ſalutari dirigat, agiliter à via deuiant, & ita ſæpè deuorantur atq; lacerantur à lupis. Et quia paſtor eſt inutilis, omnino negligit aliquem habere canem, qui latret videndo lupum venientem, immo talem retinet qualis eſt ipſe. Et ita miniſtri & paſtores huiuſmodi, quia ſollicitudine carent, neq; conſcientiæ canem habent, neq; baculum iuſtitiæ tenent in manu, ideo virga minimè corrigunt, canis etiam conſcientiæ minimè latrat, ſemetipſos præcipuè non arguunt, eo, quod oues errantes extrà viam veritatis, tranſgrediendo præcepta mea per viam veritatis, & iuſtitiæ reducere non accelerant, ne lupus infernalis eas deuorare valeat. Si enim iſte conſcientiæ canis verè latrabit, & iſte Prælatus defectus ſubditorum ſuper ſe ponet, & virgam iuſtitiæ ſanctæ correctionis in manu tenebit, indubitanter oues ad ouile redibunt, & erunt in loco tuto. Sed quia, ſicut iam dixi, paſtor eſt inutilis, videlicet abſq; virga, & abſq; cane conſcientiæ, oues eius pereunt, nec ipſe curat. Canis enim conſcientiæ debilitatus eſt, ideo minimè latrat, ex eo, quod ei cibum non exhibuit. Cibus nanq; qui dari debet iſti cani, eſt agni filij mei ſanguis. Quia quãdo

memo-

memoria tanquam vas animæ plena reperitur iſto pretioſo ſanguine, conſcientia nutritur atq; fortificatur: hoc eſt, quia propter iſtius pretioſi ſanguinis memoriam, anima ſuccenditur ad odium vitiorum. Quod odium vnâ cum amore purificat animam à macula peccati mortalis. Et tantum vigorem exhibet illi conſcientiæ, quòd ſe cum diligentia magna cuſtodit, in tantum, quod ſi quis inimicus animæ, videlicet peccatum, vellet ingredi, nec ſolùm ſi effectus peccati, immo ſi ſola cogitatio ingredi vellet, ſubitò conſcientia, veluti canis valdè latrat, cum tãto ſtimulo, quòd indilatè rationem excitat. Et ipſa cum diligentia conſiderat, vtrum ille qui tentat intrare, ſit amicus vel inimicus. Et ideo non committit iniuſtitiam, quoniam ille qui habet conſcientiam, habet etiam iuſtitiam. Igitur iniqui tales indigni vocantur miniſtri: nec etiã digni vocari creaturæ rationales, ex eo, quòd ex eorum defectibus proprijs, animalia ſine ratione ſe fecerunt, huiuſmodi cane conſcientiæ carent, & in tantum eſt in eis debilitatus, quod quaſi dici poteſt ipſos illo carere. Ideo non habent virgam iuſtitiæ ſanctæ: vnde propter ſuos defectus in tãtum timidi ſunt effecti, quod expaueſcunt ex vmbra, non ex timore ſancto, ſed ex timore ſeruili. Ipſi diſponere ſe debent vſq; ad mortem, vt animas eruere poſſint à poteſtate Dæmonum, & ipſi ſubiugant eas ipſis Dæmonibus, non exhibendo doctrinam eis, nec exemplum vitæ ſanctæ quin etiam pro illarum ſalute renuunt vnum verbum iniurioſum audire. Sæpè quoque contingit, animam ſubditi circumuolutam eſſe grauiſſimis exceſſibus atq; peccatis, & alteri ſatisfacere

facere tenebitur in quampluribus: & iſti miſeri propter inordinatum amorẽ quem habebunt ad illius familiam, ne pauper efficiatur, videntibus oculis pertranſibunt, nec ordinare curabunt, vt pro tali debito proximo ſatis fiat, licet illius debitoris vita mala multis innoteſcat: & ipſi Sacerdoti ſuo notificabitur, vt veluti Medicus illius animæ medeatur. Ipſe verò miſer, quaſi coactus ibit, vt agat ad quod obligatur, tamen ex vno verbo non ei grato vel iniurioſo quod audiat, vel etiam pro quodam intuitu toruo, quaſi territus vltrà ſe recuſabit impedire, vel aliquando fortè ex aliquo emolumento: vnde tùm ex illo dono, tùm ex timore ſeruili animam illius in manu Diaboli derelinquet. Et nihilominus exhibebit ei venerabile Sacramentum corporis Ieſu Chriſti filij mei, & apertè videbit & intelliget animam illam irretitam peccatis mortalibus. Tamen vt hominibus mundi placeat, & ex inordinato timore, vel etiam intuitu percepti doni miniſtrabit ei Sacramenta, & honorificè ſepeliet etiam in Eccleſia ſancta, quanuis velut animal immundum atq; putridum, & membrum à corpore præciſum extrà cum indignatione proijcere debeat. Quid horum eſt in cauſa? Indubitanter amor proprius atq; ſuperbiæ cornua. Nam ſi me ſuper omnia dilexiſſet, & animam illius infœlicis, & fuiſſet humilis, & abſq; timore ſeruili, procul dubio ſalutem illius animæ procurâſſet. Ergo potes apertè videre, quot & quanta mala ſequuntur ab his tribus vitijs, de quibus tibi dixi, quòd erant quaſi tres columnæ, & quòd cætera vitia procedebant, à ſuperbia videlicet, auaritia, & immunditia mentis & corporis eorum. Aures

res tuæ non ſufficerent audire, quot ſunt illa mala quæ procedunt ab ipſis, velut à membris Diaboli, propter auaritiam, ſuperbiam, & inhoneſtatem eorum. Tu enim aliquando vidiſti ſimplices aliquos bonæ fidei, qui ſentiunt aliquem in ſua perſona defectum ex aliquo timore procedentem, dubitantes autem ſe à Dæmonio vexari, vadunt ad miſerum Sacerdotem, exiſtimãtes ab eo poſſe liberari ſiue iuuari. Et vadunt vt vnus Diabolus expellat alium: ipſe verò velut auarus acceptabit ab ea donum, & velut laſciuus & inhoneſtus infœlici muliérculæ dicet: Ab iſto delectu nullo modo liberari poteris, niſi per talem modum: & ita miſerabiliter inducet eam ad perdendum pudicitiam ſecum. O vere Dæmon, immo peior aliquo Dæmone: quia multi ſunt Dæmones, qui tale peccatum abhorrent. Tu verò deterior effectus ex iniquitate tua, circumuoluis in illo corpus & animam veluti porcus in luto fœtenti. O animal immundum, nunquid hæc eſt quod à te requiro? videlicet quod in virtute ſanguinis Ieſu Chriſti, de quo te miniſtrum inſtitui, tu Dæmones expellas ab animabus atq; corporibus hominum, non certe, tu illos introducis. Non attendis, quòd ſecuris iuſtitiæ diuinæ iam ad radicem arboris vitæ tuæ poſita ſit? Hoc autem apertiſſimè noueris, quoniam iniquitates tuæ tibi cum vſura compenſabuntur ſuo loco & tempore niſi punias, & corrigas eas cum pœnitentia congrua, & contritione debita tui cordis. Neq; tibi parcetur, aut in modico deferetur, licet à me fueris in gradu ſacerdotali conſtitutus, immo grauiùs in maiori miſeria congruè punieris, quam alij: Pœnas enim

pro te ſimul, & pro talibus iuſtiſſimè portabis, & illo tempore memoriæ commendabis eijcere Dæmonem cum Dæmonio concupiſcentiæ tuæ. Inſuper & aliam infœlicem vidiſti ligatam in peccato mortali, quæ vadens ad miſerum Sacerdotem, vt eam abſolueret à ſuo peccato, ab eo fortiùs eſt alligata in grauiori culpa quam erat: & per admirabiles vias induxit eam ad peccandum ſecum. Ergo verè talis paſtor eſt abſq; cane conſcientiæ, immo ſuffocat conſcientiam aliorum, nec tantùm non vult conſeruare propriam. Ego nanque elegi eos, vt ad honorem meum cantent diuinum officium atque pſalmizent in nocte: ipſi verò ſtudent in malis, & ad Dæmonum incantationes, & iuxta poſſe ſatagunt, vt operatione diabolica nocte media adducantur eis aliquæ creaturæ quas amore polluto diligunt. Ita nanque iudicant eſſe, ſed illuduntur à Diabolo: quoniam in veritate non eſt ita. Nunquid ego te poſui & elegi, ô miſer, vt noctis vigiliam expenderes in talibus iniquitatibus? Certè non, ſed vt eam expenderes in ſancta vigilia, & humili oratione, vt mane benè diſpoſitus vadas ad celebrandum, & odorem virtutis infundas in vniuerſo populo, & nõ fœtorem vitiorum. Conſtitutus es enim in angelico ſtatu, vt etiam in vita præſenti cum ſancta meditatione, cum angelis valeas conuerſari, & in vltimo cum eiſdem in beatifica viſione mea guſtare me poſſis in æternum: & tu, ſicut apparet, vis eſſe Diabolus incarnatus, ex quo cũ Dæmonibus eſſe delectaris, antequã venias ad mortẽ. Sed cornua ſuperbiæ tuæ percuſſerunt intùs in oculo intellectus tui, ſanctiſſimæ fidei pupillam. Vnde

de

de lumen omnino perdidiſti, & ideo non vides ad quantam miſeriam deueniſti. Nec, vt apparet, in veritate credis omnem culpam eſſe tempore ſuo puniendam, & omne bonum eſſe remunerandum. Quia ſi verè crederes hoc, ita ſceleratè non viueres, & non acceptares, nec optares huiuſmodi conuerſationem: immo magnum inde terrorem haberes etiam illos audire nominari. Sed quia tu ſequeris voluntatem ipſorum, ideo de ipſis, & ipſorum operibus videtur, quòd valde delecteris. O cæce miſer homo, vtinam à Dæmonio peteres, quod eſt meritum quod tibi reddere poteſt de ſeruitio quod ei facis, ipſe procul dubio tibi reſponderet, quòd exhiberet fructum quẽ habet in ſe. Nam aliud tibi præbere nequeunt ipſi Dæmones niſi cruciatus, & ignifera tormenta, quibus iugiter ardentiſſimè cruciantur, in quæ ceciderunt ab altitudine cœli propter ſuperbiam ſuam. Ita tu terreſtris angelus, ex tua ſuperbia cadis ab altitudine ſacerdotalis dignitatis, & à theſauro virtutis in profũdum, atq; paupertatem abominandæ miſeriæ. Si verò vitam tuam emẽdare neglexeris, igne punieris æterno abſq; remedio. Tu feciſti tibi Deum de mundo atq; de temetipſo. Dicas ergo mundo cum omnibus delicijs eius, quas in præſenti vita recepiſti, ſimiliter & tuæ ſenſualitati cum qua mundi rebus abutebaris, vt ante me ſummum Iudicem pro te rationem exhibeant. Vtiq; reſpondebunt apertè, ꝙ te iuuare nullo modo poſſit: & ita te deridebũt, aſſerentes: Quia ꝑ te neceſſariũ eſt, vt hoc expediatur. Et ita cum vituperio remanebis, & ingenti confuſione, coram me pariter & vniuerſo mundo. Ego te conſtituerã in

in ſacerdotali dignitate, vt ipſum vniuerſum, & te videlicet ſenſualitatem propriam vilipendendo contemneres, & ita faciendo etiam alios inſtrueres. Tu verò ſic es excæcatus à cornibus tuæ ſuperbiæ, quòd ignoras non ſolùm alios per viam dirigere ſalutarem, immo temetipſum. Sed apertiùs hoc intelliges in vltima mortis extremitate, vbi remedium aſſumere nõ valebis in aliqua virtute tua, qua cares, ſed ſolùm in ampliſſima miſericordia mea, ſperando fideliter in illo pretioſo ſanguine, de quo fuiſti miniſter effectus. Hoc autem efficaciſſimum atq; ſalubre remedium nunquam aufertur tibi vel alteri cuicunq;, dum eſtis in tempore vitæ præſentis, in quantum volueritis in miſericordia mea, quæ eſt inæſtimabilis, ac in ſanguine pro vobis effuſo virtuosè ſperare. Quanuis non debetis eſſe ſtulti vel ita cæci, quòd ad extremitatem vltimi temporis adducamini. Aduertendum eſt enim, quòd in extremitate vitæ, qui malè vixit à Dæmonibus valde turpiter accuſatur. Necnon à mundo, & à propria fragilitate, neque ſibi blandiuntur illo tempore, demonſtrando dulcedinem, vbi fuerat amaritudo, neq; rem perfectam, vbi fuerat imperfecta: neq; lumen in loco tenebrarum, vt in vita ſua facere ſolebant, immo veritatem demonſtrabunt, vt eſt in facto. Canis quoq; conſcientiæ, qui debilitatus erat incipiet acerrimè latrare, tàm valdè, quòd quaſi conducet animam ad quandam deſperationem: quanuis homo nunquam ex aliquo defectu ſuo debet ad huiuſmodi deſperationem adduci, immo fiducialiter in pretioſo

c ſangui-

ſanguine dilectiſſimi filij mei confidendo ſperare debet: quia ſine comparatione quacunque maior eſt & ampliſſima miſericordia mea, quam in ſanguine recipitis, quàm omnia peccata quæ committuntur in mundo. Non eſt tamen vllo modo defferendum, vt iam dixi, quia valdè eſt homini periculoſum, inter multos hoſtes in campo prælij ſe reperire nudum & inermem.

DE MVLTIS ALIIS DEFECTIBVS, quos iniqui præfati Miniſtri committunt.

CAPVT. CXXX.

VEre, chariſſima filia, miſeri de quibus ego tibi narraui, non attendunt ad hæc aliqua conſideratione: quia ſi conſiderarent non committerent iniquitates huiuſmodi, nec etiam alias: immo facerent vt illi qui virtuoſè viuebant, qui potiùs eligebant exſpectare mortẽ, quàm offendere me, vel inquinare turpiter animæ ſuæ faciem, atq; minuere dignitatem in qua collocaueram eos, ſed iugiter augmentabunt, virtuoſè viuendo, dignitatem atq; pulchritudinem animarum ſuarum. Non quod in ſe conſiderata ſacerdotij dignitas augmentari ſiue creſcere poſſit, ex virtute cuiuſcunque, vel ex defectu diminui, vt ego ſuprà tibi dixi, ſed virtutes exhibent ornamentum & in anima dignitatem, vltrà pulchritudinem eius quam habet à principio, cum ipſam

ipſam ad imaginem atque ſimilitudinem meam creaui. Iſti cognouerunt veritatem æternæ meæ bonitatis atq; dignitatem eorum, quia ſuperbia & amor proprius non eos offuſcauerat, nec abſtulerat eis lumen virtuoſæ rationis ex eo quia priuabantur illis, & me diligebant veritatem pariter & animarum ſalutem. Infœlices autem iſti, quia luce priuati ſunt, non pertimeſcunt de vitio in vitium ambulare, donec in foueam inducantur, atq; de templo ſuarum animarum & Eccleſiá ſancta, quæ viridarium eſt odoriferum, ipſi fecerunt animalium brutorum receptaculum. O chariſſima filia, quantum eſt abominabile mihi, videre domos eorum quæ debent eſſe receptacula pauperum atq; meorum amicorum, cum ipſi recipiunt in eis immunditias iniquarum perſonarum, ipſi debent veluti ſponſam amabilem habere Breuiarium, atque ſacræ Scripturæ libros habere loco filiorum, in quibus oppidò delectari debent, vt valeant proximum inſtruere ſalutari doctrina, cum exemplo ſanctæ vitæ. Sed ipſi ſponſam Breuiarij pertractant veluti adulteram, & in ſuo loco tenent vnam diabolicam concubinam, cum qua viut immundiſſimè, cum fœtēti miſeria: libri verò ſui ſunt acies filiorum, quos acquiſierunt in tanta miſeria & iniquitate, & abſq; verecundia quacunq; cum his impudentiſſimè delectantur. Dieb. paſchalibus, & in aliis Eccleſiæ ſolennitatibus, in quib. obligantur nomini meo reddere gloriā & honorē, deuotè officiū diuinum per ſoluendo, incenſum adolendo mihi homiliū orationū,

ipſi diſſolutè ludunt atq; ſolatium habent cum ſuis dæmoniacis concubinis, eundo cum ſecularibus ad venandum & aucupandum, velut eſſent diſſoluti atque miſerrimi ſeculares vel Domini Curiæ. O miſerabiles homines, ad quid eſtis adducti? Vos obligamini venari & aucupari animas ad laudẽ & gloriam nominis mei, & in viridario Eccleſiæ ſanctæ commorari, & vaditis venando per nemora: Sed quia talis homo factus eſt beſtia, in anima ſua retinet animalia multorum peccatorum mortalium, & ideo factus eſt venator beſtiarum irrationabilium. Hortus enim animæ tuæ factus eſt ſylueſter, in quo multæ vepres abundant, ideo delectaris ambulare per loca deſerta, quærendo ſylueſtres beſtias. Erubeſcas igitur homo, & cum diligentia defectus proprios attende, quia materiam habes erubeſcentiæ magnæ quocunq; te verteris. Tu verò neſcis erubeſcere, quia perdidiſti ſanctum verumq; timorem meum, immo veluti meretrix abſque verecundia, quandoq; te iactabis habere mundi ſtatum, pulchrã habere familiam, & aciem filiorum. Et ſi fortè non habes, iuxta poſſe ſatagis habere, vt tibi ſuccedant hæredes: vnde tu fur es atq; latro, quoniam optimè nôſti, quòd ita facere non debes. Hæredes enim tui debent eſſe pauperes, & Eccleſia tibi commiſſa. O Dæmon incarnate, ſine lumine, tu quæris ea quæ recuſari debuiſti, & te iactas de eo quod tibi cedit ad magnam confuſionem: vnde multo rubore debuiſti ſuffundi, præcipuè coràm me qui video ſecretiſſima tui cordis, ac etiam ante alias creaturas omnino confuſus

fuſus

fuſus es. Cornua tamen tuæ ſuperbiæ non permittunt, vt agnoſcas ipſam confuſionem tuam. O dilectiſſima filia, conſidera, quoniam illum conſtitui ſuper pontem doctrinæ meæ veritatis, ad miniſtrandum vobis viatoribus Eccleſiæ Sacramenta veneranda: ipſe verò decreuit ſtare infrà ſub põte, videlicet in flumine miſerabili atq; procelloſo deliciarum & laſciuiæ mundi: & in ipſo flumine vobis illa miniſtrat, neq; conſiderat in quanto periculo conſiſtat: vnda nanq; mortis indilatè rapiet eum, & niſi ſe correxerit cum vera cordis contritione, indubitanter ibit cum Dominis ſuis Dæmonibus, quibus voluntariè ſeruiuit & acquieuit, vt eum ducerent per viam fluminis inferiorem: quare ſine remedio perueniet ad æternam damnationem, cum tanta reprehenſione. Et improperio, quod lingua tua narrare nequiret: & ei ſine dubio grauius erit, quàm alicui ſeculari, propter officium Sacerdotis, vnde culpa ſimilis & eadem amplius in eo punietur, & in aliis in tanta dignitate conſtitutis, quàm in alio qui ſeculariter in mundo vixiſſet: & in puncto mortis, inimici ſui contra eum inſurgent, accuſando cum improperio maiori, prout aliâs ego tibi dixi.

DE DIFFERENTIA MORTIS IVſtorum & peccatorum: Et primò de morte iuſtorum.

CAPVT. CXXXI.

ET quoniam ego dixi tibi, quòd mundus atq; Dæmones, vnâ cum propria ſenſualitate ipſum valdè

 turpi-

turpiter accuſabunt, & ita ſe veritas habet, in iſto puncto: nunc volo tibi latiùs explicare ſuper his in fœlicibus, vt ampliori compaſſione mouearis ad eos, quantum diſtant bella iuſtorum à bellis hominum peccatorum; & quantum differunt inter ſe mores eorum: & cum quanta pace moritur iuſtus, ampliùs minùs vel iuxtà perfectionem animæ: vnde volo te nôſſe, quòd omnes pœnæ quas habent homines in voluntate conſiſtunt, quia ſi voluntas eſſet ordinata, & cum voluntate mea concors eſſet, omnino pœna careret. Non tamen aſſero, quin in ſe labores haberet atq; ſentiret, ſed illi voluntati quæ ſponte portaret amore mei, non eſſent ad pœnã, quia libentiſſimè portat, ex quo meæ voluntatis eſt cum qua concordat. Etiam ex odio, quod contra ſe concipit litem, iſti ſerui mei fecerunt cum aduerſario Dæmone, cum mundo & cum propria ſenſualitate. Quare puncto mortis adueniente, cum pace pertranſeũt, quòniam inimici eorum in vita ſuperati fuerunt ab eis atq; debellati. Mundus eos accuſare nõ poteſt, ex eo, quòd ipſi fraudes eius cognouerunt: & ideo mundo renunciauerunt, & omnibus pompis atq; deliciis eius. Fragilitaſq; ſuorum corporum eos accuſare non poteſt, quoniam ipſi ſubiugauerunt eam veluti ſeruam ſub freno rationis & virtutis, macerando corpus cum pœnitentia, cum vigilia, cum oratione continua & humili. Voluntatem verò ſenſitiuam interemerunt cum odio atq; diſplicentia vitiorum, & amore virtutum, conculcata penitùs omni teneritudine proprij corporis.

Qua

Quæ teneritudo atq; delectatio, q̃ naturaliter eſt inter corpus & animam, facit mortem apparere difficilem, quia naturaliter homo metuit ita mortem: ſed quia virtus in iuſto qui perfectus eſt tranſcendit, & ſuperat naturam, videlicet illum timorem qui naturalis eſt, cum odio ſancto ſuo pertranſit, & cum deſiderio redeundi ad finem ſuum, itaq; teneritudo naturalis non valet eum impugnare. Etiam conſcientia requieſcit, quoniam in vita ſua benè cuſtodiuit, cane latrante, venientibus inimicis ad ciuitatem animæ capiendam, vti canis agere ſolet ad cuſtodiam alicuius ianuæ deputatus, qui ſentiendo vel videndo venire quoſdam extraneos, valdè latrat vt homines excitet. Ita canis iſte conſcientiæ cuſtodem videlicet rationem excitat: & ratio ſimul cum arbitrio libero cognouerunt apertè cum lumine intellectus, vtrum adueniens eſſet amicus vel inimicus. Amicum, id eſt, virtutes & ſanctas cogitationes acceptauerunt affectuosè, cum ſancta ſollicitudine illas exercentes. Inimicum autem, id eſt, vitium atque cogitationes peruerſas expulerunt cum odioſa diſplicentia. Itaque cum manu liberi arbitrij tenentes gladium ancipidem, videlicet amoris virtutum & odij vitiorum, & cum lumine rationis, inimicos eorum expugnauerunt: & ſic in puncto mortis conſcientia non habet in ſe remorſum, eò quòd bonam habuit vndiq; cuſtodiã: ideo pacificè quieuit. Anima tamen ex humilitate, ac etiã q̃a tẽpore mortis ampliùs agnoſcit the-

theſaurum temporis, atq; lapides pretioſos virtutum, valdè redarguit ſemetipſam ex eo, quia ſibi non videtur expendiſſe tempus virtuosè ſicut oportebat. Iſta tamen amaritudo nõ affligit animam, immo pinguefacit eam pro eo, quòd ex hoc in ſemetipſa ſe virtuosè recolligit, iugiter habens in obiectũ humilis agni ſanguinem pretioſum: & non attendit ad aliquas virtutes quas hactenus egerit, quia minimè confidit in eis, immo ſolùm in ipſo ſanguine dilectiſſimi filij mei, vbi miſericordiã inæſtimabilẽ inuenit. Et vt in vita præſenti cũ iugi memoria ſanguinis vixit, ita dum eſt in tempore mortis, ipſo ſanguine balneatur, & inebriatur. Dæmonia verò, quoniam illam arguere nequeunt de peccato, eo quod in vita ſua malitiam eorum valdè prudenter & virtuosè ſuperauit. Iuxta poſſe tamen adhuc inquirunt oportunè, ſi poſſent in ea aliquid lucrari: vnde veniunt cum aſpectu nimis horribili, vt ei terrorem incutiant, & cum variis atque multis phantaſiis. Sed quoniam in anima tali non inueniunt eſſe venenum peccati, ipſa non expaueſcit in omnibus illis, vt expaueſceret anima alterius iniqui peccatis mortalibus irretita. Ipſi verò Dæmones, attendentes animam illam introiſſe ſanguinem cum ignifera charitate, non valent eam aliquo modo tolerare, ſed à remotis eam ſagittare conantur. Et ideo clamores eorum & huiuſmodi vexatio nullum inferunt impedimentum ſiue detrimentum ei, quia iam incipit in ſe guſtare vitam æternam, vt aliâs tibi dixi. Nam cum intellectus oculo qui continet in ſe pupillã

atq;

atq; lumen almæ fidei, me videt qui ſum æternum & omne bonum, quod habere præſtolatur ex gratia, non ex debito, in virtute ſanguinis vnigeniti filij mei. Extendit ergo brachia ſpei, & manibus amoris illum aſtringit intrando poſtem, antequam perueniat illicò tranſeũdo per arctam ianuam vnigeniti mei ſanguine madefactam & inebriatam, in me mare paſcificũ verbo meo pariter vnitum, quia ſumus vnum, vt benè nôſti. Quantum verò gaudium habeat in ſe creatura, quæ cum tanta dulcedine ſe perueniſſe cognoſcit ad iſtum fœliciſſimum paſſum, lingua carnis aliqua narrare nequiret, ex eo, quia bonum angelicæ naturæ deguſtat, & vt vixit in charitate fraterna cum proximo ſuo, ita bonum fœlicium beatorum in veritate deguſtat atq; participat. Hoc habent omnes generaliter, qui pertranſeunt ita dulciter & virtuosè. Miniſtri verò mei, de quibus ego tibi dixi, quòd vt angeli vixerant, multò fœliciùs & ampliùs habent ex eo, q̃ in vita præſenti vixerunt, cum intellectu maiorum, & cũ ampliori fame mei honoris atq; ſalutis animarum. Non abſolutè loquor de lumine virtutum, quod vnuſquiſq; poteſt habere, ſed quoniam iſti cum additamento luminis virtuosè viuendi, quod eſt ſupernaturale lumen, etiam habuerunt ſacræ paginæ lumẽ, propterquàm ampliùs agnouerunt de veritate mea. Quicunq; verò plus agnoſcit, plus diligit, & qui plus diligit, à me plus accipit: meritum enim noſtrum cum amoris quantitate menſuratur atq; compenſatur. Et ſi tu peteres à me, vtrum qui ſcientia careat adhuc

amorem attingere poſſit, abſolutè reſpondeo quod ſic: eſt enim valdè poſſibile; ſed vnum particulare priuilegium, non facit legem vniuerſalem: ego verò loquor in generali. Statum quoq; maiorem habent propter ſacerdotalem dignitatem, ex eo, quòd directè collocati fuerunt in officio gubernandi animas ad honorē meum: quanquam omnes obligati ſitis in charitate proximi veſtri permanere. Sed iſtis ex officio commiſſum eſt, vnigeniti filij mei miniſtrare ſanguinem, & animas virtuosè gubernare: quod adimplendo cum ſancta ſollicitudine, & cum affectu virtutis, vltrà recipiunt quàm alij. O quantum ipſorum anima beata conſiſtit in illa mortis extremitate, pro eo, quòd extiterunt annunciatores atq; defenſores almæ & Catholicæ fidei, & illam inſeruerunt medullis animæ ſuæ, cū qua ſuum in me locum aſpiciunt: ſpem cum qua vixerunt in vita præſenti, extendunt in me cum iucunditate magna. Sperauerunt enim in dulci prouidentia mea, nullatenus in ſe confidentes vel in proprio ſenſu. Et quia de ſe ſpem omnino perdiderunt, non habuerunt inordinatum affectum in aliqua creatura nec in alia re creata, quia voluntariè pauperem vitam eligerunt: cor illorum fuit verè vas electionis ad annunciandum, atq; portandum vbiq; nomen meum cum ingenti & ignifera charitate, cum exemplo ſanctæ vitæ, atq; ſana doctrina verbi propter animarum ſalutem. Surgunt ergo cum ignifera charitate per affectum amoris, aſtringentes me finem ſuum, offerentes in conſpectu meo iuſtitiæ margaritam, quam

iugi-

iugiter habuerũt in ſe, ſemper vnicuiq; faciendo iuſtitiam, & diſcretione magna reddendo vnicuiq; debitum ſuum. Ideo iuſtè mihi q́ meum eſt aſſignat, videlicet cum humilitate vera retribuendo gloriam & honorem ſancto nomini meo, à me recognoſcendo recepiſſe gratiam, virtuoſè tempus expendendi cum cõſcientia pura. Sibi autem attribuunt humiliter indignationem ſanctam, quia ſe reputãt indignos qui huiuſmodi gratiam habuerint: conſcientia ipſorum bonum mihi tribuit teſtimonium, & ideo iuſtè retribuo libenter eis iuſtitiæ coronam margaritis virtutum ornatam, videlicet de fructu quem extraxit affectuoſa charitas eorum ex aliis virtutibus. O angeli terreſtres, valdè commentabiles atque beati, minimè quippe fuiſtis ingrati de beneficiis à me receptis, neq; fuiſtis ignorantes atq; negligentes: immo ſollicitè ſuprà veſtros ſubditos apertos oculos habuiſtis, & veluti fideles & veri paſtores ſecuti fuiſtis doctrinam, & viam veri paſtoris atq; ſummi, videlicet Ieſu Chriſti filij mei: & ideo realiter & illæſi tranſiſtis per ipſum, ſuo pretioſo ſanguine madefacti, & immerſi cum gregibus ouium veſtrarum, quorum exemplo ſanctæ vitæ ac etiam per doctrinam veſtram omnino ſalubrem multitudinem adduxiſtis ad æternam vitam, et alias quamplurimas in ſtatu gratiæ reliquiſtis. O filia chariſſima, talis viſio Dæmonum in nullo nocere poteſt, ex eo, quod viſio mea confortat, quam per fidem vident, & ex affectuoſa dilectione tenent. Et quoniam in eis nõ inuenitur alicuius peccati venenum, obſcuritas & aſpe-

aſpectus eorum horribilis non inferunt eis alicuius moleſtia detrimentum, vel alicuius inutilis timoris; quoniam in eis inuenitur ſolummodo timor omnino ſanctus & non ſeruilis. Ipſi nullo modo timent, eorum fallacias atq; fraudes, quia cum lumine ſupernaturali, ac etiam cum lumine ſacræ Scripturæ cognouerũt eas etiam à remotis, vnde non habuerunt inde tenebras aliquas vel mentis alterationem. Sic ergo balneati pretioſo ſanguine Ieſu Chriſti glorioſè tranſeũt, cum ingenti fame ſalutis animarum, propter honorem meum, charitate ſuccenſi, per ianuam filij mei, & tranſeuntes intrauerunt in me mare pacificum. Et à bonitate mea dignè collocati ſunt in gradu ſuo, iuxta menſuram affectuoſæ charitatis, quam vnuſquiſq; ſecum attulit.

DE MORTE PECCATORVM: Et pœnis eorum, in hora mortis.

CAPVT. CXXXII.

SEd attende, chariſſima filia, quia ſicut excellentia iſtorum eſt valde magna, ſic econuerſò miſeria peccatorũ & infœlicium valdè maior eſt in morte; quorum aliqua tibi narraui, quantum eſt terribilis & obſcura. Nam in hora mortis procaciſſimè Dæmones eos accuſant atq; moleſtant, in figura ſua ſe demonſtrantes cum inæſtimabili terrore & obſcuritate. Tu nôſti quòd eſt in tantum horribilis, quòd homi-

homines experti eligerent potiùs habere omnes pœnas vitæ præſentis quàm eos in ſua figura videre. Inſuper & miſero peccatori renouatur conſcientiæ ſtimulus, qui valde rodit & cruciat eum, inordinatæ deliciæ, quibus abuſus eſt, propria ſenſualitas cuius dominationi ſe ſubiecerat, de virtuoſa ratione faciendo ſeruam, valdè miſerabiliter eum accuſant. Tunc enim apertè veritatem agnoſcit eorum, quæ ante nõ cognoſcebat; Vnde per errorem eius ad magnam confuſionem adducit, quoniam in vita ſua vixit velut infidelis, & mihi rebellis ex eo, quòd amor proprius velauit pupillam luminis fidei ſanctiſſimæ. Dæmones quoq; moleſtant eum de infidelitate, vt ad deſperationem eum adducant. O quàm durè impugnant in hora tali, quoniam inueniunt eum inermem & abſq; charitatis & aliarum virtutum armatura: quia veluti Diaboli membrum fuit illis ex toto priuatus in vita ſua. Vnde carent tales omnino lumine ſupernaturali atq; ſcientiæ, quia non intellexerunt eam ex eo, quòd cornua ſuperbiæ penitùs impedierũt ne medullæ dulcedinem intelligerent. Vnde tales in magnis prælıis ignorant omnino quid agere debeant. In ſpe quoq; minimè nutriti ſunt, quoniam in me non ſunt aſſueti ſperare, nec in ſanguine pretioſo filij mei, cuius eos eſſe feci miniſtros: immo ſolùm in ſemetipſis, & deliciis atq; ſtatibus vitæ præſentis. Nec aduertebant iſti miſeri Dæmones incarnati, quòd omnia ſub vſura tenebant, & veluti debitores de ſingulis oportebat eos ante me reddere rationem: modò ſe nudos inueniunt

abſq;

abſq; virtute aliqua, & vndecunq; ſe vertunt, audiunt improperia multa cum ingenti confuſione, iniuſtitiæ propria qua fuerunt abuſi in vita ſua procaciter eos accuſat in conſcientia ſua, vnde non audent aliud quàm iuſtitiam poſtulare. Noueris ergo, quòd ipſi tunc tantam & talem habent verecūdiā & confuſionem, quòd omnino venirent ad vltimam deſperationem, & cū ea de ducerentur à Dæmonib. ad æterna ſupplicia, niſi ꝙ in vita ſua ex quodam vſu præſumebant dicere ꝙ magna eſt miſericordia Dei, quãuis eorum defectib. exigentibus iſta ſit magna præſumptio, quia ſtultùm eſt & valdè reprahenſibile cum brachio miſericordiæ meæ offendere me: ideo non eſt vocanda miſericordiæ ſpes, ſed dicenda præſumptio: ipſi tamen hunc habitum aſſumpſerunt. Venientes igitur ad mortis extremitatem, conſcientiam propriā exhoneſtantes per ſanctam & humilem confeſſionē, & ablata præſumptione, ꝙ vllo modo non offendant vltrà, remanet habitus ille miſericordiæ meæ, agnoſcētes humiliter ex gratia tunc quod ante ſuperbè præſumebant, & ita miſericordiam humiliter implorando reperiunt eam. Hoc agit vtiq; gratioſa miſericordia mea, vt ita ſperent in vita ſua. Quanuis ego non ita concedo, vt ex miſericordia mea magis offendant, ſed vt in charitate ſe dilatēt, & in conſideratione meæ bonitatis. Ipſi tamen abutuntur in oppoſitum, & quia ſub ipſa ſpe miſericordiæ meæ frequenter offendunt, ego tamen eos in ſpe miſericordiæ conſeruo, vt in extremitate mortis habeant huiuſmodi refugium, &

omni-

omnino minimè deficiant in tali reprahenſione, & ita veniant ad deſperationem. Quare multò grauius offenderent, & eis ampliùs procul dubio noceret hoc vltimum peccatum, deſperando, quàm alia peccata quæ cõmiſiſſent vnquam. Cauſa verò propter quam hoc ampliùs mihi diſplicet, & ipſis ita nocet, eſt, quoniam alia peccata fiunt ex aliqua complacentia ſiue delectatione propria ſenſualitatis, & aliquando ſe cõmiſiſſe dolent. Vnde tantum atq; taliter dolere poſſent, quòd illicò plenam obtinerent indulgentiam. In peccato verò deſperationis nulla fragilitas eſt in cauſa, quia nulla eſt ibi delectatio, immo eſt ibi pœna grauiſſima & tolerabilis: ac etiam ille qui deſperat miſericordiam meam, apertiſſimè contemnit, exiſtimãdi maiorem culpam ſuam, quàm miſericordiam atq; bonitatem meam. Vnde poſt huiuſmodi peccatum non dolet neque pœnitet, quia commiſſo peccato & offenſa mea nec vltrà dolore poteſt. Ipſe benè dolet de ſuo damno irremediabili, ſed non de culpa contra me perpetrata, & ita recipit æterna ſupplicia. Itaq; ſolum peccatum iſtud eum ad infernum adducit, ibiq; punitur valdè de hoc & aliis offenſis atq; peccatis eius. Sed ſi doluiſſet in veritate de commiſſis culpis erga me, ſperando fideliter in miſericordia mea, certiſſimè feciſſem ei miſericordiam, quoniam abſq; comparatione quacunq;, ſicut aliàs tibi dixi, nimis exceſſiuè maior eſt miſericordia mea, quã omnia peccata commiſſa vel quæ committi poſſent ab aliqua creatura. Et ideo valdè mihi diſplicet, q aliqui maiores

eſſe

eſſe ſuos defectus exiſtiment vllo modo. Hoc eſt enim illud peccatum, quod nullo tempore dimittitur in præſenti ſeculo, nec in futuro. Poſtquam igitur infœlices iſti vitam ſuam inordinatè, immo ſcelerate conſumpſerunt, in mortis articulo ſaltem vellem, quòd in miſericordia mea ſpem in veritate ponerent ex eo, quod huiuſmodi deſperationem multùm abominor. Et ideo frequenter in vita peccatorum vtor iſta fraude ſancta ſiue deceptione, quòd videlicet ipſi præſumant etiam indignè de miſericordia mea inæſtimabili: quia quando ſunt in ea taliter aſſueti & habituati, nõ ita faciliter ab ea diſcedunt ex illis reprahenſionibus aſperrimis, quas ab aduerſariis audiunt, vt agerent quando non eſſent habituati. Hæc omnia facit abyſſus excellentiſſimæ charitatis meæ: ſed ipſi fuerunt abuſi ea miſericordia cum tenebroſo amore proprio, à quo proceſſit omne malum ipſorum. Ipſi autem in veritate non intellexerunt, ideo reputatur eis ad præſumptionem magnam, quãtùm ad affectum ipſorum ipſa dulcedo miſericordiæ: & hæc eſt alia reprahenſio quam à conſcientia recipiunt in conſpectu Dæmonũ, eis improperando quod temporis & miſericordiæ latitudinem, in qua ſperabant, oportebat expendere virtuosè dilatando cor in charitate mea, & amore virtutum, & ita tempus expendere quòd eis ex amore conceſſi: ipſi verò cum tempore atq; ſpe larga miſericordiæ me grauiter offendebant. O cæci miſerabiles, ego poſui veſtris in manibus margaritam atq; talentum, vt ad lucrum expẽderetis, vos autem veluti præſum-

ſumptuoſi renuiſtis implere voluntatem meam, ſed abſcondiſtis in terra inordinati amoris proprij ſenſitiui, qui vobis modò mortiferum fructum exhibet. O miſeri homines, quanta eſt nunc pœna veſtra quam in morte ſentitis? Modò vos minimè latent iniquitates veſtræ, quia vermis conſcientiæ modò minimè dormit, immo valdè moleſtè rodit: Dæmones quoq; terribili voce ſuper vos clamant, exhibendo vobis meritum, quod ſunt aſſueti impendere ſeruis & amicis ſuis, videlicet improperium atque confuſionem. Et vt in mortis extremitate nõ euadatis vllo modo manus eorum, iuxta poſſe conantur: vt ad deſperationem deueniatis: & ideo vobis confuſionem inferunt, vt vnâ cum eis habeatis, & deguſtetis in æternum ea quæ poßident ipſi, videlicet tormẽta perpetua. O miſeri, dignitas in qua vos ita gratioſè collocaueram, ſe lucidam vobis oſtendit, vt eſt ad veſtrã verecundiam, ex eo, quòd in tanta peccatorum obſcuritate ipſa fuiſtis abuſi. Eccleſiæ ſubſtantia vos accuſat vt fures atque latrones, & infidos debitores, obligati enim eratis pauperibus & Eccleſiæ vobis commiſſæ debitum exſoluere: tunc accuſaris, ô miſer, à conſcientia, quòd expenderis in meretricibus eam, & ad filios proprios educandos, & vt carnales conſanguineos ex ipſa ſubſtantia ditares. Ex qua te ſimiliter ingurgitâſti guloſè viuendo, repræhenſibiliter ornando propriam domũ, aurum & argentum auarè congregando, vbi debebas in voluntaria paupertate viuere. Conſcientia tibi repræſentat, quòd officium diuinum omittebas, neq; curabas ex hoc in mortale peccatum incurrere. Si vero quandoq;

perſoluebas ore,cor tuum à me valdè remotum erat. Item conſcientia te cum ſimilibus tuis arguit pro ſubditis veſtris,quos alere debuiſtis verbo pariter & exemplo ſanctæ vitæ,dirigendo,admonendo, atq; corrigendo virga iuſtitiæ & manu miſericordiæ. Et quoniam hæc agere neglexiſtis, in horribili Dæmonum aſpectu nimio rubore confundemini. Tu verò qui fuiſti Prælatus exhibendo prælationes & curam animarum iniuſtè, vel alicui ſubdito indigno,non attendēdo cum prudenti diligētia cui dediſti,redargueris à conſcientia. Quia debebas illas exhibere non ex adulatione, vel ad complacentiam hominum,ſiue propter accepta dona,immo ſolùm intuitu virtutis,& ad honorem meum,& ſalutem animarum. Et quia ſic agere neglexiſti, valdè retargueris. Et ad verecundiam atq; confuſionem tuam apertè tibi conſcientia dictat,lumine intellectus oſtendente, quæcunque facere debuiſti & neglexiſti, & ea quæ feciſti quæ facere non debuiſti. Et volo te nôſſe,filia chariſſima, quia meliùs apparet albedo propè ingredientem collocata, & econuersò nigredo ſecùs albedinem, quàm ponendo ſecrſum,& vnum ab altero ſeparatum: & ita miſeris iſtis occurrit,iſtis in particulari dico, ac etiam alijs in generali,quòd in mortis articulo,in quo anima præſertim cognoſcit aptiùs opera ſua, videlicet iniquitatem ſuam, & iuſtus beatitudinem ſuam, iniuſto miſero peccatori repræſentatur iniqua vita ſua. Et ſi nullum haberet accuſatorem alium,conſcientia propria ſibi proponit omnia ſcelera quæ cōmiſit,& virtutes quas omiſit:uirtutes,uidelicet ad verecundiā eius ampliorē. Et quia poſita uirtute

propè

ꝓpè uitiū, ex uirtute pleniùs agnoſcitur vitiū, & quātò meliùs agnoſcit, ãpliùs erubeſcit: & ex defectu ſuo meliùs intelligit perfectionem virtutis, unde maiori dolore tabeſcit, agnoſcendo ſe virtutibus omnibus in vita ſua fuiſſe priuatum & expoliatum. Et volo te ſcire, quòd in illa notitia, quam habent iſti virtutis & vitiorum, valdè benè vident & intelligunt bonum, quod ex virtute ſequitur homini virtuoſo, atque pœnam quæ illum conſequitur, qui iacuit in tenebris mortalium peccatorum. Cognitionem autem iſtam ego tribuo, non vt veniant in deſperationem, ſed vt perueniant ad perfectam ſui notitiam, & erubeſcant pro ſuo defectu cum fideli ſpe miſericordiæ meæ, vt cum iſta verecundia & huiuſmodi notitia deleant ſuos exceſſus, & humiliter poſcendo miſericordiam placent iram meam: virtuoſus autem ex hoc augmentatur in gaudio, & agnitione meæ veritatis atq; charitatis. Attribuit enim mihi, & non ſibi gratiã, ꝙ iuerit ꝑ viã uirtutis: vnde dulciter exultat in me cũ iſta vera notitia, & guſtat atq; recipit optatũ finẽ ſuũ, vt aliàs ego tibi dixi: Itaq; iuſtus exultat in gaudio, qui vixit in præsẽti uita cũ ignifera charitate, iniquus verò tenebroſus in pœna cõfunditur: iuſto tenebroſus & horribilis aſpectus Dæmonum nullũ omnino detrimentũ infert: nec etiam inde timet, ex eo, quòd ſolummodo peccatum eſt illud, vnde timor atque nocumentum occurrit homini. Sed illi qui laſciuè cum alijs miſerijs multis vitam duxerũt habent inde nocumentũ, atq; terrorem in aſpectu Dæmonum. Nõ tamen hoc eſt nocumentum deſperationis, niſi velint ipſi deſperare, ſed eſt pœna moleſtiſſimæ repræhenſionis, atq; conſcientiæ grauiſſimæ remordentis,

mordentis, & eſt timor & tremor in horribili aſpectu Dæmonum. Videas ergo chariſſima filia, quantum à ſe differunt in mortis articulo cruciamenta ſiue bella quæ iuſti ſentiunt, ab his quæ patiuntur iniqui, & quantum eorum finis eſt à ſe differens. Oſtendit tibi paruam ſcintillam, videlicet oculo intellectus tui. Et eſt ita parua reſpectu eius quod eſt, quod quaſi nihil eſt de pœna quam habet iniquus, & de bono quod habet iuſtus. Nunc apertè cognoſcere potes quanta cæcitas eſt hominis, & preſertim iſtorum miſerabilium, quia quantò plus à me receperunt & amplius illuminati ſunt à ſacra Scriptura, tantò magis obligantur & ampliorem habebunt amaram atq; pœnoſam confuſionem. Et quoniam amplius in vita cognouerunt ex ſacra Scriptura, magis & amplius in morte cognoſcunt exceſſus proprios, quos ipſi cognouerunt: vnde meritò collocantur in ſupplicijs grauioribus quàm alij prout econuersò iuſti collocati ſunt in excellentia maiori: iſtis accidit veluti falſo Chriſtiano qui collocatus eſt in inferno cum tormento grauiori, quàm aliquis paganus, pro eo, quòd habuit in ſe fidei lumen, & ei renunciauit: ille verò paganus omnino caruit. Sic iſti miniſtri mei maiori pœna cruciabuntur ex eâdem culpa quàm alij ſeculares, & hoc propter miniſterium eis à me gratioſè commiſſum, videlicet eis committendo ſolem venerandi Sacramenti miniſtrandum. Et quia ſcientiæ lumen habuerunt ad veritatem apertè diſcernendam, nõ ſolummodo pro ſe, ſed etiam pro cæteris ſi voluiſſent, & ideo maiori tormento cruciantur. Sed ipſi miſeri non agnoſcunt, qui ſi ſua prudentia hæc attentè conſiderarent,

rent,

rent, procul dubio non inciderent in huiuſmodi mala, ſed eſſent vtiq; quales eſſe debent, & ipſi non ſunt ſoli, ſed totum vniuerſum eſt valdè corruptum: quoniam ipſi deteriora faciunt in gradu ſuo quàm ſeculares. Et cum ſuis fœtoribus & iniquitatibus inquinant atq; turpiſſimè maculant facies animarum ſuarum, ſubditosq́ue ſuos corrumpunt, atq; ſanguinem ſponſæ meæ damnabili modo ſuggerunt: vide licet Eccleſiæ ſanctæ: vnde ꝓpter huiuſmodi defectus eorum, ipſa ſponſa mea valdè pallet: quia videlicet amorē & charitatis affectū quē ad ipſā habere debēt, ad ſemetipſos retorquere nō erubeſcūt, & ad alia non videntur attendere, præterquā ad ipſam inſatiabili fame deuorandam, & ad extorquendā ab ea prælationes atq; magnos introitus, vbi deberent extorquere ſalutem animarum. Quare propter ipſorum vitam inordinatā, immo reprobam, ſeculares veniunt ad irreuerentiam, & inobedientiam Eccleſiæ ſanctæ: quanuis ipſi minimè debeant ita facere, neque defectus eorum excuſatur ex defectu quocunque miniſtrorum.

REPETITIO SVPER ALIQVIbus iam ſuprà dictis: Et quomodo ſeculares expreſsè prohibentur, ne manus apponant in Clericos.

CAPVT. CXXXIII.

MVltos alios exceſſus iſtorum infidelium miniſtrorum ego tibi narrare poſſem, ſed vltrà pro præſenti nolo fœtoribus huiuſmodi tuas aures inquinare, aliquos verò tibi narraui, vt deſiderio tuo ſatisfacerem, & vt ampliùs anima tua ſollicitetur offerre pro eis antè me dulcia pariter & amara deſideria. Narraui quoq; tibi de ipſorum excellentia, in qua fuerunt à me conſtituti, & de theſauro qui vobis per manus eorũ miniſtratur, videlicet de ſanctiſſimo Sacramento corporis vnigeniti filij mei, ponendo ſimilitudinem ſolis, vt apertè cognoſceres, quod ex aliquo defectu miniſtrorum nullo modo minuitur virtus ipſius venerandi Sacramenti: & ideo nolo, quòd erga ipſos vllo modo reuerentia minuatur. Inſuper oſtendi tibi bonorum miniſtrorum excellentiam, in quibus margarita iuſtitiæ relucebat & virtutis. Et oſtendi quantum in conſpectu meo ſit exoſa perſecutio, quæ fit contrà ſanctam Eccleſiam, & irreuerentia contrà ſanguinem habita: quia reputo, quòd perſecutio facta contrà miniſtros, fiat contrà ſanguinem, eò quòd expreſſè prohibui ne tangerent iniurioſè Chriſtos meos. Poſtremò tibi narraui de vituperoſa miniſtrorum ipſorum vita, & in quanta miſeria viuunt, & quã tam amaritudinem, & confuſibilem pœnam in morte ſuſtinẽt, & quantùm vltrà cæteros poſt mortem crudeliter in inferno cruciantur. Modò petitioni tuæ atq; promiſſioni meæ ſatisfactum eſt, narrando pauca de ipſorum vita miſerabili. Nunc autem iteratò replico, quòd non obſtantibus illorum defectibus, etiam ſi plures eſſent omnino prohibeo ne ſecularis aliquis eos aliquo modo puniat. Inobedientes verò faciendo contrà præceptum iſtud, a-

ſperè congruo tempore punientur, niſi realiter cum contritione cordis & humili confeßione vitam ſuam antè correxerint. Tamē vtraq; pars, videlicet huiuſmodi miniſtri & eorum perſecutores, videntur eſſe Dæmones incarnati: vnde iuſto meo iudicio fit, vt vnus Diabolus ita puniat alium: Sed offendit vterq; ſeculares, non excuſantur ex peccato Prælati: neq; Prælatus excuſatur ex peccato ſecularis. Nunc autem inuito te, filia charißima, & omnes alios amicos meos ad fletum amarum ſuper huiuſmodi mortuos, & ad immorandum velut oues in Eccleſiæ ſanctæ viridario ad paſcendū ex deſiderio ſancto, offerendo iugiter ante me continuas & humiles orationes pro eis, quia decreui mundo facere miſericordiam. Neq; ab iſta paſtura vos ſubtrahatis vllo modo propter iniuriam vel aliquam proſperitatem. Quia penitùs volo, quòd nullatenus eleuetis caput ex impatientia, vel inordinato gaudio, ſed iugiter ad honorem meum attendite ſalutem animarum atq; reformationem Eccleſiæ ſanctæ. Et hoc erit mihi ſignum euidentißimum quod tu & alij me realiter in veritate diligatis. Tu verò benè nôſti, quòd apertè tibi pateſeci, me velle quòd tu & alij ſerui mei eſſetis ſicut oues, quæ paſceremini iugiter in viridario Eccleſiæ ſanctæ tolerando labriosè vſq; ad mortis extremitatem: & ita faciendo ſancta veſtra deſideria pficiam.

QVALITER HAEC ANIMA DEuota, laudando dominum, facit orationem pro Eccleſia ſancta.

CAPVT. CXXXIIII.

N*Vnc anima deuotiōe multa, uelut ebria, et ignita charitate ſuccēſa, habens cor ſuum amaritudine*

magna vulneratum, eleuando mentem ad æternam Dei bonitatem, ait: O ſumme Deus æterne, ô lux maior quacunque luce, à qua procedit omnis alia lux, ô ignis ardens ſuprà omnem alium ignem, tu es ſolus ignis qui ardes, & non conſumeris, conſumis omne peccatum quod eſt in anima, ſimul & amorem proprium, non tamen eam affligendo conſumis, ſed eam pinguefacis inſatiabili dilectione: quia dum ſatiatur à te non benè ſatiatur, immo te magis peroptat habere iugiter et videre. Et quantò plùs te quærit & optat, ampliùs te guſtat & inuenit æternum, atq; ſummũ ignem veræ charitatis abyſſum. O ſummum & æternum bonum, quis te Deum noſtrum, inclinauit ad illuminandam me creaturam tuam infimam, de lumine tuæ veritatis? Tu idem ignis amoris es in cauſa. Nam affectuoſa charitas tua te coëgit, & induxit ad creandum nos ad tuam imaginem atq; ſimilitudinem, & ipſa te iugiter inducit, & inclinat ad faciendum immenſas & infinitas gratias creaturis tuis, quæ rationem habent. O bonitas æterna, ſuper omnem bonitatem, tu ſolus es ille qui ſummè bonus es. Nihilominus tu donâſti nobis vnigenitum filium verum tibi coæternum, vt etiam in humano corpore conuerſaretur in vita præſenti nobiſcum, qui ſumus omnino tenebroſi atq; pleni fœtenti putredine. Quid obſecro fuit in cauſa? Amor, quia nos affectuosè dilexiſti, etiam antequam eſſemus. O bone Deus. O æterna magnitudo incomprehenſibilis ex amore feciſti te paruulum, vt hominem in te magnificares, & eum faceres magnum, quocunque me verto, non inuenio niſi tuæ dulciſſimæ charitatis ignem & abyſſum

abyſſum. Nũquid ego pauper et miſſella ſatisfacere quoquomodo poſſum gratijs & igniferæ charitati tuæ in particulari mihi conceſſis, cum exceſſu tantæ dilectionis vltrà gratias, alijs fidelibus tuis conceſſas? Certè non: ergo tu ſolus dulcis, & amantiſſime pater, es ille qui gratus eris pro me tibi, & pro me miſera reſpondebis, quia videlicet affectus tuæ paternæ charitatis pro me tibi gratias aget. Quoniam ego ſum illa quæ non ſum, & ſi dicerem quòd aliquid eſſem ex me, vtique mentirer in caput meum, & eſſem procul dubio mendax, & filia Diaboli qui pater eſt mendaciorum. Quia tu ſolus es ille qui es. Et eſſe meum, & omnem gratiam in eo fundatam humiliter à te recognoſco. Nam ex amore puriſſimo, & non ex aliquo debito mihi gratioſè tribuiſti. O pater dulcis & amantiſſime, quando genus humanum iacebat ægrotans propter præuaricationem Adæ. Tu direxiſti ſibi Medicum egregium, dulcem & amoroſum, ſcilicet verbum vnigenitum filium tuum. Nunc verò quando iacebam infirma, videlicet in infirmitate negligentiæ pariter & ignorantiæ magnæ, tu ſuauis atq; dulciſſimus Medicus æterne Deus, exhibuiſti mihi ſuauem, dulcem, et amaram Medicinam, vt ab infirmitate conualeſcam, & indilatè liberari valeam. Mihi procul dubio ſuauis eſt, quia cum ſuauiſſima charitate tua mihi te manifeſtâſti. Dulcis eſt mihi valdè vltrà quancunque dulcedinem, quoniam illuminâſti oculum intellectus mei lumine ſanctiſſimæ fidei, quo lumine prout excellentiſſimæ maieſtati tuæ manifeſtare placuit, agnoui gratiam inæſtimabilem humano generi conceſſam in corpore

myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ, miniſtrando totum Deum & hominem in venerabili Sacramento. Atq; miniſtrorum tuorum dignitatẽ, quos conſtituiſti vt nobis illud adminiſtrarent. Ego cupiebam vt promiſſioni mihi factæ ſatisfaceres, tu multò plura conceſſiſti quàm ego petere ſciuiſſem. Vnde verè cognoſco, quòd cor hominis neſcit, neq; poteſt optare ſiue petere, quantum tu vis ei præbere. Et ita manifeſtè cognoſco, quòd tu es ille, qui es infinitus, atq; bonum æternum. Nos verò ſumus illi, qui non ſumus. Et quia tu es infinitus, & nos finiti, ideo tuæ creaturæ quæ rationem habet, exhibes id quod neſcit: & neſcit neq; poteſt optare, & modum quo tu ſcis, vis atque potes animæ ſatisfacere ſatiando illam, etiam ex his quæ petere neſcit, dulciſſimum & gratioſiſſimum ignorat & deſiderare nequit. Et ideo recepi lumen in magnitudine tuæ charitatis, ex amore quem habere te manifeſtè patefeciſti humano generi: & præcipuè eius vnctis qui debent eſſe velut angeli terreſtres in vita præſenti. Tu mihi monſtráſti virtutem atq; beatitudinem iſtorum vnctorum tuorum, qui vixerunt veluti lucerna ſuccenſa cum iuſtitiæ margarita in Eccleſia ſancta. Et horum comparatione agnoui defectum eorum, qui miſerabiliter in Eccleſia viuunt: vnde cœpi dolorem ingentem propter offenſam tuam atq; detrimentum, vniuerſo mundo nanque valdè nocent: quia debent eſſe exemplum virtutis, & ipſi præbent exemplum iniquitatis & miſeriæ. Et quia tu mihi miſeræ ſeruulæ tuæ, quæ ſum in cauſa & inſtrumentum multorum defectuum, pateſeciſti vitam illorum, de qua conqueſtus es, habui dolo-

dolorem & amaritudinem intolerabilem. Tu amor ineffabilis, illa mihi manifeſtãdo tribuiſti medicinã dulcẽ & amarã, vt ego conualeſcã ab ægritudine ignorãtiæ et negligentiæ meæ, & cum ſollicitudine atque deſiderio magno recurram ad te memetipſam agnoſcendo, atq; bonitatem tuam in me ſimul & offenſas tibi factas à tuis creaturis, & præſertim à miniſtris tuis, vt effundam flumen lachrymarum eas diſtillando ſuper me miſerabilem, & à notitia tuæ infinitæ bonitatis, illas hauriẽdo et extrahendo, ac etiã effundendo ſuper huiuſmodi mortuos, qui cũ tanta diſſolutione miſerabiliter viuunt. Vnde nũc ineffabilis dilectio charitatis ignis inextinguibilis, et æterne pater, ꝙ huiuſmodi deſideriũ multo tempore deficiat, vel etiam tepeſcat in optando, & quotidie perquirendo tuum honorem, & animarum ſalutem. Et oculi mei nunquam ab effuſione lachrymarum ex hoc abſtineant. Vnde cum inſtantia poſco, vt gratioſè mihi concedas, vt efficiantur veluti duo fontes, abundanter effundentes aquas, quæ procedant & egrediantur à te mari pacifico. Gratias, gratias ago tibi pater æterne, ꝙ pleniſsimè ſatisfeciſti non ſolùm petitioni meæ, verùm etiam in alijs quæ non agnoſcebam, uel petere neſciebam, inuitando me dulciter, atq; materiam exhibendo lachrymarum, vt offeram in conſpectu tuo ſacratiſsimo dulcia cruciata, & amoroſa deſideria cum oratione continua & humili. Nunc autẽ ab inæſtimabili bonitate tua peto, vt mundo miſericordiã exhibeas, & Eccleſiæ tuæ ſanctæ humiliter ſupplicans, vt effectualiter implere digneris ea, quæ tu me ipſe poſtulare facis. Heu mihi miſerabili,

immo neq; vis alicui perſonæ in veritate petenti denegare. Igitur impende fructum huius ſanguinis pretioſi tuis creaturis, ponas in vna lance pretium ſanguinis vnigeniti filij tui: ut infernales Dæmones oues tuas aſportare non audeant. Tu quidem es pater optimus, qui nobis exhibuiſti paſtorem verum, videlicet vnigenitum filium tuum, qui propter obedientiam tuam pro nobis ouibus tuis vitam expoſuit, faciendo nobis de pretióſo ſanguine ſuo balneum. Hic eſt ille ſanguis, quem à te petunt iuxta ianuam iſtam, veluti famelici atq; ſitibundi ſerui tui, quo mediante petunt & optant vt huic vniuerſo mundo facias gratosè miſericordiam, atq; florem facias in Eccleſia ſancta, flores odoriferos ſanctorum paſtorum, ex odore quorum euaneſcat ab ea fætor & putredo malè viuentium, & iniquorum hominum. Tu pater æterne promiſiſti, quòd ex amore quem habes ad homines cum orationibus amicorum tuorum, et cum tolerantia multorum laborum abſq; culpa ſua, tu faceres omnino mundo miſericordiam, & Eccleſiam ſanctam tuam virtuosè reformares, & ita refrigerium inde nobis exhiberes. Ego ſupplico ne differas vlteriùs, ſed abſq; dilatione maiori conuertas oculum tuæ clementiæ, ac illicò reſponde, qui reſpondere vis, antequam vocemus voce miſericordiæ tuæ. Aperi portam inæſtimabilis tuæ charitatis, quam oſtendiſti nobis ianua mediante, videlicet vnigeniti filij tui verbi pro nobis incarnati. Scio nanq;, quòd aperis antequam pulſemus, quia cum affectuoſa dilectione quam impendiſti ſeruis tuis pulſant, & ad te clamant, optantes & quærentes honorem tuum atq; ſalutem animarum. Ergo largiaris eis panem

vitæ,

vitæ, videlicet fructũ ſanguinis vnigeniti filij tui, quę à te poſtulant ad gloriam & ad laudem nominis tui, in ſalutem animarum. Quia maior laus & honor nomini tuo reſultare videtur, in ſalute multorũ, quàm ſi in duritia ſua permanendo damnarentur. Tibi pater æterne, ſunt omnia poſſibilia. Tu enim nos abſq; nobis gratioſè creâſti, ſed nos abſq; nobis ſaluare non decreuiſti. Sed obſecro, quòd voluntates eorum inordinatas aliquo modo compellas & violentes, & eos ad volendum diſponas ea quæ renuunt: hæc à te peto per immenſam bonitatem tuam atq; miſericordiam. Tu creâſti nos ex nihilo. Nunc autem ex quo per gratiam tuam ſumus in vita, obſecro nobis impende miſericordiam. Et refice pariter, & reforma vaſa, quæ tàm gratioſè formâſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam: illa reformare digneris ad gratiam in miſericordia & ſanguine filij tui.

TRACTATVS QVARTVS.

DE PROVIDENTIA DEI: ET priùs in generali.

CAPVT. CXXXV.

TVnc æternus pater cum ineffabili benignitate ſuæ clementiæ, vertebat oculum ad hanc animam, volens apertè demonſtrare, quòd in omnibus huiuſmodi nunquam diuina ſua prouidentia deficiebat, dũ ipſe velit eam humiliter acceptare, patefaciens iſta cum dulci querela contra ſuas rationales creaturas, incipiens iſto modo: O chariſſima filia, ſicut aliâs & aliquoties ego dixi tibi, omnino decreui

facere

ſacere mundo miſericordiã, et in omnibus opportunis hominib. volo prouidere. Sed ignorans homo reputat in mortẽ illud quod in vitã ei tribuo, et ita ſibimet valdè crudelis efficitur: et ego prouideo ſemper. Vnde volo te nôſſe, quicquid homini tribuo procedit à ſumma prouidentia. Et hinc eſt, ꝙ cũ ego cũ prouidẽtia creaui eũ, in memetipſo reſpexi, et fui philocaptus de pulchritudine creaturæ meæ: quia mihi placuit creare eã ad imaginẽ & ſimilitudinẽ meam cum prouidentia multa: & immo dedi ſibi memoriam, vt in ſe beneficia mea retineret, volens vt de potentia mei patris æterni participaret. Inſuper intellectũ ei tribui, vt in ſapiẽtia filij mei cognoſceret & intelligeret volũtatẽ meã, qui ſum omniũ gratiarum exhibitor, atq; donator cum ignifera charitate paterna. Sibi quoq; dedi voluntatẽ ad amandũ, participando clementiã ſancti Spiritus, vt amare poſſet, ea quæ cognouerat & viderat intellectus. Hoc aũt egit dulcis prouidentia mea ſolũ, vt capax eſſet ad intelligendũ, & guſtandum me cum ſummo gaudio in æterna viſiõe mea. Et ſicut aliàs ego tibi narraui, ex inobediẽtia primi veſtri parẽtis Adæ cœlum erat clauſum, qui dignitatem, in qua creatus erat ignorauit, nec attendit cum quanta prouidentia, & ineffabili dilectione creaueram eum: & ideo cecidit ad inobedientiã, & inde poſtmodũ ad immunditiã cum ſuperbia, & cõplacentia muliebri, volendo potiꝰ uxori ſuæ cõdeſcẽdere ſiue cõplacere quã obedire mihi: et quãuis ei minimè crediderit ea ꝙ ſuggerebat, nihilõinꝰ acqeuit ne cõtriſtaretur. A qua poſtmodũ inobediẽtia ꝓceſſerũt omnia mala ꝑ vniuerſum orbẽ:

vnde

vnde vos omnes huiuſmodi veneni participes eſtis, de qua quidem inobedientia in alio loco & tempore tibi narrare diſpono, quantum eſt homini periculoſa, vt ampliùs inde cognoſcas obedientiam eſſe commentabilem. Vt ergo mortem ipſius inobediētiæ auferrem ab homine, clementiſſimè prouidi, tribuendo vobis vnigenitum filium meum cum magna prouidentia, vt ita ſatisfaceret veſtræ neceſſitati: prouidentiam inquam, vt cum eſſet homo veſtræ humanitatis, atq; meæ Deitatis, abſconderem à Dæmonio veritatem meam, quòd non valuit eam agnoſcere. Quæ mea veritas incarnáta venit ad conſumandum, & omnino deſtruendum illius mendacium cum quo deceperat hominem. Itaq; ſuper hoc vſus fui magna prouidentia. Attende diligenter, amantiſſima filia, quia maiori prouidentia non poteram vti, quã ſi præberem vobis vnigenitũ filium meum: impoſuiq; ſibi magnam obedientiam, vt à veneno liberaretur humanũ genus, quod ex inobediētia primi veſtri parentis in orbem fuerat effuſum. Vnde tanquam philocaptus & verus obediens velociſſimè cucurrit ad opprobrioſam mortem ſacratiſſimæ crucis, & mediante ſua ſacratiſſima morte, vobis exhibuit vitam, non humanitatis, ſed vigore diuinitatis, quam per prouidentiam meam coniunxi cum natura humana, vt ſatisfaceret culpæ contrà me perpetratæ, qui ſum bonum infinitum, quæ requirebat ſatisfactionem infinitam: videlicet quod humana natura quæ offenderat, & erat in ſe finita, vniretur infinitæ rei, vt infinito mod^ mihi ſatisfaceret infinito pro omnibus hominibus, videlicet præteritis, præſentibus,

&

& futuris. Et vt toties quoties offenderet homo, & in vita ſua rediret ad me, ſatisfacere poſſet, ex integro vniui naturam diuinam cum humana veſtra natura, propter quam vnionem habetis, atq; recepiſtis perfectam ſatisfactionem. Hoc egit valdè gratiosè prouidentia mea, quia cum operatione finita, quia finita fuit in ſe pœna crucis, in filio meo recepiſtis fructum infinitum virtute diuinitatis, vt iam dixi. Hac infinita prouidentia mei patris veſtri prouidit, vt iterum intueretur homo veſtimento gratiæ, qui perdiderat indumentum innocentiæ, & omni virtute nudatus fame peribat, atq; frigore cruciabatur in iſta vita ſua peregrinationis, ac erat omni miſeriæ ſubditus. Cœli porta ſibi clauſa fuerat, nec vltra ſpem aliquam habebat, quàm ſi potuiſſet habere quoddam inde refrigerium, habuiſſet in vita præſenti. Et quia non habebat, ideo poſitus erat in afflictione magna. Ego verò Deus æternus affectione paterna prouidi miſericorditer huic hominis indigentiæ, atq; magnæ neceſſitati. Vnde non inductus a veſtris iuſtitiis vel virtutibus, immò ſolùm ab ineffabili bonitate mea motus, exhibui vobis optabile veſtimentum, vnigenito filio meo mediantè, qui dum ſemetipſum expoliauit vita corporali, vos induit veſtimento gratiæ pariter & innocentiæ. Quam gratiam & innocentiam in ſancto Baptiſmo recipitis, in virtute ſui pretioſi ſanguinis, vnde macula peccati originalis abluitur in quo concepti fuiſtis à parentibus veſtris. Et ideo dulcis mea prouidentia prouidit, non cum afflictina pœna cor-

na corporali,prout erat in Teſtamēto veteri conſuetum, (quoniam circumcidebantur homines) ſed cum dulcedine ſacri Baptiſmatis. Itaq; nunc iterum indutus eſt. Et etiam ipſum hominem valdè calefeci, dum vnigenitus filius meus humano generi patefecit,ex vulnerib. atq; ſciſſuris in ſuo ſacratiſſimo corpore perceptis,ignem excellentiſſimæ charitatis meæ, qui velatus erat occultè ſub cinere veſtræ humanitatis. Nonne videtur hoc eſſe valdè ſufficiens ad calefaciendum cuiuſcunq; cor hominis quantumcunq; frigidum & congelatum? Niſi forſitan voluerit eſſe obſtinatus, & excæcatus ab amore proprio: nec attēdere velit quantum ineffabiliter eum affectuosè diligo: prouidentia mea cibum vitæ tribuit ei,vt dum eſt in vita præſenti peregrinus,confortari poſſit,ſicut alibi tibi dixi. Etiam inimici ſui ſunt ita debilitati, quòd nullus ei nocere poteſt,niſi ſponte voluerit acquieſcere. Via rectiſſima eſt,& explanata cū ſanguine meæ veritatis incarnatæ, vt homo faciliter attingere poſſit ad illum finalem terminum, ad quem illum tam gratiosè creaui. Sed qui cibus eſt iſte? Sicut alibi ſeriò tibi narraui,eſt venerabile Sacramentum corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti crucifixi, vbi, & in quo Deus & homo continetur. Vtique angelorum cibus atque vitæ, qui faciat omnem famelicum, qui de tali cibo delectatur: non autem illum qui minimè famescit. Iſte nanque cibus ore ſancti deſiderij ſumi debet, & amore ſuccenſo guſtari. Vides ergo quòd

pro-

prouidẽtia mea dedit homini, vnde ſaluberrimè confortari valeat.

QVOMODO DEVS PROVIDIT EXhibendo ſpem homini: Et qui ſperat amplius, guſtat perfectiùs eius prouidentiam.

CAPVT. CXXXVI.

ETiam homini tradidi ſpem in refrigerium, ſi cũ lumine ſanctiſſimæ fidei pretium glorioſi ſanguinis aſpexerit, quod in veritate pro eo perſolutum eſt. Vnde recipere debet firmam in corde ſpẽ, immo certitudinem propriæ ſuæ ſalutis: in opprobriis Ieſu Chriſti crucifixi ſibi reſtituitur honor: quia ſi cum omnibus membris proprij corporis ipſe me pluries offendit: & Ieſus vnigenitus meus dilectiſſimus in omnibus membris ſui corporis grauiſſima tormenta ſuſtinuit. Et cum humili obedientia ſua correxit, & emendauit inobedientiam Adæ primi veſtri parentis atq; ſucceſſorum. Et ab ipſius obedientia omnes acquiſiuiſtis abuntãtiſſimè gratiam, ſicut ex inobedientia primi parẽtis, omnes inuoluti fuiſtis in culpa: hoc eſt vobis à mea prouidentia conceſſum, quæ nunquam homini defuit à principio mundi vſque nunc: Immo nec in futurum vſque ad vltimum vllo modo deficiet, quin ordinatè ſalubriterq́; prouideat in omni veſtra neceſſitate, multis atq; diuerſis modis, ꝑut ego iuſtus & optimus Medicus infirmitati veſtræ cognoſco neceſſarium & vtile pro ſalute veſtra, vt

homini reſtituam integram ſanitatem: & pro conſeruatione ſuæ ſanitatis, prouidentia mea nunquam alicui eam recipere volenti deficiet, ex his qui perfectè ſperant in me. Qui verò ſperant in me, pulſant, & in veritate clamant non ſolummodo verbo, ſed affectu & lumine ſanctiſſimæ fidei me guſtabunt in prouidentia mea, ſed non illi qui pulſant & clamant verbo ſolummodo, dicentes: Domine, Domine. Dico tibi ſi me non expoſcent, & exquirent alia virtute mediante, quod ego non cognoſcam eos ex miſericordia, ſed tantummodo per iuſtitiam. Itaq; replico, quòd prouidentia mea nunquam alicui, qui ſperet in me, in veritate deficiet vllo modo, ſed ſolùm illis qui de me deſperãt, in ſe ſolummodo ſperantes. Tu benè nôſti, quòd homo ſperare non poteſt in duabus rebus oppoſitis: hoc exprimere voluit veritas incarnata cum in Euangelio dixit: Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, quia ſi vni ſeruit habebit alium contemptui. Seruire verò non eſt abſq; ſpe, quia ſeruus alicui Domino vtiq; ſeruit cum ſpe placendi Domino ſuo, ſiue ſeruit cum aliqua ſpe quam habet in pretio, vel vtilitate quam inde conſequi ſperat. Inimico verò Domini ſui nullo modo ſeruiret, quia obſequium facere non poſſet abſq; ſpe qualiſcunq; lucri. Et ipſe priuatum ſe cerneret iis quæ præſtolabatur à Domino ſuo recipere. Sic ergo cogita, filia chariſſima, quod accidit animæ. Nam oportet eam in me ſperare, mihiq; ſeruire, vel quod in mundo ſperet & in ſemetipſa, & ipſi mundo ſeruiat: tantùm enim ſeruit mundo extra

me

me ſeruitio ſenſuali, quantùm amat propriam ſenſualitatem, & illi ſeruit: de quo ſeruitio & amore ſperat habere complacentiam ſenſitiuam, vel aliquam vtilitatem. Sed quia ſpes huiuſmodi, poſita noſcitur in re finita, vana pariter & tranſitoria, ideo ſibi deficit, & non habet effectum eius quod optabat. Dum verò ſperat, in ſe vel in mundo, non in me ſperat, quia mundum, videlicet hominis deſideria mundana, iugiter odi: Et in tantam abominationem habui quòd vnigenitum filium meum volui ſubire mortem opprobrioſæ crucis. Mundus itaque nullam conformitatem mecum habet, nec ego ſecum. Sed anima quæ perfectè ſperat in me, mihiq́ ſeruit ex toto corde ſuo, ſtatim ex neceſſitate compellitur occaſione prædicta, omnino de mundo periter & de ſemetipſa diffidere atq; deſperare. Hæc intelligo de ſpe poſita cum fragilitate propria. Iſta verò ſpes eſt, ampliùs vel minùs perfecta, iuxta menſuram amoris quam anima in me habet: & ita perfectè vel imperfectè de prouidentia mea deguſtat. & abſq; dubio cum maiori perfectione guſtant atq; recipiunt eam illi, qui mihi ſeruiunt atque ſperant in me ſolum, intuitu complacendi mihi, quàm illi qui ſeruiunt intuitu fructus alicuius, vel ex delectione quam inueniunt in me: iſti primi, ſunt illi quorum in vltimo ſtatu animæ tibi narraui perfectionem. Alij verò de quibus in præſenti loquor, ſunt illi ſecundi ac tertij, de quibus imperfectionem oſtendi, narrando de ſtatibus animæ, quia vadunt & ſeruiunt cum ſpe fructus vel propriæ delectationis. Tamen illis imperfectis, ac etiam per-

fectis, affectuoſa charitate prouideo: dum tamen ipſi non præſumant in ſe ſperando, quia præſumptio præſumendi de ſe, ſiue ſperandi ab amore proprio progreditur, & offuſcat oculum intellectus, priuans eum lumine ſanctiſſimæ fidei: vnde non incedit cum lumine rationis, & ideo meam prouidentiam non agnoſcit, nòn quòd illam non experiatur: quia nullus eſt excluſus, eò quòd iuſti pariter & peccatores à me procul dubio prouidentur. Nam omnia creata ſunt à bonitate mea. Ego nanq; ſum ille qui ſum, & abſq; me nihil omnino factum eſt, excepto peccato, quod nihil eſt. Itaq; recipiunt & ipſi de prouidentia mea, ſed non intelligunt, quia non agnoſcunt eam. Et quia non agnoſcunt, ideo nõ amant illam, ideo nec inde fructum gratiæ recipiunt, omnia vident indirectè velut excæcati, licet omnia directa ſint: lucem vident in tenebris, atq; tenebras in luce, quia poſuerunt ſpem atque ſeruitium in tenebris; vnde in murmurationem incidunt, & ad impatiẽtiam veniunt. Ecce cum quanta ſtultitia procedũt. Sed ô chariſſima filia, quomodo poſſunt iſti credere, quòd ego ſumma & æterna bonitas alia velle poſſim, quàm bonum ipſorum, in rebus paruis, quas quotidie permitto pro ſalute ſua, cùm ſatis experiantur, quòd ego nihil aliud volo, niſi ſanctificationem ipſorum in rebus magnis: cum omni cæcitate ſua facere nequeunt, quòd ſaltem aliqualiter cum paruo naturali lumine non videant bonitatem meam, atque meæ prouidentiæ beneficium, quam inueniunt, & eam denegare non poſſunt in prima

crea-

creatione: ac in recreatione, quam homo recipit in ſanguine, quando fuit recreatus ad gratiam, vt aliàs tibi dixi. Hoc eſt ita clarum atq; manifeſtum, quòd nullatenus contradicere poſſunt, nihilominus ipſi terrentur ex vmbra ſua, quoniam huiuſmodi naturale lumen in virtute ſua non exercuerunt. Homo ſtultus non aduertit, nec attentè conſiderat, quod ego prouidi de tempore in tempus in vniuerſo generaliter, & vnicuiq; particulare iuxtà gradum ſuum. Et quia nullus eſt in vita præſenti ſtabilis, immo quotidie mutatur de tempore in tempus, vſq; quo peruenerit ad ſuum fixum terminū: Iugiter ego prouideo, de omnibus opportunis, atq; tempore opportuno.

QVOMODO DEVS IN VETERI Teſtamento prouidit cum lege atq; Prophetis: Et poſtmodùm in nouo cum Euangelica doctrina.

CAPVT. CXXXVII.

IN veteri Teſtamēto prouidi, dando legem in manu Moyſi, & illi populo meo dirigendo Prophetas, à Spiritu ſancto doctos & illuminatos: vnde noueris, quòd antequam vnigenitus filius meus veniret in carnem, ille populus Iudaicus valdè modico tempore ſtetit abſq; Propheta: vt haberet ex Prophetiis exhortationē atq; ſpem, quòd veritas mea veniret in carnem veluti Propheta prophetarum, vt eos à ſeruitute liberaret, atque cœlum eis aperiret pretioſo ſanguine

ſuo, quòd antea tanto tempore ſteterat obſeratum. Poſtquam autem ipſum verbum amabile carnem aſſumere dignatum eſt, nullus vltrà Prophetã ſurrexit in eis, vt ipſi certificarentur quod ille, quem exſpectabant, venerat: vnde non expediebat ꝙ alij Prophetæ ipſum annunciarent, licet ipſum minimè cognouerint, neq; cognoſcant ex propria cæcitate. Poſtque hoc prouidi, mittendo verbum, vt eſt dictũ, quod vtiq; fuit veſter mediator inter me Deum æternum & vos. Poſt ipſum venerunt Apoſtoli, Martyres, Doctores atq; Confeſſores, vt alibi tibi dixi. Hæc omnia prouidentia mea fecit, & tibi dico quòd vſq; ad vltimum in veritate prouidebit: Hæc autem eſt vna prouidentia generalis, exhibita creaturis omnibus quæ rationem habẽt, quæ voluerint ex tali prouidentia fructum habere. In particulari quoq; do omnia per prouidẽtiam meam, vitam ſiue mortem, quocunque modo perueniat, famem & ſitim, perdere ſtatum in mundo, nuditatem, frigus, calorem, iniurias, contumelias atque deriſiones. Hæc omnia permitto fieri vel dici ab hominibus. Non quòd ego faciam iniquitatẽ malæ voluntatis eius, qui malè operatur & iniuſtitiam exercet, ſed eſſe pariter & tempus quod habet, à me recipit. Quod eſſe tribui ſibi, non vt offenderet proximum aut me, ſed vt mihi fideliter ſeruiret & illi cum affectu charitatis: vnde permitto illum actum, vel ad probandam patientiæ virtutem in anima, in eo qui recipit, vel vt cum humilitate ſeſe cognoſcat. Aliquando permitto, quòd viro iuſto quaſi

totus

totus mũdus aduerſabitur, et vltimò morietur extraneo modo, ita quòd omnes admirabuntur, & videbitur iniuſtum, quòd vir iuſtus ita moriatur in aqua, vel in igne, aliquando deuorabitur ab aliqua fera: quandoque ruet aliquod ædificium ſuper eum, vt perdat vitam corporalem. O quantum hæc videntur vltrà modum extranea illi oculo, qui lumine caret fidei ſanctiſſimæ, ſed non oculo fideli? Quia fidelis inuenit atq; guſtauit ex amoris affectu, in magnis rebus antedictis meam prouidentiam: & ita videt & agnoſcit quòd cum magna prouidentia cuncta diſpono, ſolummodo pro ſalute hominis procuranda. Et ita omnia recipit cum humili reuerentia, nec vllo modo ſcandalizatur in ſe, nec in operibus meis, nec etiã in proximo ſuo, ſed omnia tolerat cum vera patientia, prouidentia mea nulli creaturæ denegatur, ſiue tollitur, quoniam cum ea omnia condita ſunt. Aliquando videtur prudẽti viro, quòd grando ſiue tempeſtas, ſiue fulgur, quibus aliquando quenquam allido vel occido ſit crudelitas, iudicando quòd quaſi ſalutem illius negligere voluerim: & ego ſi ordinaui & permiſi, vt euaderet mortem æternam: & ille iudicat oppoſitum: & ſic homines huius mundi volunt in omnibus opera mea contaminare malè iudicando, ac intelligendo ſecundum eorum infimum intellectum.

QVOMODO QVICQVID NOBIS Deus concedit, eſt ſolummodò pro bono noſtro: Et quòd illi ſunt cæci, qui iudicant oppoſitum.

CAPVT. CXXXVIII.

POſt hæc ipſe Dominus ait: Volo dilectiſſima filia, vt videas atq; diligenter attendas, cum quãta patientia ſupportare me conuenit hominem, quem ad imaginem & ſimilitudinem meam cum affectuoſa charitate creaui. Aperias oculũ intellectus, & aſpice in me, præcipuè conſidera caſum illũ particularem, pro quo me rogâſti, vt gratioſè prouiderem: & ego prouidi ſicut optimè nôſti, taliter quòd abſq; periculo mortis ille ſtatum ſuum cum fœlicitate recuperauit. Et ſicut occurrit in illo particulari caſu, ita generaliter eſt in omnibus aliis rebus. Tunc anima deuota ſui oculum intellectus aperiens, cum lumine ſanctiſſimæ fidei, cum anxio deſiderio, quia propter ea quæ ei Deus dixerat, ampliùs de ſua veritate cognoſcebat, in dulciſſima prouidentia, propter obedientiam præcepti diuini multùm ſpeculando attentè, & attendendo diuinæ maieſtatis abyſſum, & ineffabilem charitatem eius, apertè ipſum videbat eſſe ſummam & æternam bonitatem, & quòd ſolummodo nos ex affectuoſa charitate creauerat, atque ſanguine pretioſo ſui filij redemerat. Et ideo cum eodẽ amore tribuebat omnia, quæ concedebat alicui ſiue permittebat, videlicet conſolationes atque tribulationes. Omnia paterna charitate ſuis creaturis exhibebat

bebat, & vt hominum æternæ ſaluti prouideret, & nõ alio reſpectu; quòd ſanguis effuſus cum tàm ignifera charitate patenter atteſtabatur hanc eſſe veritatem. Tunc ait illi ſummus & æternus pater: Iſti ſunt velut excæcati ab amore proprio, qui cum impatientia multa ſcandalizantur. Ego loquor nunc tibi in particulari, & in generali, reaſſumens illud quod dicere cœperam. Dico ergo, quòd ipſi condemnant, & iudicant in eorum odium, detrimentum, ruinam atq; damnum, ea quæ facio eis ex amore ſingulari, & in bonum ipſorum, & vt pœnis æternis abſolutè priuentur, et vt cum fœlici lucro perueniant ad vitam æternam. Ergo quare de me conqueruntur? Ex eo, quòd in me ſperare nolunt, immo potiùs in ſemetipſis. Et iam ego dixi tibi, quòd ex hoc incidunt in tenebras: & ideo non agnoſcunt, & odiunt illa, quæ debent in magna reuerentia recipere: ſed ipſi veluti ſuperbi volunt occulta mea iudicia temerè iudicare, quæ ſunt omnia rectiſſima & iuſta; ipſi faciunt vt aliquando cæcus facere ſolet, qui cum ſimplici ſeu leui tactu, inani vel inſipido guſtu, aut incerto ſono vocis iudicare præſumet in bonum ſiue malum, iuxta ſuũ infirmũ & ignorantẽ ſenſum. Atq; renuunt in me confidere, qui ſum vera lux, & ſumma ſapientia, & ſum ille qui ſpiritualiter atq; corporaliter eos alendo nutrio; & abſq; me nihil poſſunt habere ſiue facere. Si aũt aliquando ſeruitur eis ab aliqua creatura, ego ſum ille qui tribui ſibi voluntatẽ illã, et ordinaui totũ, videlicet vt illa poſſet, vellet, atq; ſciret facere. Sed illi veluti ſtulti procedere

volunt

volunt cum tactu manus, quæ decipitur aliquando, quia neſcit in ſuo tactu diſcernere de coloribus, quia lumine caret: & ita decipitur etiam guſtus, quoniam aliquando minimè videt animal immundum, quod eſt in cibo. Auris aliquando decipitur in dulcedine ſoni, quia non videt illum qui canit, qui cum illo ſono ſiue cantu, niſi cum diligentia ſibi caueret, ei poſſet inferre mortem. Ita faciunt iſti, qui velut excæcati, perdito lumine rationis, tangendo ſolummodo cum manu ſenſus exterioris, atque carnalis vitæ mũdanæ, delicias iudicant eſſe bonas: quia non vident, & non aduertunt ipſas eſſe, veluti pannum inſertum & inuolutum in ſpinis variis, cum multa miſeria, & laborioſis anguſtiis, in tantum, quod cor illud quod extra me poſſidet illas, eſt incomportabile ſibimetipſi. Sic enim ori deſiderij, quod inordinatè diligit eas, dulces apparent atque ſuaues ad fruendum. Et non aduertit, quòd ibi reſidet animal immundum multarum iniquitatum, atque peccatorum mortalium, quæ reddunt animam immundam, & illam elongant à ſimilitudine mea, & auferunt ei gratiæ vitam. Vnde ſi tales non intendunt cum lumine ſanctiſſimæ fidei, ad purificandam animam in ſanguine, acquirent inde mortem æternam. Auditus eſt amor proprius, qui ſicut ei videtur, dulcem ſonum emittit. Quare ſibi videtur ita. Quoniam anima talium, ſequitur amorem proprium ſiue ſenſualitatis, & quia non videt, à ſono decipitur. Et quia poſt illum abiit per inordinatam declinationẽ, ſe reperit in foueam adductam, liga-

ligatam vinculo culpæ, atq; ſe traditam in manibus inimicorum ſuorum: quia tanquam excæcata per amorem proprium, & à fiducia quam in ſe poſuerat, & in proprio ſenſu in me non confidit, qui ſum via, & fidiſſimus Dux. Quæ via humano generi facta fuit ab incarnato verbo, videlicet vnigenito filio meo, qui vobis apertè dixit: Ego ſum via, veritas & vita: & eſt lumen, vnde qui vadit per eum, decipi non poteſt: & non vadit in tenebras: atq; nemo poteſt ad me venire, niſi per eum, quoniam eſt vnum mecum. Et iã ego tibi dixi, quòd ex illo vobis pontem feceram, vt ad me tutè venire poſſetis, qui ſum finis atq; terminus veſter. Et nihilominus homines ignorantes & ingrati non confidunt in me, qui nihil aliud ab eis opto atq; requiro, niſi ſanctificationem ipſorum: & ad iſtum finem ex affectu ſingularis amoris, eis omnia permitto & exhibeo: & ipſi ſemper in me ſcandalizantur, & ego patienter eos tolero, ſupportando mores eorum, quoniam ego eos dilexi nõ dilectus ab eis, immo priùs quàm eſſent: & ipſi quotidie me perſequuntur cum impatientia multa, ſimul & odio, murmuratione atque infidelitate magna volentes inueſtigare iugiter occulta iudicia mea, ſecundum cæcitatem & ignorantiam ipſorum: quæ procul dubio ſunt valdè iuſta cum paterna charitate & ingenti amore, cùm ipſi ſemetipſos ignorent: & ideo cum falſitate vident, quia qui ſemetipſum non agnoſcit, me cognoſcere non valet, nec etiam meas intelligere iuſtitias.

QVO-

QVOMODO DEVS IN ALIQVO particulari caſu, prouidit ſaluti animæ illius, cui caſus occurrit.

CAPVT. CXXXIX.

VIs apertè cognoſcere, chariſſima filia, quãtum iſte mundus eſt in myſteriis meis fraudatus. Aperi diligenter oculum intellectus, & aſpice in me, videbis veritatem in caſu particulari, quem ego tibi promiſi narrandum. Et ſicut eſt de iſto, ita de multis aliis narrare poſſem. Tunc anima deuotiſſima volens æterni patris obedire præcepto, anxio deſiderio reſpiciebat in eum. Ipſe verò pater æternus apertè patefaciebat ei damnationem eius, pro quo caſus euenerat, & ait: Ego volo te nôſſe, quòd vt euaderet hanc æternam damnationem, in qua vides illum fuiſſe venturum, ego permiſi caſum iſtum inopinatum: & qui videtur ita terribilis, vt cum ſanguine ſuo, mediante ſanguine dilectiſſimi filij mei, vitam adipiſceretur æternam. Non enim obliuioni tradideram amorem atq; reuerentiam eius, ad Mariam vnigeniti filij mei Genitricem glorioſam. Cui conceſſum eſt à bonitate mea, propter incarnati verbi reuerentiam, quòd quicunque iuſtus vel peccator, qui recurrit ad eam cum deuota reuerentia, nullo modo diripietur vel deuorabitur ab infernali Dæmonio. Nam ipſa eſt à me velut eſca dulciſſima collocata, & electa pro capiendis hominibus, & animabus præcipuè peccatorum. Itaque magna miſericordia motus ego hôc feci, videlicet permittendo caſum illum, quem homines exiſtimant

mant ita crudelem. Non quippe feci malam voluntatem iniquorum, immo ſolum effectum, qui iudicatur ab hominibus eſſe crudelitas. Et hoc eis accidit ex amore proprio, qui abſtulit eis lumen, & ideo veritatem meam ignorant. Sed ſi vellent huiuſmodi nubem auferre ſibi, cognoſcerent illam & amarent: & ſic omnia reciperent in debita reuerentia, & in fœlici tempore, collectum fructum omnium laborum cum gaudio poſſiderent. Sed amantiſſima filia, minimè dubites, quòd in eo, de quo me rogas, implebo deſideriũ tuum, & aliorum meorum amicorum. Ego ſum Deus veſter, omnium laborum iuſtiſſimus remunerator, atq; ſanctorum deſideriorum impletor, dummodo inuenirem aliquos in veritate pulſantes ad mea ianuam veritatis, vt non errarent, neq; deficerent in ſpe mea prouidentia.

HIC DEVS ENARRANS PROVIDENtiam ſuã erga ſuas creaturas, diuerſis aliis modis, conqueritur de illis pro infidelitate illarum: Et exponens vnam figuram veteris Teſtamenti, perutilem exhibet doctrinam.

CAPVT. CXL.

NArraui tibi de iſto particulari caſu: nũc volo tibi loqui generaliter. Tu nunquã intelligere poſſes ad plenũ, quanta ſit hominis ignorantia; ipſe procedit abſque ſenſu quocunque, ſiue prudentia, cum ſibimetipſum abſtulerit in ſe ſperando, confidens in proprio ſenſu. O ſtulte ac inſipiens homo,

non-

nonne conſideras & attendis, quia virtus atque prudentia tua non eſt ex te? immo bonitas mea, quæ neceſſitati tuæ prouidit, gratioſè tibi conceſſit eum. Quis hoc apertè tibi demonſtrat, illud quod in te frequenter experiris? Quoniam aliquando vis aliquid agere quod non vales, nec vllo modo ſcies: quandoque ſcies & non valebis: quandoque deficies in tempore, & ſi quandoque tempus habebis, voluntas non aderit. Totum hoc à me tibi gratioſè conceditur, vt ſaluti tuæ prouideatur, vt agnoſcas & intelligas te non eſſe à te, & habeas humiliandi te materiam, & non elatè ſuperbiendi. Vnde reperies in omnibus priuationem atque mutationem, quia non ſunt in tua libertate. Solummodo gratiam meam inuenies eſſe ſtabilem atque firmam, quæ tibi nullatenus auferri poteſt, nec inuitus ab ea mutari potes, niſi ſponte redieris ad culpam, & ab ipſa gratia diſceſſeris. Ergo quomodo potes erigere caput contra meam bonitatem? Si capax es, & vis vti ratione, caput erigere non vales, neq; potes in tua cognitione ſperare, neq; confidere potes in aliqua ſpe tui, ſiue de te. Sed quia factus es animal brutum abſq; ratione, non vides, neq; cognoſcis, quòd omnia mutantur, excepta gratia mea. Ergo quare non confidis in me, qui ſum creator tuus? quare confidis in te? Nonne tibi ſum ego valdè fidelis? Certè ſic. Iſta non ſunt tibi occulta, quia ea iugiter experiris. O dulciſſima filia, vides apertè quòd homo mihi valdè fuit infidelis, & minimè legalis, obedientiam, quã impoſueram ſibi, tranſgrediẽdo, vnde cecidit in mortem:

tem. Ego verò fui ſibi fideliſſimus, obſeruando ſibi, atque tribuendo finem ad quem ego creaueram eum, videlicet ſummum & æternum bonum, & ad perficiendam iſtam veritatem meam, vniui ſummam & æternam diuinitatem cum infirmitate humanæ naturæ: Atque ſic homo redemptus extitit, & ad gratiam recreatus, vnigeniti filij mei dilectiſſimi ſanguine mediante; & ſic experientia docente probauit. Sed apparet, quòd ipſe pauper & infidelis homo minimè credat, quòd ego ſim potens ad ei ſubueniendum, atque fortis ad eum adiuuandum & defendendum ab inimicis ſuis: & ſapiens ad illuminandum oculum intellectus eius. Neque clementiam habeam, vt velim ei dare quæ neceſſaria ſuæ ſaluti ſunt: neque ſim diues, vt eum ditare queam: neque pulchritudinem habeam, vt ipſum valeam facere pulchrum: neque cibum habeam, vt eum ſaturare valeam: neque veſtem ad eum induendum: eius opera patefacere videntur eum ita credere: quia ſi realiter ita non crederet, appareret ex effectu ſuarum operationum: & nihilominus iugiter homo experitur, quòd ego ſum valdè fortis. Nam eum in eſſentia ſua quotidie conſeruo, & ab inimicis eius valida manu defendo, nec eſt aliquis qui reſiſtere poſſit fortitudini ſiue potentiæ meæ. Homo verò non videt, quia renuit videre. Cum ſapientia mea totum orbem ordinaui atq; guberno, cum tanta diligentia procedens ordinatè, quòd ibi nihil omnino deficit, nec aliquis vltrà quicquam ei poteſt apponere circa corpus vel animam. In omni-

bus ego prouidi, non à veſtra voluntate coactus, quia nec eratis, ſed à mea clementia ſolùm inductus & inclinatus: & ita creaui cœlum & terram atq; mare, pariter & firmamentum cœli, vt ſuper vos & vniuerſam terram moueretur: aërem vt reſpirare poſſetis: ignem & aquam, vt vnum contrarium à ſuo contrario temperaretur: ſolem ne ſtaretis in tenebris. Omnia ſunt facta & ordinata, vt homini ſatisfaciat in ſuis opportunitatibus. Cœlum eſt ornatum auibus: terra verò fructibus cum animalibus multis, vt homo viuere poſſit ex eis. Mare quoq; piſcibus abundat. Omnia condidi multum ordinatè, atq; prouidentia magna. Poſtquam autem omnia creaui bona & perfecta, poſtremò creaui hominem ad imaginem & ſimilitudinem meam: & eum in hoc viridario collocaui, quod ex culpa primi parentis Adæ germinauit illicò ſpinas, vbi flores odoriferi prius erant, videlicet innocentiæ & magna ſuauitatis. Omnia parebant ad votum homini, ſed ex culpa & inobedientia perpetrata, reperit in ſe rebellionem, & in aliis creaturis: vnde ſylueſter eſt effectus iſte mundus, ac etiam homo, qui vocatur alius minor mundus. Ego verò pietate paterna prouidi, mittendo verbum vnigenitum meum in mundum, qui abſtulit ei infœcunditatem originalis peccati, & ſpinas euulſit ab eo, reformando mundum in pulchrum viridarium, aſperſum ipſius vnigeniti mei ſanguine pretioſo: & ablata ſpina peccati mortalis, in eo plantas inſerui ſeptem donorum Spiritus ſancti. Hoc verò factum extitit poſt mortem

tem vnigeniti filij mei, & non ante: ſicut apparuit in veteri Teſtamento, ſub iſta figura. Rogatus Heliſeus, vt iuuenculum iam defunctum à morte ſuſcitaret, ipſe non iuit: immo Giezi cum baculo ſuo direxit iniungens ei, quòd illum poneret ſuper defunctum puerum. Cùm ergo Giezi perfeciſſet, vt ei fuerat imperatum, iuuenculus ille non ſurrexit. Videns hoc Heliſeus, iuit in propria perſona, & ex toto ſe cum puero conformauit in omnibus membris, in faciem eius aſpirando ſepties, vnde puer illicò vitæ reſtitutus eſt. Hoc in figura contigit in Moyſe, quem ego miſi cum baculo legis, vt exponeret ſuper mortuo generis humani. Sed per baculum iſtiuſmodi legis, non habebant vitam. Vnigenitum ergo filium meum direxi, qui figuratus extiterat per Heliſeum, qui ſe conformauit cum iſto mortuo, per vnionem diuinæ naturæ, cum humana veſtra natura. Cum omnibus membris iſta diuina natura fuit vnita, videlicet cum potentia mei patris æterni, cum ſapientia ipſius vnigeniti mei, & cum clementia ſancti Spiritus: quòd totum ſum ego vnus Deus, abyſſus Trinitatis conformatus, & vnitus cum natura veſtra humana. Poſt hanc autē vnionem, aliam etiam egit hoc amoroſum & amabile verbum, videlicet, quia veluti philocaptus velociſſimè cucurrit ad mortem opprobrioſiſſimæ crucis, vbi ſe totaliter extendit. Et poſt iſtam vnionem, iſti filio mortuo ſeptem dona ſancti Spiritus valdè charitatiuè donauit, qua-

ſi ſepties in faciem eius aſpirando, & in ore deſiderij ſancti ſufflando: & ſic in ſacro Baptiſmate ei mortem peccatorum abſtulit, & vitam gratiæ donauit: vnde mortuus ipſe protinus aſpirauit in ſignum vitæ per os, videlicet eiciendo peccata ſua per humilem confeſſionem. Itaq; viridarium iſtud modò ſuauibus atque dulcibus fructibus eſt exornatum. Verum eſt quod hortulanus iſtius viridarij, videlicet arbitrium liberum, illud valdè facere poteſt domeſticum ſiue ſylueſtre, ſicut ei placuerit, videlicet cum ſancta ſollicitudine ſua negligenter illud excollendo. Si enim in eo ſeminauerit venenum amoris proprij, vnde naſcũtur vitia ſeptem principalia: necnon & alia quæ procedunt ab eis, illicò repelluntur illa ſeptem dona ſancti Spiritus, & ita priuatur omni virtute: ibi non eſt aliqua fortitudo, quia factus eſt imbecillis. Non eſt ibi temperantia neque prudentia, quia lumen amiſit cum quo ratione laudabiliter vtebatur. Non eſt ibi fides, vel aliqua ſpes, vel iuſtitia, quia factus eſt iniuſtus: in ſe quoq; ſperat, & cum fide mortua ſibimetipſi credit, confidit in creaturis, & non in me creatore ſuo. Non eſt ibi charitas vel vlla pietas ex eo, quod ſibimet abſtulit ea cum amore priuato propriæ fragilitatis. Vnde quia ſibimetipſi crudelis eſt effectus, alicui proximo pius eſſe non valet. Priuatus eſt igitur omni bono, & peruenit ad abominabile malum, atq; mortem horrendam. Sed vnde vitam obtinere poterit? Ab hoc eodem Heliſeo, verbo vnigenito filio meo. Et quomodo? ſi hic Hortulanus euellat huiuſmodi

modi

modi culpæ ſuæ ſpinas, cum odio ſancto: quia niſi ſemetipſum odiret, nunquam eas euellere poſſet. Et cum amore ſyncero currat ad ſe conformandum cum doctrina meæ veritatis incarnatæ: & ipſum viridarium aſpergat illo pretioſo ſanguine filij mei, qui ſanguis effunditur in capite peccatoris à Sacerdote, quãdo poſt humilem contritionem, confeſſionem, atque ſatisfactionẽ, cum ſancto propoſito vlterius non offendendi, ab eo recipit abſolutionem. Hoc vtique modo, poteſt homo domeſticare, ſiue reuocare hoc viridarium animæ ſuæ, dum eſt in præſenti vita; poſtea nãque non habet vltrà remedium, prout aliâs tibi dixi.

QVOMODO DEVS PROVIDIT ERga nos, vt pro ſalute noſtra tribulemur: Et de miſeria illorum qui ſperant in ſe, & non in DEI prouidentia.

CAPVT. CXLI.

VIdes ergo, quòd cum prouidentia mea reparaui ſalubriter hominem, qui dicitur eſſe ſecundus vel minor mundus. Primò quippe non fuit ablatum, quin abũdantiſſimè germinaret ſpinas multarum tribulationum, & in omnibus homo rebellionem inuenit. Nec hoc eſt actum abſq; prouidentia mea, & abſq; bono veſtro: immo cum magna prouidentia & vtilitate veſtra, præſertim vt auferatur homini ſpes huius vitæ præſentis, & vt velociſſimè currat, & ad me curſum dirigat, qui ſum fœlix finis, atque terminus eius. Ita vt ſaltem ex quadam im-

portunitate moleſtiarum ab eo cor auferat, & affectum ad me eleuet. Et nihilominus homo cũ tanta procedit ignorantia, quòd omnino videtur ignorare veritatem. Et eſt ita fragilis ad ſe quotidie dilatandum in mundum, quòd non obſtantibus huiuſmodi laboribus, atq; ſpinoſis tribulationibus, quas ibi reperit, non videt quòd ab eo ſe ſegregare velit: neq; curat ad patriam ſuam, quam ei præparaui, redire. Potes hinc, amantiſſima filia, coniecturare, quid infœlix homo faceret, ſi reperiret in mundo ſolummodo conſolationes & delectationes ad votum, atq; requiem abſq; pœna quacunque. Et ideo cum dulci prouidentia miſericorditer permitto et exhibeo, vt ipſe mũdus, anguſtias atq; tribulationes hominibus abundantiſſimè germinet: & vt in eis patientiæ virtutem experiat, atque pro pœna & violentia, quam ſibi faciunt, inueniam vnde eis debeam exhibere præmium. Itaque ſemper, & in omnibus ordinauit, cum magna ſapientia, prouidentia mea. Multa quidem homini gratiosè conceſſi, quia ſum valdè diues, & inæſtimabiliter ampliora dare poſſum & volo, diuitiæ quippe meæ ſunt infinitæ: immo ſunt omnia per me condita, & abſq; me nihil omnino poteſt eſſe. Vnde ſi quis optat habere, vel videre pulchritudinem: Ego ſum pulchritudo ſuprema: ſi quis bonitatem, ego ſum æternum atque ſummum bonum. Ego vera ſapientia. Ego benignus, pius, iuſtus atque miſericordiſſimus Deus. Ego largus, & non auarus. Ego

ſum ille qui tribuo multum abundanter omnibus à me poſtulantibus, libenter aperio cunctis in veritate pulſantibus, omnibus me vocantibus illicò reſpondeo. Non ſum ingratus, immo valdè gratus, atque diſcretus: & omnes in ſeruitio meo laborantes cum abundãtia maxima remunero. Sum inſuper valdè dulcis, nam animam, quæ voluntatem meam induit, in iucunditate maxima retineo & conſeruo. Egó ſum illa certiſſima prouidentia, quæ nunquam ſeruis meis in aliquo caſu deſum, qui ſperant in me, omnibus prouidens, vbique tam in anima quam in corpore. Infidelis autem homo, qui me paſcere ſiue nutrire videt, etiam in arido ligno vermem, & animalia paſcere bruta, piſces maris, & volatilia cœli, ſolem atque rorem ordinariè, & tempore congruo venire ad impinguandam terram, vnâ cum plantis, & aliis fructibus, quomodo credere poteſt, quòd ei prouidere non velim, quem in tanta dignitate creaui ad imaginem & ſimilitudinem meam, cum hæc omnia fecerim in ſeruitio ſuo, & ad ſui ſubſidium? Vndecunque ſe vertat, ſpiritualiter vel temporaliter aliud inuenire nequit, quàm abyſſum & ignem æternæ meæ charitatis, cum vera & perfecta prouidentia. Sed ipſe non videt, quia lumen abſtulit ſibimet, immo neque videre curat. Ideo ſcandalizatur erga proximum, arctando & reſtringendo charitatem, & cum auaritia de die craſtino cogitando. Cùm hoc à veritate mea fuerit ei prohibitum, dicente: Nolite cogitare de craſtino, ſufficit

ſufficit enim diei cuilibet ſollicitudo eius, vbi de veſtra infidelitate vos arguit, oſtendendo prouidentiam meam atque temporis breuitatem, dicens: Nolite cogitare de craſtino. Quaſi dicat; nolite cogitare de illo, de quo ſecuri non eſtis habere. Vos enim decet primò quærere regnum Dei, & iuſtitiam eius, videlicet vitam bonam atque ſanctam, quia de his minimis ego noui, videt pater æternus vos indigere. Ideo cuncta pro vobis feci, & mandaui terræ, quòd de ſuis fructibus exhibeat. Iſte verò miſerabilis homo, qui ex ſua diffidentia reſtrinxit in ſe cor atque manus in charitate proximi, minimè legit huiuſmodi doctrinam à mea veritate traditam, quia veſtigia ſua non imitatur. Vnde ſibimet efficitur incomportabilis. Et ex eo quod in ſe confidit, & in me ſperare negligit, omne malum oritur. Talis enim ſe iudicem facit voluntatis hominum, nec attendit, ꝙ ego, nō ipſe iudicare debeo. Inſuper et voluntatē meā non attēdit; nec in bono iudicat, niſi quādo videt aliquā proſperitatem ſiue delectationē, vel mundi complacentiā. Et ſi hoc ei defecerit, nō videtur ei ſentire, neq; recipere ꝓuidentiam, neque bonitatem aliquam. Sibiq; videtur eſſe priuatus omni bono, pro eo, quòd affectus eius erat ex toto poſitus, in tali mundi complacentia, ſiue delectatione propria. Et quoniam excæcatus eſt à propria paſſione, diuitias ibidem intrinſecùs exiſtentes penitùs ignorat, atq; fructum veræ pœnitentiæ. Sed inde ſolùm haurit in ſe mortem, & in iſta vita guſtat animam inferni. Tamen iſto non obſtante, non omitto ex bonitate mea, quin ei prouideam. Ita nanq;

præ-

præcepi terræ, quòd de ſuis fructib. peccatori tribuat, ſicut & iuſto: immo frequenter peccator abundabit huiuſmodi magis quàm iuſtus. Et ita ſolem atq; pluuiam ego peccatori concedo, ſicut & iuſto. Hoc autem mea bonitas ita facit, vt abundantiùs in anima iuſti diuitias inuiſibiles poſtmodum exhibeam, qui amore mei ſe temporalibus opibus expoliauit, ex corde renunciando mundo & omnibus eius deliciis, ac etiam propriæ voluntati: iſti ſunt procul dubio qui pinguefaciunt animã ſuam, ſe dilatantes in meæ charitatis abyſſum. In totum enim ſui curam amittunt. Qui non ſolùm omittunt curam huiuſmodi temporalium, verùm etiam de ſe curam habere negligunt, & ex toto renuunt. Tunc ego ſum gubernator eorum ſpiritualiter atque corporaliter. Et cum eis vtor particulariter prouidentia, vltrà generalem, quia clementia ſancti Spiritus ipſis fideliſſimè ſeruit loco ſeruitoris. Hoc in vita patrum ſanctorum aliquando legiſti, de illo ſolitario ſanctiſſimo viro, qui renunciauerat omnibus, amore mei. Poſtea cùm ægrotaret, angelus ei miſſus fuit à clementia mea, qui miniſtraret ei, & in opportunitatib. ei prouideret, corpori quippe benè prouidebatur, anima verò fruebatur admirabili gaudio, propter illius angeli conuerſationem. Spiritus ſanctus eſt talibus veluti mater, qui nutrit eos ad vbera diuinæ charitatis. Fecit etiam eos liberos, veluti dominos, eis auferẽdo ſeruitutem amoris priuati. Nam vbicunq; fuerit ignis excellentiſſimæ charitatis meæ, non poteſt adeſſe proprij amoris aqua, quæ dulcem ignem iſtum extinguit in anima: iſte ſeruitor egre-

gius, videlicet Spiritus ſanctus, quem eis ex bonitate mea ſingulariter aſſignaui, animam induit, inebriat atque magna dulcedine nutrit, & ei magnas opes exhibet. Et quoniam omnia propter me dereliquit, omnia reperit in me: & quia ſe de ſemetipſa denudauit, ſe reperit de me egregiè veſtitam: & quia propter humilitatem ſe ſeruam effecit, ideo facta eſt in veritate domina. Eò, quòd mundo virtuosè dominatur atque propriæ ſenſualitati. Et quoniam in ſenſu & iudicio ſuo ſe totaliter excæcauit, in perfectiſſimo lumine moratur. De ſemetipſa deſperando, perfecta ſpe pariter & viua fide conatur ad me, & ita guſtat æternam vitam, & omni pœna & amaritudine mentem affligente, priuatur. Omnia iudicat in bonum, quoniam in omnibus voluntatem meam iudicat, in qua vidit & agnouit, cum lumine fidei, quòd ego ſolummodo quæro ſanctificationem ſuam, & ideo patiens eſt effecta. O quantum hæc eſt anima beata, quæ dum adhuc eſt in corpore mortali, guſtat in ſe bonum immortalium? Omnia recipit & videt cum reuerentia. Tanti ponderis eſt ei ſiniſtra manus, quanti dextera, tanti turbulatio, quanti conſolatio. Tantum appretiat eſuriem & ſitim, quantum cibum & potum: tantum frigus, quantum calorem: tantum nuditatem, quantum veſtimentum: tantum vitam, quantum mortem: tantum honorem, quãtum vituperium ſiue dedecus. In omnibus firma conſiſtit atq; ſolida, quia ſtabilita & petram viuam agnouit, & vidit etiam cum lumine ſanctiſſimæ fidei, & cum

firma ſpe ꝙ omnia cõfero cũ eodem amore, ac vno eodemq́; reſpectu, videlicet in ſalutem veſtram: & ꝙ in omnibus ego prouideo. Nam in magnis laboribus ego exhibeo magnam fortitudinem. Nec onera grauiora concedo, quàm homo portare valeat, dum homo ſe diſponat ad portandum honore mei in ſanguine. Notorium eſt vobis, quòd ego nolo mortem peccatoris; immo potiùs vt conuertatur & viuat, & pro vita ſua tribuo quicquid ei concedo. Hoc apertè vidit & intellexit anima, quæ ſemetipſam exuit, & ideo lætatur & exultat in omnibus, quæ ſentit vel videt, in ſe vel aliis. Neq; dubitat, quòd iſta minima deficiãt ei, quia cum lumine fidei certificata fuit in magnis & arduis, de quibus in principio mei ſermonis ego tibi dixi. O quàm glorioſum eſt lumen iſtud fidei ſanctiſſimæ; cũ quo vidit & agnouit veritatem meam, lumen autem iſtud habet ab iſto nobili ſeruitore, videlicet à Spiritu ſancto, quem aſſignaui ſibi, quod eſt vtiq; ſupernaturale lumẽ, quod acquirit anima fauente gratia mea, exercendo virtuosè naturale lumen, quod ei primò conceſſi.

QVOMODO DEVS ANIMABVS famelicis gratioſè prouidit, de cibo venerandi Sacramenti corporis Ieſu Chriſti, vbi continentur admiranda quædam.

CAPVT. CXLII.

NVnquid, amantiſſima filia, nôſti, qualiter ego prouideo ſeruis & amicis meis, qui ſperant in me. Eis duplici modo ꝓuideo. Nã omnis prouiden-

uidentia,qua erga meas creaturas vtor, eſt in anima vel in corpore. Quicquid operor in prudētia corporis, hoc eſt ob ſeruitium animæ, vt in lumine fidei creſcat & augmentetur, & vt in me ſperet atq; confidat, & apertè cognoſcat, quòd ego ſum ille ſolus, qui ſum, qui poſſum, volo, & optimè ſcio ſuis opportunitatibus occurrendo ſubuenire, ſuamq; ſalutem operari: tu vides quòd pro vita animæ tribui Sacramenta ſanctiſſima Eccleſiæ: quoniam ei ſunt cibus & non panis, quia eſt groſſus & corporalis cibus, & ideo corpori tribuitur. Sed quoniam eſt incorporea anima, viuit de verbo meo. Ideo mea veritas ait, in Euangelio: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei, ſequendo videlicet cum intentione ſpirituali huius verbi mei pro vobis incarnati doctrinam. Per quod verbum in virtute ſui pretioſi ſanguinis vobis vitam exhibent, ipſa veneranda Sacramenta. Itaque ſpiritualia Sacramenta ſunt animæ conceſſa, quamuis appareant & exhibeantur in inſtrumento corporali. Sed actus ille corporalis & exterior, non exhiberet vitam gratiæ, niſi ſumeretur ab anima cum diſpoſitione ſpirituali, videlicet cum ſancto & vero deſiderio, quod quidem eſt in anima & non in corpore. Ideo tibi dixi, quòd erant ſpiritualia, quæ tribuuntur animæ, quæ quidem eſt incorporea, non obſtante, quòd mediante corpore porrigantur atque miniſtrentur, tamen animæ deſiderio tribuuntur, vt accipiat, ſicut dixi. Aliquando ad augendam in anima famem, & huiuſmodi ſanctum de-

ſide-

ſiderium faciam, quod optabit ea, nec poterit habere: & quia nequit habere ea, creſcit eſuries, & in fame creſcit amplius in ſui cognitione. Vnde ſe reputat eis indignam ex humilitate profunda: & ego tunc eam facio dignam, ei frequentiſſimè prouidendo variis modis in venerabili Sacramento: & optimè nôſti, ſic eſſe non ſolùm per auditum, verùm etiam per experientiam in temetipſa, quoniam ex ordinatione mea, clementia ſancti Spiritus, quæ talibus ordinatiſſimè prouidet, aliquando inſpirabit alicuius miniſtri mentem ad exhibendum ei cibum iſtum: itaque coactus à ſtimulo conſcientiæ mouebitur ad illius animæ famem huiuſmodi ſatiandam, & ad eius deſiderium quietandum & implendum. Quandoq; differtur ex ordinatione mea priuſquam habeat illud quod optat, vſque ad extremitatem temporis. Poſtea verò cum vltrà minimè ſperat habere poſſe, gratiosè deſiderium eius implebo. Super quo facto tu debes aduertere, quia ita poteram in principio ſatisfacere ſibi, ſicut ego feci poſtmodum vltimò: ſed ideo feci, vt in lumine fidei creſceret, vt nunquam in me ſperare deſinat: & vt ipſa prudenter & cautè procedat, & non imprudenter in ſpe deficiendo retrocedat, vel in tali fame commendabili, atque ſancto deſiderio ſuo quoquo modo tepeſcat, & hac occaſione ſic ordino differendam, ſicut ipſa meminiſti de quadã anima deuota: Quæ cũ veniſſet ad Eccleſiam cum maximo deſiderio communionis, à miniſtro celebraturo petiuit humiliter venerabile Sacramentum corporis Ieſu Chriſti, qui rigo-

rigoroſè denegauit ei: & tunc in ea cum pio gemitu deſiderium excreuit, in ipſo verò conſcientiæ ſtimulus ita fortis & aſper, quòd quando voluit offerre calicem, fuit à Spiritu ſancto coactus ei charitatiuè dicere, quòd ſi volebat accipere corpus Ieſu Chriſti, libentiſſimè daret ei. Hoc indubitanter à clementia mea proceſſit, quia gratioſè prouidere voluit ſancto deſiderio illius animæ, ſed ipſa ſi priùs habebat in corde paruam ſcintillam amoris atq; fidei, taliter excreuit: & in tali ſuperabundantia, quòd videbatur ei vitam à corpore velle ſeparari: & ideo per miſeram ita vt excreſceret in fideli ſpe, ac etiam vt omnis amor propriæ fiduciæ deficeret in ea. Tūc ego prouidi creatura mediante. Pluribus autē aliis vicibus ipſa ſancti Spiritus clementia prouidit, abſq; medio quocunq;, ſicut ego tibi narrare poſſem. Sed vt in fide formata materiam habeas ampliandi mentem, in præſenti duo nolo tibi tacere pro commendatione prouidētiæ meæ: ſicut etiam audire potuiſti, cum eſſet in Eccleſia quadam anima deuota in die conuerſionis Apoſtoli mei Pauli, cum ingenti deſiderio ſacræ communionis, quaſi fuit ab omnibus meis miniſtris, qui celebrauerunt, certificata, quòd habere non poſſet hoc venerabile Sacramentum, & ab omnibus ex mea diſpenſatione fuit ei denegatum. Volui nanq;, quòd apertè cognoſceret, quia deficiente ſibi ſubſidio creaturæ, ſibi minimè deficeret auxilium creatoris, et ideò tenui modū iſtum in vltima Miſſa, & vſus fui, vt ita dicā,

dicã, dulci deceptione, vt ipſa de prouidentia mea inebriaretur. Illa deceptio ſtetit in hoc articulo. Ipſa nanq; dixerat ſeruitori cuiuſdam mei miniſtri celebrare volentis, vellem communicare: ſed ipſe ſeruitor illi miniſtro dicere noluit. Videns ipſa non habuiſſe reſponſionem negatiuam, indubitanter exſpectabat anxio deſiderio communicare debere. Miſſa verò celebrata, reperiendo ſe fraudatam deſiderio ſuo, excreuit in famem & eſuriẽ illius angelici cibi, valdè magnam cum ingenti deſiderio, ſed cum profunda humilitate ſe reputabat indignam; ſuam arguendo præſumptionem, quia ſibi præſumpſiſſe videbatur huiuſmodi Sacramentum poſtulâſſe. Ego verò, qui delector humiles exaltare, traxi deſiderium ipſius ad me, præbendo ſibi notitiam in abyſſo Trinitatis æternæ, ſuum oculum intellectus illuminans in potentià mei patris, in ſapientia vnigeniti filij mei, & in clementia Spiritus ſancti, qui ſumus vnũ in eſſentia, & in tãta perfectione talis anima fuit vnita, quòd etiã corpus a terra ſuſpẽdebatur et eleuabatur: quia ſicut in ſtatu animæ vnitiuo tibi dixi, perfectior erat vnio quàm anima fecerat ex affectu dilectionis in me, quàm cum corpore ſuo. Et in abyſſo tali, vt ego deſiderio ſuo ſatisfacerẽ, a me ſacram communionem accepit: & in ſignum ꝙ in veritate ſatisfecerã ei, pluribus diebus admirabili modo perſenſit in corporali guſtu ſaporem, et odorẽ corporis & ſanguinis vnigeniti filij mei Ieſu Chriſti crucifixi, ꝓpterq; ipſa renouata fuit et augumẽtata mul-

multùm in lumine prouidentiæ meæ, quam tam dulciter ipſa, præſertim in hoc actu, guſtauerat. Hoc autem inuiſibile fuit aliis, ei verò fuit apertè viſibile pariter & ſenſibile. Iſtud verò, quod ego conſequenter volo tibi narrare, manifeſtè cognouit etiam ille miniſter cui caſus occurrerat. Nam eadem anima cum anxio deſiderio peroptâſſet audire Miſſam, & poſtea communicare, fuit à corporali paſſione impedita, quòd non potuit hora congrua venire, tamen venit hora qua Sacerdos verba conſecrationis in hoſtia proferebat, qui celebrabat iuxta maius altare, videlicet in capite illius Eccleſiæ. Ipſa verò ſe poſuit in oratione in fine talis Eccleſiæ, quoniam obedientia prohibebat eam accedere, vbi miſſa celebratur: & cum amaritudine multa, & pio gemitu orando dicebat: O miſerabilis anima mea, nonne conſideras quantam à Deo recepiſti gratiam, ex eo, quòd Eccleſiam Dei ſanctam intrâſti, atque miniſtrum in altari conſecrantem vidiſti, quæ demeritis tuis exigentibus in inferno congruentiùs habitare deberes: ſed licet ipſa ſe profundaret in humilitatis valle, tamen huiuſmodi deſiderium nullo modo quietabatur, immo potiùs augmentabatur cum fide formata, ſperando in bonitate mea, confidendo quòd à Spiritu ſancto cōſolationem haberet. Ego tunc ei tribui, quod ipſa per modum illum optare ſiue petere neſciebat. Cùm enim à miniſtro diuideretur hoſtia, ſicut eſt mos Eccleſiæ, fractaq; fuiſſet vna particula, per meam diſpenſationem & virtutem ab altari diſceſſit, & in alium Eccleſiæ finem iuit,

iuit, vbi orabat illa, & ita ſe communicare percepit. Ipſa verò priùs exiſtimabat, vt alijs pluribus vicibus egerã cum ea, videlicet quòd inuiſibiliter eius anxio deſiderio ſatisfeciſſem. Sed ille miniſter non exiſtimabat ita, quia non inueniendo particulam, affligebatur ingenti dolore, niſi quòd ipſa clementia Spiritus ſancti in mente ſua patefecit quò delata fuerat, licet quotidie ipſe dubitaret vſq; quo fuit cum ea apertè certificatus. Sed nonne poteram ego defectum illius impedimenti leuiter amouere? vt ipſa potuiſſet hora congrua veniſſe, & ita miſſam audîſſet, & ordinatè communicâſſet? vtiq; poterã. Sed volui, quòd experientia doceret eam, quod mediante creatura, & abſq; medio creaturæ in omni loco quotunq; modo mihi placuerit, & anima deſiderare voluerit, & eſſet vltrà quàm optare ſciat, ego poſſum, & volo, & ſcio mirabili modo ſatisfacere ſancto deſiderio ſuo. Hoc in præſentiarum enarrâſſe tibi ſufficiat, amantiſſima filia, de prouidentia mea. Nunc autem narrare aliquid tibi diſpono, de modis quibus vtor aliquando intùs in anima, ſine medio corporis, videlicet abſq; inſtrumẽtis exterioribus, quanuis narrando tibi de ſtatibus animarum, iam aliqua tibi dixi.

DE PROVIDENTIA DEI, CIRCA manentes in peccato mortali.

CAPVT. CXLIII.

A*Nima vel eſt in ſtatu peccati mortalis, vel eſt in gratia, ſed impfecta uel perfecta, in quolibet utor,*

& amplio meam prouidentiam valdè ſapienter, videlicet in diuerſis modis, vt expedire conſidero. Homines vitæ mundanæ, qui iacent in obſcuritate peccati mortalis, excito quandoq; cum ſtimulo conſcientiæ, vel cũ graui labore quem in ſui cordis arcano ſentient, varijs atq; diuerſis modis, qui modi tot exiſtunt, quot lingua tua narrare nequiret: Vnde frequẽter ex hac importunitate diſcedunt à culpa peccatorum propter huiuſmodi ſtimulum atq; dolores, & labores quos intùs in anima ſentiunt. Aliquando verò, quia de ſpinis veſtris ego colligo roſas, videns hominem inclinatum ad aliquod mortale peccatum, uel ad amorem illicitum ad aliquam creaturam, extrà voluntatẽ meam ſibi gratioſè locum aufero ſiue tempus, ita quòd perficere non valebit ſuam voluntatem inordinatam, in tantum quòd ex quadam animi laſſitudine ꝓpter huiuſmodi pœnam quam ex defectu ſuo patitur, eò quòd nõ valet inordinatam voluntatem ſuam perficere, recurrit ad ſemetipſum cum animi compunctione, atq; ſtimulo conſcientiæ: & ita derelinquit phreneſim quam incurrerat: congruè phreneſis vocari poteſt, quoniam exiſtimas affectum ſuum in aliqua re ponere, poſtea ſe reperit inueniſſe nihil rectè conſiderando: benè quidem aliquid eſt illa creatura, quam amore poluto diligebat: illud verò quod ab ea ſumere omnino volebat, nihil erat, quia peccatum omnino nihil eſt niſi priuatio gratiæ, veluti cæcitas eſt priuatio viſus. Ergo de culpa peccati, quæ directè ſpina vocari poteſt, ex eo, quòd animam vehementiſſimè pungit, elicio roſam iſtam prouidendo ſaluti, ſicut iam dixi. Quis ad iſta me compellit? Non ipſe, quia

me

me minimè quærit, nec adiutorium ſiue prouidentiā meam expedit, niſi cum culpa peccati, vel in diuitijs, delicijs atq; ſtatu mundi: ſed amor & mea paterna charitas ita me compellit agere, ex eo, quòd vos amaui antequam eſſetis, vel amari poſſem à vobis. Me quoq; compellunt & inducunt ad hoc orationes amicorum atque ſeruorum meorum, qui Spiritu ſancto cohortante, propter honorem meum, atque proximorum dilectionem, ipſorum ſalutem cum ingenti charitate perquirunt, iram meam virtuoſè placare ſatagantes, ligando meæ diuinæ iuſtitiæ manus, quam iniquus homo meretur incidere. Ipſi verò, cum lachrymis et humilibus orationibus obuiantur, & me quaſi violenter inducunt. Ipſos verò, quis ita clamare compellit? Procul dubio prouidentia mea, quæ gratioſè ꝓuidet opportunitatibus illius mortui peccatoris, quia ſcriptum eſt, quòd ego nolo mortē peccatoris, immo quòd conuertatur & viuat. Filia chariſſima, tu debes eſſe philocapta de prouidentia mea. Si enim aperis oculos mentis & corporis, videbis iniquos homines, qui iacēt in tāta miſeria peccatorum, qui facti ſunt veluti putredo mortis, obſcuri atq; tenebroſi, ꝓpter luminis gratiæ priuationem, incedentes cātando, ridendo, atq; tempus à mea bonitate ſibi gratioſè conceſſum expendunt in vanitatibus & delicijs, & cum inhoneſtate multa. Potatores vini, & cum ingluuie comeſſatores, in tantum, quòd de ventre ſuo videntur ſibi Deum inſtituiſſe: cum odio, rancore, cū ſuperbia, & omni miſeria, de quibus meminiſſe debes me alâs tibi narrâſſe. Ipſi verò ſta-

tum ſuum ignorantes per viam velociſſimè vadunt, vt ad mortem æternam perueniant, niſi ſe citò corrigant in vita ſua, et in tàm periculoſa miſeria cantāt. Nunq̄d verò à quolibet homine non putanda foret magna ſtultitia, ſi quis condemnatus atq; ductus ad ſuſpendendum ſiue decapitandum, iret cantando ſiue tripudiando, demonſtrando ſigna vanæ lætitiæ? Certè ſic. In hac ergo ſtultitia ſunt iſti miſeri, & tantò magis abſq; comparatione quacunq;, quantò maius detrimentum habent in ſe de morte animæ quàm de morte corporis, quoniam iſti gratiæ vitam amittunt, & incurrunt in infinitam pœnam, ſi moriantur in tali ſtatu, & illi perdunt vitam corporalem cum pœna finita, immo breuiſſima. Et nihilominus veluti cæci & inſipientes cum ingenti ſtultitia cantant. Serui verò mei ſtant in gemitu, & in afflictione corporis, atq; contritione cordis, in vigilia & oratione continua, cum ſuſpirijs atq; lamentis, cum abſtinentia corpus affligentes, ad procurandam ſalutem ipſorum. Ipſi verò ſtultè truſantur de illis: ſed illæ deriſiones in capita ſua redundabunt, quoniam pœnà culpabiles abſq; dubio punientur, fructus verò laborum amore mei portatorum iuſtis erit in præmium & gaudium. Nam & ego ſum Deus veſter iuſtus, qui vnicuiq; iuxta merita ſua retribuam. Tamen veri ſerui mei, propter huiuſmodi truſas vel ingratitudinem ſiue perſecutiones eorum nullatenus orare pro eis omittunt, immo nec in aliquo tepeſcunt: ſed uehementiori deſiderio corā me iugiter inſtant, & in maiori ſollicitudine creſcunt. Hoc verò quis operatur, vt ipſi cum tanto deſiderio pulſent ad miſericor-

diæ

diæ meæ ianuam? Procul dubio gratioſa prouidẽtia mea: quia procuro ſimul & ſemel ſalutem iſtorum miſerorũ, & augeo virtutem atq; fructum ex affectu charitatis in amicis meis. Multi quippe ſunt & varij modi, quibus vtor in animabus peccatorum, vt ex ipſa prouidentia mea de tenebris mortalium peccatorum egrediantur. Nũc autem volo tibi narrare quod operatur ipſa prouidentia mea, cum illis qui ſurrexerunt à ſtatu culpæ, ſed adhûc imperfecti ſunt, minimè replicando de ſtatibus animæ, de quibus ordinatè tibi ſuprà dixi, ſed aliqua in præſenti breuiter narrabo.

DE PROVIDENTIA, QVA VTItur Deus cum illis, qui ſunt adhûc imperfecti, vt ad perfectionem virtuoſè perueniant.

CAPVT. CXLIIII.

SCis tu chariſſima filia, modum, quem ego teneo cum imperfectis, vt ad perfectionem aſcendant, & virtuoſè proficiant? Aliquando illis prouideo cum varijs moleſtijs multarum cogitationum. Cum ſterilitate mentis. Quare videbitur animæ quandoq; quòd omnino ſit à me derelicta, quaſi nõ habeat aliquod in ſe quoquo modo ſentimentum. Non enim iudicat in mundo ſe conſiſtere prout in ueritate non eſt ibi: nec in me ſibi videtur eſſe, quia non habet aliquod in ſe ſentimentum, excepto quòd ſentit voluntatem in bona diſpoſitione, quia videlicet omnino renuit offendere. Sed quia voluntas in homine principalis eſt ianua, quæ tutiſſimè ſeruat

animam, ideo magna tutiſsimaq́ libertate dotaui eam. Vnde nunquam concedo Dæmonibus neq́ permitto, vel alijs hoſtibus hominis, quòd eam valeant violenter aperire, vel alio modo ſuperare, vel violare: niſi ſponte liberum arbitrium voluerit acquieſcere. Sed ego frequentiſsimè do licentiam hoſtibus hominis, quòd etiam cum uiolentia pulſant, & allidāt alias ianuas animæ. Plures enim ianuas habet iſta ciuitas animæ. principales verò ſunt iſtæ tres: Vna principalior voluntas eſt, & hæc eſt inexpugnabilis, & eſt etiam aliarum optima cuſtodia. Sibiquè tradidi pro ſuo robore fortificando liberum arbitrium, quod ad libitum aperire poteſt & claudere, quibus & quando vult. Aliæ verò portæ ſunt duæ, memoria et intellectus. Si ſponte voluntas conſentit & aperit, illicò ſubintrat inimicus, videlicet amor proprius cum cæteris hoſtibus qui ſequuntur eum. Intellectus autem indilatè recipit in ſe tenebras, quibus inimicatur vera lux. Memoria quoq́ retinet odium ex iniuriæ reminiſcētia, quod inimicatur ex directo charitati fraternæ. Retinet etiam in ſe delectationes atque conſolationes vitæ præſentis, diuerſis modis, prout peccata ſunt varia quæ virtutibus aduerſantur. Apertis igitur his tribus ianuis, etiam paruulæ portæ ſenſuum aperiuntur. Qui ſenſus exteriores velut inſtrumenta & organa correſpōdent animæ. Vnde tu vides affectus hominis inordinatos, apertis his ianuis correſpondent his organis. Vniuerſi nāq́ ſoni contaminati ſunt atq́ corrupti, uidelicet operationes inde ſubſequentes. Oculus nanq́ mortem adminiſtrat, & annunciat ex eo, quia conſiderat, & attendit

aſpiciendo ſolummodo rem mortuam aſpectu diſſoluto et inordinato, vbi nõ oportet cum multa leuitate cordis, & vanitate, modis & aſpectibus inhoneſtis, ex quibus eſt in cauſa ſibi pariter & alijs inferendi mortem. O miſer; contemnis quod exhibui gratioſè tibi, ſcilicet vt aſpiceres pro gloria mea cœlum, & alia pulcherrima, quæ videre potes in creaturis meis: & vt aſpicias alia miniſteria mea, & lutum atq; miſeriam aſpiciendo mortem adipiſceris. Similiter auris in rebus inhoneſtis oppidò delectatur, vel in audiendo facta proximorum, iudicando temerè quæ non oportet, immo neq; debet, quam dedi vt audiret verba mea, & ſui proximi neceſsitatem. Linguam etiam homini conceſsi, vt annunciaret verba mea, & ſua peccata confiteretur, & vt ſalutem animarum operetur: ipſe autem abutitur iniq; blaſphemando me creatorem ſuum, & in proximi ſui ruinam, carnem eius falſis detractionibus lacerando, & opera bona ſua in malum iudicando, mala verò tanquam bona commendando, cum falſitate teſtificando, blaſphemando, atq; laſciuis verbis animam eius & aliorum vitioſè corrumpendo: verba profert iniurioſa, quæ corda proximorum acerrimè vulnerãt, veluti gladius acutus, quæ mirabiliter eos ad iracundiam incitãt & prouocant. O quot homicidia fiunt, & inhoneſtates, iracundiæ, rixæ, perditio temporis, odia, & alia multa mala quæ ꝓgrediuntur ab iſto membro. Etiam odoratus in ſuo gradu ſatis offendit cum affectu inordinato, ſumendo complacentiam in odoratu ſuo. Similiter & guſtus in guloſitate inſatiabili, cũ appetitu inordinato, volens habere multa fercula, non videtur attendere,

dere, niſi ad ſuam ingluuiem implendam atq; ſatiandam. Nec attendit anima miſera, quòd ex inordinata crapula caro fragilis calore nociuo ſuccenditur: vnde corruptio ſui frequentiſſimè ſubſequitur. Manus quoq; ſe damnabiliter habent, auferendo bona proximi ſui, & cum tactibus inordinatis turpibus & inhoneſtis, quæ conceſſæ ſũt, vt homo proximo ſuo ſeruiat præcipuè cũ infirmatur, eleemoſynaliter ei ſeruiẽdo in ſua neceſſitate. Pedes inſuper homini conceſſi ſunt, vt corpus deferant ad loca ſancta, & vtilia ſibi pariter & proximo ſuo, ad laudem & gloriam nominis mei. Et ipſe frequenter expendit, & exercet eos, importando corpus ad inhoneſta & vituperabilia loca, multiſq; modis implicando ſe cum ſermonibus laſciuis & inordinatis, corrumpendo mentem propriam & alienam, cum infœlici colloquio ſuo, vt in complacentia miſeræ ſuæ voluntatis. Hæc omnia tibi narraui, filia dilectiſſima, vt tibi materiam impendam piè gemendi, conſiderando nobilem animæ ciuitatem, ad tãtam miſeriam adueniſſe. Et vt apertè cognoſcas, quot iniquitates egrediuntur ab iſta principali porta voluntatis, ad quam hominis inimici nullatenus violenter ingredi poſſunt, vt iam tibi dixi. Sed ego benè concedo, vt alias animæ ianuas inimici impugnẽt, pulſent, & expugnent. Vnde permitto, quòd intellectus aliquando crucietur & obſcuretur à quibuſdam nubibus valdè tenebroſis. Et ſimili modo, quòd memoria aliquando non videbitur inimici reminiſci mei. Et aliquando videbitur, omnes alios corporis veſtri ſenſus habere diuerſa prælia, in aſpectu rerum etiam ſanctarum, in tactu, in auditu, olfando: vel ad eas eundo, videbit aliquando

quòd

quòd omnia ſenſibus corporis inferant quandam inhoneſtam mutationem, atq; corruptelam. Sed hæc omnia non operantur homini mortem, quia nolo mortem eius, niſi fortè portam voluntatis inſipienter aperiret. Ego permitto, quòd inimici pulſent ab extrà. Sed non quòd violenter ingrediantur: ingredi quippe nequeunt vllo modo, niſi quando propria voluntas manum liberi arbitrij ſponte decreuerit aperire. Sed quare permitto, quòd hæc anima taliter affligatur à tot inimicis ita circumdata? nō quidem vt ipſa capiatur ab eis, vel vt gratiæ diuitias amittat, immo ſolùm, vt intelligat prouidentiam meam, & vt in me confidat, & non in ſe, & vt à ſomno negligentiæ ſurgat, & cum ſanctâ ſollicitudine confugiat ad me qui ſum adiutor eius ſum vtiq; pater amantiſſimus atq; benignus, qui ſalutem eius, affectuosè procuro, vt anima cum humilitate procedat, & agnoſcat ſe per ſe non eſſe. Sed eſſe ſuum, cum omni gratia ſuper hoc eſſe fundata, recognoſcat à me gratiosè recepiſſe, quia ſum vita ſua. Sed ſi hæc omnia realiter anima recognoſcit, & in mea prouidentia confidit, illicò percipit à me gratiosè ſubſidium in talibus bellis. Nam enim eam quotidie permitto tali modo vexari, modò ſic, modò aliter, vt ego ſuæ ſaluti video conuenire. Aliquando ſibi videbitur in inferno conſiſtere: ſed abſq; ſuo pro tunc exercitio, ſtatim homo inueniet in maxima ſe quiete remanſiſſe priuatus illis anguſtiis: & arram æternæ vitæ deguſtat, & omnia ſunt in eo quieta et benè diſpoſita: quaſi Deū adamantia cuncta ſentit, & ignito amore cor ſuum inuenit eſſe ſucceſum ex conſideratione, quam anima facit tunc in

prouidentia mea: quia ſe liberatam aſpicit, tàm profundo & procelloſo pelago, non tamen cum exercitio ſuo, quoniam ex improuiſo ſibi lumen occurrit, immo ſolummodo propter inæſtimabilem charitatem meam, quia volui prouidere, cum eſſet expediens ſuæ neceſſitati, nam videbatur omnino deficere. Sed quare, cùm erat in exercitio deuotarum & humilium orationum & alijs pijs exercitijs, ei minimè reſpondi auferendo tenebras, & ei lumen infundendo? Ex eo, quoniam adhûc erat imperfecta, ne forte putaſſet ex exercitio tali, ſuum eſſe, quod proculdubio non erat ſuum. Itaq; vides, quòd imperfectus in prælijs exercendo ſe, virtuosè venit ad perfectionem, ex eo, quòd in prælijs experitur apertè prouidentiam meam. Et tunc videt ex experientia, quod ante credebat ex fide. Vnde certificatus eſt, ex quo perfectum amorem in ſe concipit, quia pleniùs agnouit bonitatem meam, in huiuſmodi prouidentia deſerens amorem imperfectum. Etiam vtor ſancta fraude, vt ab imperfectione ſua conſurgant: quia faciam aliquos amorem concipere ſpiritualiter ad aliquam creaturam in particulari vltrà generalem amorem, qua mediante ſemetipſos exercent in virtutibus, imperfectionem ſuam huiuſmodi relinquẽtes, exuẽdo cor amore creaturarum aliarum, quas amore ſenſitiuo diligebant, videlicet parentum, fratrum, atque ſororum: & abſq; paſſione carnali diligunt omnes in Domino. Et cum hac ordinata dilectione creaturæ, quam ita propoſui, expellitur inordinatus amor, quo priùs amabant alios, & ita tollitur hæc imperfectio. Sed attẽde, quòd etiam vnum aliud agit amor huiuſmodi creaturæ,

turæ, quàm ego propoſui: quoniam experiri facit, vtrum perfectè me diligant, & ipſam creaturam, vel non. Ad hunc enim finem aſſignaui illis eam, vt experiretur hoc in ipſa, & ita id cognoſcerēt. Quia ſi non agnoſcerent, neq; ſibi vllo modo diſpliceret imperfectio, nec illud quod meum eſt & habent in ſe, ſibi placeret: hoc ergo modo cognoſcunt. Anima quæ adhuc eſt imperfecta, imperfecto me diligit amore, & per conſequens amore ſimiliter imperfecto proximum ſuum amat, quia perfecta proximi charitas oritur, atq; dependet à charitate mea perfecta. Nam ea menſura perfecta, vel imperfecta, qua quiſque me diligit, eâdem abſq; dubio diligit proximum. Qualiter ergo cognoſcit ipſa creatura mediante. Multipliciter, vt alibi tibi patefeci: tamen etiam hîc aliqua ſubdam. Quādo creatura quam amore ſingulari aliquis diligit, auferret ab illo quoquo modo ſolitam humanitatem vel dulcedinem conuerſationis, atq; benignæ conſolationis, in quibus ante valdè delectabatur: vel aſpiceret is, quòd haberet illa aliquam conuerſationem, cum altero magis familiarē, quam ſecum, ac cùm ſunt plures aliæ occaſiones, & inde pœnam habet, quæ pœna inducit eū, vt intret ad agnitionem ſui. Vnde ſi vult prudenter, & cum lumine ambulare, vt debet, perfectiori amore diliget ipſam creaturam: & cum ſui notitia, & odio concepto contrà proprium ſenſum ab imperfectione ſurget, & ita tendet ad perfectionem. Et quantò magis eſt perfectus talis, ſequitur, quòd amor eius perfectior eſt ad omnes creaturas, tàm generaliter quàm etiam particulariter: erga ſibi præpoſita à bonitate mea: quia prouidi, ꝙ ita viriliter exerceret cum odio ſui, & amore virtutum

in præſenti vita veſtræ peregrinationis: dum tamen anima tempore quo ſic affligitur, exercitio ſancto derelicto, non incedat ignoranter veniens ex triſtitia cordis, atq; tædio mentis ad confuſionem. Quoniam eſſet ei valdè periculoſum, & veniret ad ruinam, & illud quod ei in vitam tribui, redundaret in mortem. Non debet igitur ita procedere, ſed cum ſancta ſollicitudine reputare ſe debet indignam, humiliter habere conſolationem optatam, & cum fide luminoſa cognoſcere, quòd in tali creatura virtus, propter quam eam principaliter diligit, immunita non eſt circa ipſum: & in hoc iugiter augere conetur, in corde famem ſanctam, atque deſiderium ad tolerandam omnem pœnam, vndecunq; proueniat ad honorem atq; laudem nominis mei. Hæc ergo modo voluntatem meam implebit in ſe recipiendo perfectionis huiuſmodi fructum, propter quem ego permiſi, & ei generosè conceſſi prælia ſuperiùs expreſſa: & illius creaturæ medium, & alia ſibi frequentiùs occurrentia, videlicet vt ad lumen valeat venire perfectionis. His igitur modis vtor ex prouidentia mea, cum imperfectis atque tot alijs modis multis & varijs, quot lingua tua narrare neſciret.

DE PROVIDENTIA, QVA VTItur Deus erga ſeruos ſuos, qui ſunt in charitate perfecta.

CAPVT. CXLV.

DE perfectis verò noueris, quòd etiam eis valdè gratiosè prouideo, vt in eis augeatur, & opportunè pro-

nè probetur eorum perfectio. Nullus eſt enim in vita præſenti tantæ perfectionis, qui non valeat ad maiorem perfectionem excreſcere. Quare modum iſtum inter alios teneo cum eis, nam in Euangelio mea veritas ait: Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt, vos verò palmites. Qui manet in eo, qui eſt vitis vera, quoniam à me patre genitus eſt: videlicet veſtigia & eius doctrinam imitando, multum fructum affert. Vt ergo fructus veſter quotidie creſcat, ego prouidè purgo vos cum varijs tribulationibus, iniurijs, deriſionibus, infamiis, contumelijs, & improperijs in dictis & in factis, fame atq; ſiti, ſicuti meæ bonitati concedere placet, vnicuique prout video portare poſſe. Quia tribulatio ſignum eſt apertè demonſtratiuum, quod in anima charitas eſt omnino perfecta, ſi cum dulci patientia toleretur. In tribulationibus enim & iniurijs, quas ego ſeruis meis occurrere permitto, probatur virtus patientiæ: ac etiam in anima ſerui mei creſcit ignis affectuoſæ charitatis ex compaſſione, quam habet illius animæ quæ ſibi facit iniuriam. Nā ampliùs abſq; comparatione dolet de damno illius iniuriantis, quàm de iniuria ſua, præcipuè propter offenſam meam: hoc agunt illi, qui ſunt in ſtatu magnæ perfectionis. Itaq; creſcunt in virtutibus ex hoc, & ideo permitto eis hæc & alia, quæcunq; concedo, etiam impendo ſtimulum famis ſalutis animarum, ex quo die noctuq; pulſant ad ianuam miſericordiæ meæ, quòd in tantum obliuioni videntur tradere ſemetipſos, prout in ſtatu perfectorum ego tibi narraui. Et quantò magis in tali facto ſe derelinquūt, ampliùs atq; pleniùs in ſe me reperiunt. Et

vbi

vbi me quærunt? In veritate mea eundo cum perfectione per viam doctrinæ præfatæ meæ veritatis incarnatæ: legerunt enim in iſto dulci & glorioſo libro, & ibi legentes inuenerunt, quòd volens obedientiam meam executioni mandare, vt in hoc oſtenderet quantùm affectuosè diligebat honorem meum, atq; ſalutem humani generis, cucurrit cum pœna & opprobrio ad menſam ſanctiſſimæ crucis: vbi cum ingenti pœna comedit cibum humani generis. Itaq; cum ſua magna patientia, & homine mediante, mihi monſtrauit apertè quantùm honorem meum amabat. Igitur iſti dilecti filij mei, qui peruenerunt ad ſtatum huiuſmodi magnæ perfectionis cũ virtuoſa perſeuerãtia, vigilijs humilibus atq; cõtinuis orationibus, mihi monſtrant apertè, quòd me in veritate diligũt, ex eo, quia benè ſtuduerũt imitando ſaluberrimam veritatis incarnatæ doctrinam, cum pœna laborioſa, quam in proximi ſalute libentiſſimè tolerant. Quia medium aliud inuenire nequierunt, in quo meliùs oſtendere poſſent amorem quo me diligunt: immo quodcunq; aliud medium inuenire potuiſſent, vt oſtenderent in veritate me diligere, fundatum eſt in hoc principali medio creaturæ rationalis: vt alibi tibi dixi, quòd omne bonum opus mediante proximo fiebat. Quia nullum omnino bonum abſq; charitate mea & proximi, fieri poteſt vllo modo, & niſi fiat in iſta charitate, bonum eſſe non poteſt, quanuis actus virtuoſi forent. Et ita malum iſto modo perpetratur ex priuatione charitatis. Itaq; vides, quòd huiuſmodi creatura mediante, demonſtrant perfectionem ſuam, & amorem purum quo me diligunt, ex eo, quia quotidie ſalutem

proxi-

proximorum, omnia patientiſſimè tolerando, ſollicitè ꝓcurant. Ipſos ergo purgo, vt ampliorem, atq; ſuauiorem afferant in conſpectu meo fructum, eis exhibendo tribulationes in vita præſenti: vnde ego magnum odorem ſentio de virtuoſa patientia ipſorum. O quàm ſuauis atq; dulcis eſt iſte fructus, & quantæ conſolationis & vtilitatis eſt animæ ſine culpa toleranti? Qui ſi videretur, & apertè cognoſceretur omnes cũ alacritate, atq; ſollicitudine multa, quæ portare deberent, exquirerent. Vt igitur eis exhibeam huiuſmodi theſaurum apud quamplurimos incognitum, eis paterno more prouideo, ſuper eos imponendo pondere multorum laborum, vt iſta pretioſa virtus patientiæ nullatenus in eis eruginetur, vel otioſa conſiſtat. Itaq; adueniente congruo tempore, quo debeat exerceri, non inueniatur rubiginoſa. Quia quando non exercetur, aliquando ſubintrat in patientiæ rubigo, quæ rodit animam. Et vtor aliquando cum eis dulci ac acceptabili fraude, vt in humilitatis virtute conſeruentur, quòd ſopire facio ſenſum eorũ & non videbitur, quòd in voluntate nec in ſenſu ſentiant aliquid aduerſum, veluti perſonæ ſopitæ: non dico tanquam mortuæ, quia ſentimentum ſenſibile dormit in anima perfecta, ſed minimè moritur, quia ſi ſanctum exercitium omitteret, & ignem ſancti deſiderij, tunc excitaretur ſolitò vehementiùs & ampliori rebellione. Et ideo nullus in tali facto confidat, etiam ſi ſibi videtur eſſe perfectus, quia procul dubio ſemper oportet in ſancto timore mei cõſiſtere, quia multi confidentes in ſe miſerabili modo ceciderunt, atq; frequentiſſimè cadunt. Nam alio modo

minimè caderent, immo virtuoſè ſtarent. Itaq, dico, quòd ſenſus in ſe dormire videntur, ex eo, quòd onera grauia portantes, & multos tolerantes labores, nihil omnino ſentire videntur. Poſtea quandoq, ſtatim occurrit, quod in vna re minima, quæ quaſi nihil eſt, de qua ipſamet anima ludum faciet, ita vulnerabitur: & ſic læſa interiora ſua ſe ſentient: quod ipſamet admirabitur, & erit inde ſtupefacta: hoc agit atq, permittit diuina prouidentia mea, vt anima virtuoſè creſcat, & per viam humilitatis ambulet ex eo, quia tunc anima prudens inſurgit illicò contrà ſe, minimè ſibi parcendo, ſed cum odio ſancto, & improperio ſentimentum huiuſmodi corripit, & cum virtuoſo rigore caſtigat, ex qua caſtigatione perfectiùs in ſe poſtea ſopitur. Et aliquando prouideo in magnis fidelibusque ſeruis, & amicis meis, dimittendo ſtimulum aliquem ipſis, prout ego feci glorioſo Paulo, qui fuit vas electionis. Ex quo nanque doctrinam meæ veritatis acceperat, in abyſſo Trinitatis æternæ, poſtea ei ſtimulum carnis dimiſi. Sed nunquid non poſſum, & poteram tàm ipſi Paulo, quàm alijs amicis meis, quibus ex induſtria relinquo ſtimulum aliquem varijs modis ordinare quòd omnino carerent? vtiq,: ſed ita prouidentia mea diſponit in augmentum virtutis, & meritoriæ coronæ, & vt in ſui vera notitia conſeruentur. Vnde ſalubrem humilitatem hauriunt & acquirunt. Et vt erga proximum ampliorem pietatem exhibeant, omni crudelitate remota: & ſic agiliùs inclinentur ad compaſſionem eorũ, qui laboribus atq, tentationibus exagitãtur. Quoniam ampliùs ad compaſſionem paſſionatorum inclina-

clinantur, habendo & ſentiendo paßionem in ſe, quaſi non haberent: & inde creſcunt in dilectionem ampliorē: & ideo velociſsimè currunt ad me humilitate perunctì, & in fornace ſuccenſæ charitatis exuſti. Et ita cum his modis & quàm plurimis alijs ad perfectam vnionem adducuntur, vt aliâs audiſti. Et ad tantam vnionem perueniunt, & meæ bonitatis agnitionem, quòd exiſtentes in corpore guſtant bonum immortalium: & licet in carcere corporis exiſtant videtur eis extrà carcerem ipſum exiſtere. Et quia multam habuerunt agnitionem de me, multum affectuosè diligunt. Et qui valdè diligit, valdè procul dubio dolet: quia cui creſcit amor, augmētatur etiam dolor. Sed anima talium, quo dolore ſiue pœna cruciatur? Non propter iniurias ab aliquo ſibi factas: neq, propter aliquas corporales pœnas: neq, propter aliquas aduerſarij moleſtias: neq, propter aliquam tribulationem, quæ ſibi poſſet occurrere. immo ſolummodo dolet, & affligitur de mihi factis offenſis: quoniam apertè cognoſcit, & videt quòd ſum dignus ab omnibus amari, & quòd vniuerſi mihi fideliſsimè ſeruiant. Et amariſſimè dolet de animarum detrimento, attendens eas ambulare per tenebras vitæ præſentis, & in tanta cæcitate manere. Quoniam in vnione quam anima fecit in me per amoris affectum, aſpexit & agnouit in me quantum ineffabiliter amo creaturam meam. Et quia vidit in ea repræſentari meam imaginē, ſubitò philocapta fuit in ea amore mei. Vnde ſentit amaritudinem immenſam, eam elongari cernens à bonitate mea. Et huiuſmodi pœnæ ſunt in anima tales atque tantæ, quòd omnes aliæ pœnæ

 miti-

mitigantur in ea: ita quòd eas quaſi nihil appretiat, ac ſi non eſſent in ea pœnæ tales: ego autem eis ſeruis meis, valdè gratioſè prouideo, cum illa manifeſtatione, quā eis facio de me. Quia vident in me cum amaritudine magna miſerias & iniquitates vitæ præſentis, & animarum damnationem in communi, & particulari: prout eſt de beneplacito meæ voluntatis, vt augmenteṇtur in amore & pœna: vt ab igne ſancti deſiderij ſtimulati clament ad me cum firma ſpe, atq; lumine ſanctiſſimæ fidei, à me poſtulando ſubſidium, vt eorum huiuſmodi neceſſitati ſubueniam. Itaq; diſpono cum diuina prouidentia ſubuenire mūdo, promittēdo me cōpelli à pœnoſis, dulcibus, & anxijs deſiderijs amicorum meorū. Et cum hoc eis gratioſè prouideo, quia creſcunt atq; nutriuntur ex hoc in maiori atq; perfectiori notitia mei & vnione in me. Igitur apertè vides, quòd his perfectis ego prouideo multis vijs varijsq; modis, ex eo, quòd dum eſtis in vita præſenti poteſtis augere ſtatum veſtræ perfectionis, atq; meriti, propter quod illos ego purgo ab omni proprio, & inordinato amore, ſpirituali & temporali. Et cum varijs atq; multis tribulationibus eos quotidie purgo, vt fructum ampliorem atq; perfectionem, ante me producant, vt iam dixi. Et cum anxia tribulatione, quam habent videntes offenſionem meam, et animas eſſe gratia priuatas, extinguitur omnis amaritudo iſtius amoris, adeo quòd omnes labores, quos in hac vita ſuſtinere poſſent, quaſi pro nihilo reputant. Et ex hoc, vt iam dixi, tantum appretiant tribulationem quàm conſolationem: quia non exquirunt proprias conſolationes, neq; me diligunt amore

mer-

mercenario, ex propria conſolatione ſiue delectatione, ſed affectuosè quærunt nominis mei gloriam & honorem. Ergo filia chariſſima, potes apertè cognoſcere, quòd hominibus in quocunq; ſtatu diuerſis, & infinitis modis & locis, ego mirabiliter atq; paterna charitate prouideo, licet homines in ſe tenebroſi non agnoſcant eos: quia lux à tenebris minimè comprehenditur. Solùm ab his qui lumen habent, agnoſcuntur, ampliùs vel minùs perfectè, iuxta lumen perfectionis quam habent. Quod vtique lumen acquiritur in vera notitia, quam habet anima de ſemetipſa. Vnde conſurgit cum odio perfectiſſimo tenebrarum.

TRACTATVS QVINTVS.

REPETITIO BREVIS ANTEDIctorum: Poſteà loquitur de verbo Ieſu Chriſti ad Petrum: Mitte rete ad dexteram, &c.

CAPVT. CXLVI.

Vidiſti & agnouiſti, filia chariſſima, me tibi narrãte minùs quã odorẽ unius paruæ guttæ, quæ nihil eſt in comparatione maris, prouiſionis quã in meis creaturis facio, loquendo tibi generaliter atq; particulariter. Et per huiuſmodi ſtatus de quibus modò tibi narraui, pariter & de venerabili Sacramento loquendo, ſicut ego ꝓuideo modis varijs, vt in anima ſancta fames augeatur. Et ſicut ego ꝓcuro ex interiori parte in animæ

 ſenſu,

ſenſu, miniſtrando gratiam, almo Spiritu ſancto mediante, qui fideliſſimè ſeruit iniquo viro vt ad ſtatum gratiæ reducatur: imperfecto autem, vt ad perfectionem peruenire valeat. Perfecto verò, vt in eo perfectio iugiter augeatur: quia dum eſtis in vita præſenti quotidie creſcere poteſtis. Et vt efficiantur idonei mediatores inter hominem qui per crimina ſua incidit in miſeriam et me. Iam enim tibi dixi, quòd mediantibus amicis meis ego mundo miſericordiam facerem: & cum multa illorum tolerantia reformarem Eccleſiã. Verè tales appellari poſſent alter Ieſus Chriſtus crucifixus vnigenitus meus, ex eo, quod aſſumpſerunt officium eius. Ipſe venit veluti mediator, vt miſeriam auferret, & ita pacificaret hominem, & mihi reconciliaret: cum tolerando multa patienter, vſq; ad mortem opprobrioſiſſimæ crucis, ita faciunt iſti cum deſiderio cruciato ſancto ſuo, qui mediatores efficiuntur cum orationibus humilibus, cum verbis exhortationis, & ſuam vitam ſanctam proponunt omnibus in exemplum. Relucent in eis lapides pretioſi virtutum cum vera patientia, ſupportando defectus aliorum. Iſti ſunt hami, cum quibus capiunt animas. Ipſi rete iactant ad dexteram, non ad ſiniſtram, vt ait veritas in Euangelio Petro ceteriſq; diſcipulis poſt reſurrectionem, ex eò, quia ſiniſtra manus, videlicet amor proprius, in eis omnino defecit atq; mortua comprobatur: dextera verò viuit ex dulci puro, & vero amore diuino, cum quo rete ſancti deſiderij iactant in me mari pacifico. Et hiſtoria quæ fuit ante paſſionem & reſurrectionem, adiuncta cum illa quæ poſtea fuerit, noueris quod ad ſe

trahen-

trahendo rete,ipſum includẽdo in humili cognitione propriæ vtilitatis, immo nullitatis,inueniunt atq; capiunt tantam piſcium abundantiam, videlicet animarum, quod oportet eos vocare ſocios vt ad rete foras trahendũ iuuent,quia ſoli non valent. Nam in ſtringendo & iactando rete debent habere ſocietatem veræ humilitatis, vocando ſocium ex affectu charitatis ſynceræ,vt iuuet ad trahendum hos piſces animarum. Et quod ſit verum, apertè vides & experiris in te pariter, & in alijs ſeruis & amicis meis,quia tàm graue pondus videtur eis has animas attrahere, quæ captæ ſunt in rete ſancti deſiderij eorum, quòd affectuosè vocant & optant habere ſocietatem: & vellent quòd omnis homo iuuaret eos, & cũ humilitate ſe reputant inſufficientes: & ideo tibi dixi, quòd vocabant humilitatem atq; charitatem proximi, vt adiuuarent ad extrahendos iſtos piſces? & attrahentes huiuſmodi rete magnam abundantiam piſcium extrahunt: quanuis quamplurimi propter eorum defectus, à rete refugiant & egrediantur, quia renuunt in tali rete recludit. Rete verò deſiderij ſancti ſine dubio cœperit omnes, ex eo,quòd anima famelica mei honoris non eſt contenta particulam habere, ſed omnes habere peroptat. Bonos habere quærit, vt eam adiuuent in ſuo rete ponere piſces, & vt ſibimet quotidie conſeruent & augeant perfectionem, imperfectos optat vt perfecti ſint: prauos verò cordialiter affectuosè deſiderat vt boni ſint. Infideles quoq; tenebroſos exoptat, vt veniãt ad lumen ſancti Baptiſmatis. Omnes ergo peroptat habere cuiuſcunq; ſtatus vel conditionis exiſtant, ex eo,quòd omnes in me vi-

det à mea bonitate creatos, cum tàm ignifera charitate atq; pretioſo ſanguine Ieſu Chriſti filij mei redemptos. Itaq; cœpit omnes in ſuï ſancti deſiderij rete, ſed multi proſiliunt ab eo diſcedentes à ſtatu gratiæ ꝓpter peccata ſua; & infideles alij plurimi ſtant in peccato mortali. Continuè tamen exiſtunt in illo ſancto deſiderio, propter orationem continuam: quia licet à me diſceſſerit anima, propter eius peccatum, & ab amore, & conuerſatione, atque reuerentia quam erga ſeruos meos habere debet: in eis tamen affectus veræ charitatis atq; deſiderium ſalutis animarum ipſorum nullo modo imminui debet. Itaq; iactant rete huiuſmodi ad manum dexteram. O filia chariſſima, ſi conſiderabis actum quem fecit Apoſtolus Petrus, de quo habetur in Euangelio, quando veritas mea præcepit ei, quòd rete mitteret in mare: ipſe verò reſpondit: Preceptor per totam noctem laborauimus, & nihil omnino cœpimus, ſed in verbo tua iactabo rete. Cùm ergo feciſſet ita, cœpit copioſam piſcium multitudinem, in tantum quòd ſolus attrahere non poterat, & ideo ſocios vocauit, vt adiuuarent eum. Igitur dico quòd ſi conſiderabis hunc actum, qui ita fuit in veritate, & tamen in figura contigit illis, vt eſt dictum. Inuenies enim figuram tibi propriam: vnde noueris q̃uòd omnia miniſteria, & omnes mores, quos & quæ mea veritas in mũdo tenuit, abſq; diſcipulis & cum diſcipulis, erant figuratiui & in ſalutem ac inſtructionem animarum, tàm amicorum ac ſeruorum meorum, quàm etiam aliorum: vt in omnibus habere poſſetis regulam & doctrinam, ſpeculando cum lumine rationis, ita quòd tardis atq; rudibus,

ingenio

ingenio perſpicacibus atq; acutis, intellectu conuenienter eſſe poſſunt in exemplum: & quilibet in eis poteſt inuenire ſalutem atq; conſolationem ſuam, dummodo voluerit. Dixi tibi, quòd Petrus ex præcepto Ieſu Chriſti rete miſit in mare: fuit igitur obediens, & viua fide credidit capere poſſe, ideo cœpit in magna quantitate, ſed minimè tẽpore noctis. Nunquid intelligis quod eſt tempus iſtud noctis? Eſt obſcura nox peccati mortalis cùm anima priuata fuerit lumine gratiæ. In iſta nocte nihil omnino ſalubre capitur, eò, quia iactat homo affectum ſuum non in mari viuo, ſed mortuo, vbi peccatũ inuenit quod nihil eſt. Ergo ſiniſtra laborat cum pœnis magnis & intolerabilibus abſq; vtilitate qualicunque. Sunt ergo iſti Martyres Dæmonis, & non Ieſu Chriſti crucifixi. Sed illuceſcente die, quo anima culpam deſerit, & ad ſtatum gratiæ redit, in mente ſua præcepta ſalubria iã apparent, in quibus ei præcipitur, vt huiuſmodi rete iactet in verbo meæ veritatis incarnatæ, videlicet amãdo me ſuper omnia, & proximum tanquam ſeipſum: & tunc ex obedientia, & cum lumine fidei, cum firma ſpe rete iactat in verbo ſuo, ſequendo doctrinam & veſtigia dulcis & amoroſi verbi, ac diſcipulorum eius. Qualiter autem eos capit, & quos vocat, iam tibi dixi.

QVOMODO RETE PRAEDICTVM perfectiùs in mare iactat vnus, quàm alius.

CAPVT. CXLVII.

HÆc autem volui tibi dicere, vt apertè cũ lumine intellectus agnoſcas, cũ quanta ꝓuidẽtia iſta mea ueritas incarnata, tẽpore quo cũ hominibus cõuer

ſationem habuit, ordinatè ſuos actus atq; miniſteria perfecit, vt intelligas ea, quæ vos oportet agere & illud quod agit anima, quæ ſtat in iſto perfectiſsimo ſtatu: ſed aduerte, quòd vnus agit in maiori perfectione quàm alter, ſecundum quod accedit ad obediendum huic verbo corde promptiori, & cum lumine perfectiori, omni ſpe de ſe perdita, ſolùm in me creatore ſuo collocata. Perfectiùs enim huiuſmodi rete laxat ille, qui obediendo ſeruat præcepta ſimul, & conſilia mentaliter & actualiter, quàm ille qui ſeruat præcepta actualiter, & conſilia ſolummodo mentaliter, nam qui non obſeruaret conſilia mentaliter, procul dubio nec obſeruaret præcepta domini actualiter, eò quòd ad inuicem ligata ſunt, vt alibi tibi plenè narraui. Ergo perfectè capit, ſicuti perfectè rete laxat & iactat. Perfecti verò, de quibus in præſenti narraui tibi, capiunt abundanter & cum magna perfectione. O quã benè ipſorum organa ſunt ordinata, per cuſtodiam dulcem atq; bonam cautelam, quam habuit arbitrium liberum ad portam voluntatis: vnde ſenſus etiam ipſorum faciunt omnes vnum ſonum valdè ſuauem, qui egreditur à ciuitate talis animæ, quoniam omnes ianuæ clauſæ ſunt & apertæ. Porta enim voluntatis eſt omnino clauſa, ne proprius amor ingrediatur; & eſt aperta, quia iugiter amat & optat honorem meum, atq; proximi dilectionem. Intellectus eſt etiam clauſus ad videndum vanitates, delicias, atq; mundi miſerias, quæ ſunt omnes veluti nox, ex qua tenebreſcit intellectus, qui delectatur in eis, & inordinatè recepit eas. Eſt etiam apertus cum lumine quod aſpicit in obiectum incarnatæ meæ veritatis.

ritatis. Memoria quoq; clauſa reperitur, ex eo quia tradidit obliuioni mundum, ac etiam ſemetipſum, quoad carnalem viuendi modum, & eſt apta vt beneficiorum meorum quotidie recipiat abundantiam, cum iugi reminiſcentia affectus animæ: tunc agit iubilum valdè ſuauem, temperatis & modificatis ordinatè chordis cum prudentia ſalubri, & cum lumine, ita quòd valdè concorditer vnum ſonum exhibent, videlicet ad laudem & gloriam mei nominis. In hoc ipſo ſono, in quo magnæ chordæ potentiarum animæ concordãt, etiam aliæ paruæ chordæ, videlicet exteriores corporis ſenſus, ita benè morigerati inſimul alludunt, vt ego tibi dixi, loquendo de malis hominibus, quòd ſicut omnes ſenſus in morte ſonabunt, ex eo, quia recipiebant inimicos ſuos: ita ſonant in vita iſti, quia recipiunt intra ſe ſolùm amicos verarum atq; realium virtutum, cum quibus optimè concordant opera virtuoſa. Omne quippe membrum laborat valdè laudabiliter in opere ſibi deputato. Benè laborat oculus in ſuo viſu: auris in auditu ſuo: ſimiliter odoratus in ſuo odoratu: guſtus in ſuo guſtu: lĩgua benè ſermonẽ ſuũ exprimit: manꝰ in tactu atq; pedes in inceſſu. Hæc õnia concordãt in vna melodia, & in vno ſono, videlicet in ſeruiẽdo proximo propter gloriam & laudem nominis mei, & animæ ſeruiendo cum ſanctis operationibus virtuoſis. Et obediunt animæ correſpondentes ei, tanquam organa iucũda mihi valdè placent iſta, ſimiliter & angelicæ naturæ, immo & veris guſtationibus qui tales exſpectant cũ iucunditate valdè gaudioſa, quia vnus participabit bo-

num;alterius. Etiam iſti mundo placent, velit an nolit, nam homines iniqui nequeunt ita latere ſiue fugere, quin in ſe valdè benè ſentiant iſtius melodiæ dulcedinē: immo quàm plurimi cum hoc hamo & inſtrumento remanent ibi captiui, & diſcedentes à morte veniunt ad vitam. Cuncti quippe ſancti cœperunt aliquas animas hoc organo dulci. Primus qui ſonaret in ſono vitæ fuit amoroſum verbum, aſſumendo veſtram humanitatem, & cum humanitate diuinitati coniuncta & vnita, citharizando dulciter in cruce filium humanæ generationis ibi cœperit. Captiuauit etiam aduerſarium humani generis Diabolum, cum dominium abſtulit, qui tanto tempore poſſederat ipſum humanum genus ex culpa propria. Vos etiam omnes ab iſto dulci magiſtro diſcentes, iſti dulci ſono pulſatis: cum iſta ſapida doctrina principes illi glorioſi, videlicet Apoſtoli, cœperunt animas, eius verbum per vniuerſum orbem ſeminantes, vt ab ipſo verbo filio meo didicerant. Exinde Martyres, Confeſſores, doctores, atq; virgines omnes animas iſto dulci ſono capiebant. Attende glorioſam virginem Vrſulam, quæ tā dulci ſono citharizauit, quòd vndecim millia uirginū vno tractu cœpit, & animas totidem aliarum gentiū: & ita fecerunt alij modis varijs. Quid horū eſt in cauſa? Procul dubio prouidentia mea. Prouidi nanq; inſtrumenta tribuens illis atq; viam, & modum, quomodo ſonare valebant. Et quicquid eis exhibeo, ſiue permitto in vita præſenti, totum eſt ad augmentum iſtorum inſtrumentorum, dum homines velint agnoſcere, neq; velint auferre ſibimetipſis lumen, cum quo videre debent,

inter-

interponendo nubem amoris proprij,atq; complacentiam ſui ſenſus.

DE PROVIDENTIA DEI, QVA Vtitur cum ſuis creaturis,in vita præſenti, & in alia.

CAPVT. CXLVIII.

ERgo filia chariſſima,dilatetur cor tuum, & aperi oculum intellectus cum lumine fidei,ut apertè videas cum quanta prouidentia & amore creaui hominem,& ordinaui,vt ipſe gaudere poſſit meo ſummo & æterno bono. Prouidi quidem in omnibus animæ ſimul & corpori,tàm hominibus imperfectis, quàm perfectis,bonis atq; malis,temporaliter atq; ſpiritualiter, in cœlo ſimul & in terra,in hac vita immortali pariter & in vita mortali. In hac vita mortali, dum eſtis viatores & peregrini, ligaui vos in vinculo charitatis: nam homo violenter eſt in eo ligatus,ex eo,quia ſi ſe voluerit ſoluere ex affectu proximi charitate priuatus, tamen in eo ligatur ex neceſſitate. Vt enim in actu pariter & affectu charitate deberetis vti, prouidi non tribuendo cuilibet omnia ſibi neceſſaria pro vita ſua. vt etiam ſi quis ex iniquitate ſua perdiderit affectum & amorem, ex neceſſitate compellamini participare ſimul, vt ſaltē actū huiuſmodi charitatis habeatis. Vnde tu vides artificē ad colonū habere ꝑ ſua neceſſitate recurſum: et ita colonus habet ad artificē: vnus enim indiget altero, quoniam vnus ignorat agere quod facit alter. Ita clericus atq; religioſus indiget habere ſecularem,atq; ſecularis religioſum. Vnus enim ſine reliquo facere nequit,& ita de cæ-

teris

teris. Sed nunquid non poteram ego dotare quemlibet de neceſſarijs omnibus? Vtiq. Sed ego prouidere volui, q̃ vnus humiliaretur alteri, & quod ita compellamini ſaltem actum charitatis inuicem habere tali neceſſitate cõpulſi. Oſtendi igitur magnificentiam, bonitatem, atq; prouidentiam meam in eis, & ſequi potiùs volunt, & ire poſt tenebras propriæ fragilitatis. Membra corporis veſtri faciunt vobis verecundiam, quia charitatiuam habent in ſe concordiam, & non vos. Vnde quando caput indiget adiutorio manus, illicò ſubuenit ei. Et ſi digitus, quanuis ſit valdè paruum in corpore membrum, aliqua patitur, caput minimè dedignatur ei ſubuenire, licet in corpore maius atq; nobilius membrum exiſtat: ſed ſuccurrit ei ſubitò iuxta poſſe iuuãdo, cum viſu, auditu, & affectuoſo verbo, nihil omittendo cum omni fideli ſollicitudine. Similiter omnia membra faciunt. Non ita facit homo ſuperbus, quia videndo pauperem ægrotum in neceſſitate conſtitutum, qui membrum eſt ipſius, tamen ei ſubuenire negligit, non ſolùm cum omnibus quæ habet, immo neq; in verbo modico: ſed vilipendit eum, & cum improperio faciem auertit quaſi nauſeam oſtendendo. Abundat diuitijs, & eum fame perire permittit: ſed ipſe non attendit, quòd eius miſera crudelitas ante me fœtorem exhalat, & vſq; in profundum inferni talis eius putredo deſcendit. Sed prouideo per modum alium illi pauperculo meo, & pro pondere paupertatis ei retribuentur abundantiſſimæ diuitiæ. Ille verò cum improperio maximo redarguetur à veritate mea, prout in Euangelio continetur, vbi niſi ſe corrigat à qua ſibi

ſibi dicetur: Eſuriui, & non dediſti mihi manducare: ſitiui, & non dediſti mihi bibere: nudus eram, & non induiſti me: infirmus fui, & in carcere, neq; viſitâſti me. Et in tali neceſſitate minimè proderit ei, ſi dicat: Ego nunquam vidi te, quia ſi te vidiſſem, hæc omnia libentiſſimè feciſſem. Optimè nanq; nouit ille miſer, quia ab ipſa mea veritate moniti ſunt omnes in Euangelio, quòd illud quod amore ſuo fit vni pauperculo minimo ſuo, ſibi reputat eſſe factum: & ideo iuſtè cum Dæmonibus infertur ei ſupplicium æternum. Itaq; vides, quòd in terra prouidi ne properent ad interitum æternum. Si verò conſideres vitam æternam, in ciuibus ibi conſiſtentibus, & in angelica natura, multum ordinatè prouidi ſuper ipſorum ordinata charitate. Non enim volui, quòd vnus guſtet proprium bonum ſuum tantummodo quod à me recipit, immo volui & ordinaui, quòd bonum vniuſcuiuſq; participetur ab omnibus, ita quòd ex ordinata & perfecta charitate maior guſtat bonum minoris, & econuerſò minor maioris: minor verò quantum ad menſuram beatitudinis, non quòd paruus non ſit plenus, & perfectiſſimè cõſolatus, prout magnus; omnes enim ſunt pleni in ſuo gradu, prout alio loco tibi dixi. O quantum charitas iſta eſt ibi fraterna, & quàm eſt vnita in me, & vnus cum alio, recognoſcendo ipſam charitatem à me, prout eam à me receperunt cum illo timore ſancto, atq; debita reuerentia, quam eis dedi: vnde ſemetipſos accendunt in me, necnon & in me vident & cognoſcũt excellentiſſimam dignitatem, in qua collocaui eos. Angeli cum ingenti gaudio communicant cum animabus

beatorum,

beatorum, atq; beati cum angelis. Itaq; omnes in perfectiſsima dilectione charitatis, in alterutrum omnia bona participant, & exultantes vltra quam intelligere valeas, iubilando mirabili modo gaudent: in me nulla triſtitia reperitur ibi, ſed omnia ſunt ibi dulcia, & omnis amaritudo procul, ex eo, quòd dum vixerunt, & etiam in morte me guſtabant ex amoris affectu, in proximi ſyncera charitate. Quis hæc ordinauit? Sapientia mea cum admirabili dulciq; prouidentia. Si verò te vertis ad purgatorium, ibi conſiderare poteris etiam optabilem & inæſtimabilem prouidentiam meam, in illis pauperculis animabus, quæ propter ignorantiam amiſerunt acceptabile tempus; & quia ſeparatæ ſunt à corpore, non habent vltrà tempus in quo meritum acquirere poſsint. Illis ergò prouidi; quòd vos qui nunc eſtis in corpore viuentes, eas adiuuare poteſtis, videlicet eleemoſynis, ieiunijs, orationibus, & alijs pijs operibus in ſtatu gratiæ factis, & præcipuè cū officio diuino à meis miniſtris deuotè perſoluto. Per hunc ergo modum abbreuiatis eis tempus pœnitentiæ ſuæ, mea miſericordia mediante. Ecce cum quanta dulcedine gratioſè prouidi. Hæc omnia tibi dixi, quæ pertinent intùs ad animam ad ſalutem veſtram, vt efficiaris ex totò philocapta, & induaris veræ fidei lumen, atq; ſpem firmam in prouidentia mea, & temetipſam exuas de te, & in omnibus occurrentibus in me ſperes, abſq; timore ſeruili quocunque.

DE

DE PROVIDENTIA, QVA VTItur Deus erga pauperes ſuos ſeruos, etiam in temporalibus.

CAPVT. CXLIX.

NVnc verò, filia chariſſima, tibi volo dicere particulam valdè paruam, de modis quos ego teneo, cum ſeruis in me ſperantibus, ad ſubueniendum ipſorum exteriori neceſſitati. Prouiſionem verò meam ampliùs ſiue minùs inuenient, quantò perfectiùs vel imperfectiùs expoliati ſunt de ſemetipſis, ac etiam de mundo, tamen omnibus gratiosè prouideo. Et præcipuè pauperculis meis, qui videlicet voluntate ſunt verè Spiritu pauperes, hoc eſt, intentione ſpirituali. Multi nanq; pauperes ultrà, immo contrà ſuam uoluntatem exiſtunt. Iſti ſunt procul dubio diuites, quoad voluntatem, ſed in veritate mendici ſunt, quia minimè ſperant in me, neque voluntariè paupertatem ferunt, quam ego velut animarum illorum exhibui medicinam, quia diuitiæ nocuiſſent eis, & extitiſſent in cauſa damnationis eorum. Serui verò mei, ſi ſunt pauperes, minimè ſunt mendici. Mendicus enim aliquando non habet ea, quæ ſibi ſunt neceſſaria, & in graui neceſſitate præmitur. Pauper verò non abundat, ſed tamen habet neceſſaria. Ego nanq; nunquam ei deficio, dum in veritate ſperat in me. Aliquando tamē eos ad aliquam extremitatem adduco, vt apertiùs videant & intelligant, ꝙ ego poſſum & volo neceſſitatibus eorum valdè gratiosè prouidere, & ſic ampliori confidentia ſperent in proui-

in prouidentia mea, & amplectantur auidè ſponſam veræ paupertatis. Et illo tunc admirabili modo, clementia mea ſancti Spiritus, qui ſeruire talibus optat in neceſſitate, prouidet eis etiã in his exterioribus, corda ſuccendo diuitum varijs modis, vt eis in ſua neceſſitate ſubueniatur: & ita tota vita pauperculorum meorum iſto modo gubernatur, videlicet cum ſollicitudine, quã ſeruis mũdi tribuo de illis. Et verum eſt, quòd vt in virtute creſcant, atq; probentur in fide, patientia, & perſeuerantia, quandoq; ſuſtineo, quòd eis iniuria cum improperio atq; contumelia dicatur, & nihilominus ipſemet, qui dicit vel facit eis iniuriam, à clementia mea compellitur, vt eis faciat eleemoſynam, & neceſſitati tali ſubueniat: hæc eſt vna prouidentia generalis, quam facio pauperculis meis. Sed in magnis amicis, atq; fidelibus ſeruis meis, aliquando ſine medio creaturarum, vtor ipſa prouidentia mea, ſolummodo per meipſum, prout ipſamet experta fuiſti. Et audîſti de patre tuo beato dominico ſeruo meo glorioſo, ſcilicet quòd in principio ſui ordinis, cum hora prandij fratres nihil omnino haberent ad cõmedendum, totus fidelis in me ſperando certiſſimè, quòd ego prouiderem, dixit fratribus, vt diſcumberent, qui ita fecerunt ex obedientia ſui patris. Tunc ego qui ſperantibus in me gratioſè prouideo, miſi duos Angelos cum albiſſimo pane, de quo pluribus vicibus abundantiſſimè commederunt. Iſta prouidentia facta fuit abſq; operatione hominum, & à clementia mea ſolummodo proceſſit. Aliquãdo prouideo multiplicando paruam quantitatem, quæ minimè ſufficiebat: vt optimè nôſti de beata Agnete cõ-

ſorte

ſortę tua, quæ mihi ſeruiuit à ſua pueritia fideliter vſque ad vltimum vitæ ſuæ, cum humilitate vera, & indubitata ſpe, taliter quòd omni dubitatione propulſa, de nihilo cogitabat pro ſe ſiue pro familia ſua. Vnde cum viua fide paupercula, ſine quacunq; ſubſtantia temporali, ad præceptum glorioſæ Mariæ virginis iuit ad ædificandum pulchrum Monaſterium, in loco deteſtabili, quia morabantur ibi peccatores. Ipſa nullo modo dubitauit intra ſe, dicens: Ego quomodo potero perficere tantum opus? Fideliter igitur in me cõfidens iuit, & cum prouidentia mea fecit ibi tale Monaſterium Monialium, vbi congregauit in principio decem & octo virgines puellas, cùm nihil omnino haberent, niſi prout ego prouidebam eis. Tamen ego ſuſtinui ſemel, quòd tribus diebus abſq; pane ſteterunt, herbas tantummodo comedentes. Super iſto puncto tu poſſes admirari, dicendo mihi: Quare deduxiſti eas ad hanc extremitatẽ, cùm iam expreſsè mihi dixeris, quòd nunquam deficis in aliqua neceſſitate ſeruis in te ſperantibus? In hoc apparet, eis in tanta neceſſitate non extitiſſe prouiſum, ex eo, quia loquendo communiter, comunis homo viuere non poteſt, herbas tantummodo comedendo, & præcipuè cum homo non eſt in magna perfectione. Etſi Agnes erat in ſtatu magnæ perfectionis, credere poſſumus, quòd omnes aliæ virgines illæ non erant in tali ſtatu. Ad hoc ego reſpondeo, quia ita feci atque permiſi, vt inebriarentur illæ perfectè de prouidentia mea. Imperfectis verò materiam exhibui, propter ſubſecutum miraculũ,

vt fundamentum atq; principium facerent in lumine ſanctiſſimæ fidei: & in tali cibo vel alia materia, quãdo ſimilis caſus occurrit, ego do diſpoſitionem vnam humano corpori taliter, q̃ ita meliùs valet cum quadam herba modicà, vel etiam ſine quocunq; cibo, quã priùs quando panem habebat, et alia cibaria quæ ſunt ordinata propter vitam hominis adiuuandam atque ſuſtentandam. Et hoc apertiſſimè nôſti, quoniam in temetipſa probâſti. Etiam ego prouideo, quantitatem paruam multiplicando alicuius materiæ. Cùm enim illa ſtetiſſet in illo ſpatio temporis iã expreſſo, vertit ad me fidelem oculum ſui cordis, in oratione ſua dicens: Dulciſſime Domine, amantiſſime Pater, & æterne Sponſe, nunquid ordinâſti quòd iſtas virgines ab ipſarum domo paterna traherem, & in iſta domo tua congregarem, vt in ea fame pereant. Prouideas optimè Domine neceſſitatibus earum. Ego tamen eram ille, qui faciebam eam ita petere, habebam quidẽ complacentiam experiendi fidem eius, & ipſius humilem orationem acceptabam. Vnde prouidi ſatisfaciendo petitioni ſui cordis, quod in conſpectu meo ſtabat, et inſpirando coëgi quẽdam, vt afferret ei quinq; paruos panes, & illicò ſuæ menti patefeci: vnde prius quã ille qui portabat appropinquaret oſtio, ſiue rota, dixit alicui de filiabus ſuis: Filia vadas ad rotam, & recipe panem illũ quem nobis Dominus gratiosè mittit. Illis ergo quinque panibus allatis ordinatè diſcubuerunt. Dum igitur Agnes illos minimos panes frangebat, ego conceſſi tantam virtutem in manibus eius, panes

mul-

multiplicando, quòd omnes ad libitũ refectæ fuerunt: immo tanta ſuperabundantia remanſit in menſa, q̃ omnibus in prandio ſequentis diei fuit abundantiſſimè ſatisfactum. His & aliis variis modis ego prouideo ſeruis & amicis meis, qui voluntariè pauperes effecti ſunt. Neq; ſolummodo dico voluntariè, niſi ſint Spiritu pauperes, hoc eſt, cum intentione ſpirituali, aliàs enim modicum proficeret eis, prout occurrebat antiquis Philoſophis, qui ex affectu quem habebant ad addiſcendam ſcientiam, vtiq; mundanam, contemnebant has diuitias, & voluntariè pauperes efficiebantur, intelligentes ex quadam experientia ſiue naturali notitia, quòd iſta ſollicitudo exterior mundanarum diuitiarum, impediebat eos, ne venirent ad illud ſcientiæ culmen, quod optabant, vbi collocauerant finem atque terminum, ante oculum intellectus eorum. Sed quia paupertas iſta voluntaria, non erat cum intentione ſpirituali ad gloriam & laudem nominis mei, ideo non habuerunt alicuius gratiæ vitam, neque perfectionem, immo receperunt in ſe mortem æternam.

DE MALIS, QVÆ PROCEDVNT in poſsidendo, vel inordinatè deſiderando diuitias temporales.

CAPVT. CL.

ATtende filia chariſſima, quantũ eſt dedecus, et materia cõfuſionis hominib. Chriſtianis, miſeris amatorib. diuitiarũ, q̃ minimè ſequũtur

intellectum quem habent à natura, vt acquirere poſſint bonum æternum, ſicut iſti Philoſophi fecerunt, vt ſcientiam inutilem adiutam addiſcere poſſent. Agnoſcentes enim eas ad impedimentum ſui propoſiti fortiter contemnebant, immo proiiciebant eas. Et iſti de iſtis diuitiis volunt ſibimetipſis per modum loquendi facere Dominum. Et hoc apertè manifeſtat quod ſic eſt, ex eo, quia ampliùs amaricantur amittendo diuitias huiuſmodi temporales, quàm amittendo me, qui ſum ſummum & æternum bonum. Si tu benè conſideras, omnia mala producuntur ex hoc inordinato deſiderio congregandi diuitias. Oritur inde ſuperbia, dum homo deſiderat eſſe maior. Et iniuſtitia tàm in ſe quàm aliis. Inſuper & auaritia, quoniam ex appetitu pecuniæ, ſollicitè procurat expoliare ſiue fraudare fratrem & proximum ſuum, ac etiam arripere bona Eccleſiæ minimè formidat, quæ ſunt acquiſita pretio ſanguinis vnigeniti filij mei. Oritur etiam inde quandoq; reuenditio carnis proximi ſui. Et etiam temporis, vt vſurarij faciunt, qui veluti latrones vendunt ea quæ minimè ſua ſunt. Guloſitas egreditur inde, propter multa cibaria ſalutis inordinatè ſumpta. Vnde ſequitur inhoneſtas, quia ſi non haberent ad expendendum, frequẽter in conuerſatione tantæ miſeriæ minimè morarentur. Quòd etiam homicidia, odia, proditiones, crudelitates erga proximum inde procedũt, cum infidelitate circa me, præſumendo de ſe, tanquam ſi propria virtute ſua diuitias illas acquiſiuiſſent: nec attendunt quòd ſua virtute

tute non acquiſiuerunt, neq; poſſident eas: immo ſolùm ex prouidentia mea. Ipſi verò de me quidem iniuſtiſſimè ſpem amittunt, & ſolummodo ſperant in vanitate diuitiarum ſuarum. Et velut excæcati non vident, quòd in earum vanitate ſe deceptos inueniũt, ex eo, quoniam in vita præſenti ſunt eis quandoque ablatæ per diſpenſationem meam, & eorum vtilitatem, vel ſaltem in morte derelinquunt eas. Tunc apertè cognoſcant ſuam huiuſmodi ſpem extitiſſe vanam, abſq; ſtabilitate, ſine ſatietate fructifera deſiderium ergo diuitiarum temporalium hominem, facit eſſe pauperem, & occidit à vita gratiæ, operatur eſſe crudelem ſibimetipſi, aufert ſibi dignitatem infiniti, & facit eum eſſe infinitum: quia videlicet deberet huiuſmodi deſiderium eius ſolùm eſſe in me, qui ſum infinitum bonum: & ipſe poſuit & vniuit illud in re finita & viliſſima: ipſe perdidit guſtum ſaporis virtutum, & odoris eximiæ paupertatis: amiſit de ſe ipſo dominium, ordinando ſe diuitiarum ſeruum: inſatiabilis eſt ex eo, quia diligit ea quæ ſunt infra ſe: quoniam omnia creata ſunt in obſequium hominis, & non vt homo ſeruiat eis, homo autem eſt ordinatus vt mihi ſolummodo ſeruiat, qui ſum finis eius. Quot laborioſis pœnis, atque periculis homo ſponte ſe ſubiicit, non ſolùm in terra, ſed etiam in mari, vt opes congregare poſſit, non ſolùm ad neceſſitatem vitæ, ſed ad ſuperabundantiam, atque concupiſcentiam & auaritiam, vt poſtea redeat ad ciuitatem propriam cum ambitione magna & pompa ſeculi? Neque curat vel

paruam in corpore ſuo ſuſtinere pœnam ad acquirendas virtutes, quæ ſunt animæ veræ diuitiæ: ipſi ſuffocauerunt in illis vanis diuitiis cor & affectum, cum quibus mihi ſeruire debent: & cum variis & illicitis lucris conſcientias ſuas onerant. Attende diligenter, ad quantã adducti ſunt inopiam atq; miſeriã, & cuius effecti ſunt ſerui. Procul dubio non alicuius rei ſtabilis, immo cum vanitate multa ſunt valdè mutabiles: hodie nãq; quis eſt in ſeculo diues, cras verò pauper. Nunc in ſublimi ſtatu, illicò in infimo. Nunc à mundo aliqui reputati ſunt, & habiti cum multa reuerentia propter ſuas fallaces diuitias: illis verò deperditis, ab ipſo mundo ſunt in deriſum & improperium, & in contemptum habiti cum verecundia & improprio, & abſq; compaſſione malè tractantur. Ipſi nanq; diligebantur intuitu diuitiarum illarum, & nõ ex virtute qua dotati fuiſſent: quia ſi dilecti fuiſſet ex aliqua virtute, quæ fuiſſet in eis, procul dubio deperdita non eſſet reuerentia circa ipſos, & affectuoſa dilectio, licet opes eſſent amiſſæ remanentibus virtutibus. O quàm grauia ſunt hæc onera mentib. eorum ad portandum. Tàm grauia ſunt, ꝙ in hac via peregrinationis nõ poſſunt expeditè currere, neq; tranſire per arctam ianuam. Ita veritas incarnata vobis in Euãgelio dixi: Videlicet ꝙ faciliùs poteſt intrare camelus per foramen acus, quã diues in regnũ cœlorum, loquitur de diuitib. illis qui miſerabiliter, & inordinato affectu diuitias exoptant, atq; poſſident eas. Multi nanque ſunt illi pauperes, qui per inordinatum amorem

&

& affectum, vniuerſum orbem cum voluntate ſua poſſident, ſi quo modo poſſent habere. Hi per portam abſque dubio tranſire nequeunt, ex eo, quòd eſt arcta & humilis: vnde niſi deponant onus, atque reſtringant affectum inordinatum à mundo, & ex humilitate ceruicem inclinent, per tranſire non poterunt. Et non eſt alia via quæ dirigat eos ad vitam, niſi ſolùm iſta. Benè tamen eſt alia via multùm ampla, quæ dirigit ad æternam damnationem ambulantes per eam: ſed velut excæcati non vident ipſorum irrecuperabilem ruinam. Et in vita præſenti guſtant arram inferni. Nam ipſi per omnem modum à pœna cruciantur, eò, quia plus optant habere, quàm poſſint. Non habentes, inde torquentur: & cum amittunt, à magno dolore cruciantur. Et cum tanta menſura doloris amittunt, cum quanta menſura carnalis amoris illa poſſidebant. Amittunt proxim.i charitatem, & amorem fraternum: & non videntur vllo modo curare virtutem aliquam acquirere. O putredo mundi, non dico de rebus in ſe, quoniam omnia creaui bona, immo perfecta: ſed ille putridus eſt, qui cum affectu carnali & inordinato poſſidet illas. Lingua tua, filia chariſſima, narrare neſciret, quot mala ſunt, quæ procedunt inde quotidie. Vident & experiuntur ipſi miſerabiles & excæcati: & tantum agnoſcere nolunt eorum inæſtimabile detrimentum.

TRACTATVS DE EXCELLENTIA PAVPERVM Spiritu: Et quomodo Ieſus Chriſtus exemplo nos docuit.

CAPVT. CLI.

ALiqua narrando tibi tetigi, vt ampliùs & apertiùs agnoſcas theſaurum paupertatis voluntario Spiritu. Quis agnoſcit? Pauperculi ſerui mei dilecti, qui vt expeditè poſſent iter hoc agere, atque tranſire per ianuam arctam, onus diuitiarum in terram affectuosè proiecerunt. Aliqui proiecerunt eas effectualiter & mentaliter; iſti ſunt obſeruantes conſilia pariter & præcepta, mentaliter & affectualiter. Alij ſeruant vtiq; præcepta legis actualiter, conſilia verò mentaliter, virtuosè diuitiis affectum exuentes: quoniam eas non habent, neque poſſident per inordinatum amorem, ſed ordinatè cum ſancto timore meo: vnde talis factus eſt ipſarum non auarus poſſeſſor: immo pius proximo pauperi diſpenſator. Iſte quidem bonus eſt, primus verò perfectus, quia eſt cum maiori fructu & impedimento minori, & in eo videtur prouidentia mea magis apertè relucere actualiter, de qua commendando veram paupertatem, narrationem perficiam: vterq; ceruicem humiliter inclinat, faciendo ſe virtuosè paruulum. Sed quoniam aliâs tibi narraui de ſecundo, nunc de primo ſolummodo tibi loquar. Ego tibi monſtraui, quòd omne malum, damnum, ſiue pœna tàm in vita præſenti, quàm in futura procedit ab inordinato amore

more

more diuitiarum: ſic econuerſò noueris, quòd omne bonum, & pacifica requies oritur à vera paupertate: conſidera diligenter aſpectum pauperculorum meorum, & cum quonto gaudio & iucunditate ſancta quotidie viuunt: ipſi nullo tempore contriſtantur, niſi ſuper offenſa mihi facta. Quæ triſtitia non affligit, immo pingueſcere facit animam. Propter huiuſmodi paupertatem ſummas inuenire diuitias, derelinquentes tenebras obſcuras, inuenerunt ſemetipſos in perfecta luce. Quia mundi miſeriam omiſerunt, æterno gaudio poſtea lætantur: propter viliſſima bona mortalia recipiũt immortalia bona pretioſa, vbi maximam habent, & inæſtimabilem conſolationem, tolerare labores cum iuſtitia refrigerium eſt eis: charitatiuè cum omni rationali creatura conuerſantur: neque ſunt perſonarum acceptatores. In quo virtus relucet atque firma ſpes?. Vbi ardet ignis veræ charitatis? In eis vtiq;. Quia cum lumine fidei, quam habuerunt in me, qui ſumma ſum & æterna fœlicitas, à mundo leuauerunt omnem ſpem, & ab omni mundana conſolatione: & fuerunt amplexati veluti ſponſam amabilem veram paupertatem cum ſeruitricibus eius: ſeruitrices verò paupertatis huiuſmodi ſunt, vilitas cum ſui contemptu, & humilitate vera, quæ ſeruiunt atq; nutriunt in anima verum affectum & amorem. Cum iſta fideli ſpe charitatis igne ſuccenſi veri ſerui mei ſaltabant, atq; ſaltant extra mundi vanitates, & diuitias eius, ac etiam extra proprium ſenſum: hæc omnia vilipendendo contemnebant, pro-

ut egit ille glorioſus Apoſtolus Mattheus, qui à banco ſaltando reliquit opes multas, quas in ſeculo poſſidebat, & indilatè ſecutus eſt veritatem incarnatã, quæ docuit vos modum & regulam, vt ametis & imitemini paupertatem iſtam. Neq; docuit verbo ſolummodo, ſed exemplo ſuo perfectiſſimo. Nam à ſuæ natiuitatis initio, vſq; ad finem vltimum vitæ ſuæ per exemplum in ſe, vos huiuſmodi doctrinam apertiſſimè docuit. Ipſe pro nobis ſponſam iſtam humilem deſponſauit, videlicet paupertatem extremam, cũ eſſet ipſe ſumma fœlicitas ex vnione diuinæ naturæ, eſt .n. vnũ mecum, & ego ſecum: & habeo diuitias infinitas. Et ſi vis eum videre pauperem & humiliatũ, attende Deum eſſe factum hominẽ, & vilitate veſtræ humanitatis eſſe veſtitũ. Tu vides hoc amabile verbũ in ſtabulo naſci, cũ eſſet virgo beata Maria mater eius in itinere, vt oſtenderet vobis viatoribus, quia quotidie debetis in ſtabulo propriæ notitiæ veſtri permanere, ibiq; renaſci: vbi cùm inuenietis natum in anima veſtra per gratiã. Tu vides eum in medio duorũ animalium, in tanta penuria, ꝙ ipſa Maria non habuit vnde eum cooperiret. Sed in tàm intenſo frigore cum flatu animalium, atq; fœno calefecit eum. Et cùm eſſet ignis excellentiſſimæ charitatis, frigere voluit in humanitate ſua, in omni vita ſua, dum viueret in mundo cum diſcipulis, & abſque diſcipulis aduerſa tolerare voluit. Vnde propter famem aliquando ipſi diſcipuli ſpicas confricabant: vt grana comederent. Et in vltimo vitæ ſuæ nudus expoliatus extitit, et

flagellatus ad columnã, deinde cruci crudeliter affixus, atq; ſitibundus omnia cum inæſtimabili patientia tolerauit. Et in tantam fuit extremitatem reductus, quòd omnino ligno ſimul & ipſa terra caruit, nec habuit vbi caput reclinare poſſet. Oportuit igitur ꝙ ſuper humero proprio illud reclinaret: ipſe verò velut ebrius amore de pretioſo ſanguine ſuo fecit humano generi balneum. Nam aperto ſacro corpore ſuo, vndiq; abundanter ſanguinem effudit: & in magna paupertate, atque neceſſitate conſtitutus, ampliſſima dona largitur. Et dum eſt affixus & arctatus in ligno crucis, ampliſſimè ſuam liberalitatem, & abundantiam ſuarum diuitiarum omnibus creaturis rationalibus effundit. Guſtando fellis amaritudinem, vobis exhibuit dulcedinem perfectam & admirabilem. Dum eſt in afflictiua triſtitia, vobis conſolationem exhibet. Dum eſt affixus in cruce, vos abſoluit à vinculo peccati mortalis. Dum amore factus eſt ſeruus, vos à ſeruitute Diaboli plenè liberauit. Cũ eſſet vẽditus, vos ꝓprio ſanguine redemit; in ſe mortẽ acceptando, contulit vobis vitam. Ergo regulam vobis amoris eximij tribuit, qa maiorẽ affectionẽ, & amorem vobis oſtendere nequibat, quàm exponendo ꝓ vobis vitã, qui facti fuiſtis inimici ſibi pariter et mihi Patri æterno. Hoc ignorare videtur homo peccator, qui me valdè offendit, atq; tale pretiũ nimis vilipendit. Vobis etiã exhibuit optimã humilitatis veræ regulã, quoniam humiliatus eſt vſq; ad mortem viliſſimam opprobrioſæ crucis. Exemplum etiam vilitatis

ex eo,

ex eo, quia ſuſtinuit opprobria & improperia multa. Item exemplum veræ paupertatis, vt iam dictum eſt. Vnde dixit ipſemet in Euangelio: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet. Quis agnoſcit iſta? Ille qui lumen habet fidei ſanctiſſimæ. In quibus inuenitur iſta fides? In pauperibus, qui ſunt ſpirituali pauperes intentione, qui reginā iſtam, videlicet paupertatē, in ſponſam acceperunt: quoniam à ſe remouerunt vanas diuitias quæ tenebras infidelitates inferebant. Iſta regina regnum habet, in quo nunquam eſt aliqua perturbatio: ſed iugiter eſt ibi pax & tranquillitas: abundat ibi iuſtitia, quoniam illud quod in iuſtitiam operatur, ſeparatum eſt ab ea. Muri ſuæ ciuitatis valdè fortes exiſtunt, ex eo, quia non ſunt in terra molli, in arena fundati, vt omnis aura poſſet eos ad terram deiicere: ſed ſuper firma Petra, videlicet Ieſu Chriſto filio meo, ibi lux eſt abſq; tenebris, eſt etiam ignis abſq; frigore: quia mater iſtius egregiæ reginæ diuinæ charitatis eſt abyſſus. Ornamentum huiuſmodi ciuitatis eſt humana pietas, atq; clemētiſſima miſericordia: quoniam expulſus eſt ab ea Tyrannus ille diuitiarum, qui crudelitatem habebat. Ibi eſt omnium ciuium vrbana beneuolentia, videlicet amor omnium proximorum. Ibi longa perſeuerantia cum prudentia: vnde ciuitas non imprudenter, immo prudentia vigiliáq; cuſtodia gubernatur, propter quæ videtur apertè, quòd anima quæ ſumit huiuſmodi reginam in ſponſam, omnibus diuitiis

domi-

dominatur. Neq; poteſt eſſe iſtarum domina, niſi dominetur etiam diuitiis æternis: vide tamē ne mors, videlicet appetitus diuitiarum ſubintraret animam illam: tunc enim ab illo bono ſeparata foret, & extra ciuitatem ipſo facto ſe reperiret in ſumma miſeria. Si verò eſt iſti ſponſæ fidelis, vbiq; ſemper ei donat huiuſmodi ſuas diuitias. Quis autem videt tantam excellentiam? Videt anima quæ fidei lumen habet: & iſta ſponſa ſponſum ſuum, id eſt, hominem: & cœpit indutum mirabili puritate, diuitias vanas auferendo ſibi, quæ faciebant ipſum immundum: & priuat eum cōuerſationibus malis, & exhibet ei bonas: priuat eum inertia neglıgentiæ, atque mundi ſollicitudinem eiicit à ſe: priuat eum amaritudine diuitiarum vitæ præſentis, & cum dulcedine remanet. Spinæ præciduntur, roſa verò conſeruatur in pulchritudine ſua. Animæ ſtomachum euacuat à corruptis humoribus amoris inordinati, & facit ipſum exoneratum atq; leuem, quo priùs euacuato, poſtea cibo virtutum implet, quæ ſuauitatem inæſtimabilem exhibent. Ei duos ordinat habere ſeruitores, qui benè diſponant habitationem eius, videlicet odium & amorem. Odium autem vitiorum atque propriæ ſenſualitatis, purgat animam ab omni ſorde: ſed amor virtutum ornat eam, & priuat ipſam omni dubitatione, atque timore ſeruili, ei ſecuritatem exhibendo cum timore ſancto. Et in effectu virtutes omnes atq; gratias, complacentias, & ſolatioſas delectationes inuenit anima, quæ reginā iſtam egrgiæ paupertatis aſſumit in ſponſam.

ſam. Nullo modo metuit habere moleſtiam. Eò, quia nullus eſt qui faciat ei bellum. Non timet etiam habere famem ſiue penuriam, quia fides vidit, & ſperauit in me creatore ſuo, vnde procedunt omnes opes, cũ diligentiſſima prouidentia iugiter eos alo, & vbique nutrio. Nunquid vnquam audîſti vel vidiſti, quòd aliquis verus ſeruus meus, & huiuſmodi ſponſus paupertatis, alicubi fame periret? Non, cùm tamẽ inuenti ſint plurimi, qui perierint in ſuis multis diuitiis, nõ in me confidentes, & ideo perierunt. In iſtis verò pauperculis meis ego nunquam deficio, quoniã ipſi nunquam in me ſperare deficiũt. Et ideo veluti pater pius atq; benignus, eis indefeſſè prouideo. O cum quanto gaudio, & animi libertatę venerunt ad me: quia nouerunt cum lumine fidei, quòd à principio vſque ad vltimum diem vitæ præſentis vſus fui, vtor, & vtar in futurum in omnibus prouidentia mea ſpiritualiter & temporaliter. Tamen aliquando permitto, quòd ipſi plura tolerent, vt aliâs tibi dixi: quia volo ꝙ in fide creſcant, & in ſpe de ſuis laboribus pleniſſimè remunerandi. Nunquã tamen eis in ſua neceſſitate deficio, in totum experti ſunt abyſſum prouidentiæ meæ: ibiq; lac diuinæ dulcedinis deguſtant, ideo minimè timent amaritudinem corporeæ mortis: immo cũ anxio deſiderio currunt ad eam, veluti iam propriæ ſenſualitati mortui: & etiam quoad iſtas vanas diuitias, et tãquã philocapti ſponſum veræ paupertatis fuerunt feruenter amplexantes. In voluntate mea quotidie viuentes, ad omnia parati ſuſtinere, calores, & frigora, nudi-

nuditatem, famem, atque ſitim, deriſiones, & contumelias: immo etiam mortem cum anxio deſiderio, dandi vitam amore mei, qui ſum eorum vita, & ſanguinem amore ſanguinis. Attende pauperes Apoſtolos, & alios Martyres glorioſos, Petrum, Paulum, Stephanum, atq; Laurentium, qui non apparebat eſſe ſuprà ignem, ſed ſuper floribus odoriferis & iucundis, & quaſi cum Tyranno ludendo dicebat: Aſſaſti vnam partẽ, verte aliam, et manduca. Cùm igitur ingẽti diuinæ charitatis igne paruum extinguebat animæ ſuæ ſenſum. Lapides verò Stephano videbãtur eſſe roſæ. Quis erat in cauſa? Verus amor, cum quo ſumpſerant iſtam reginam veræ paupertatis in ſponſam, cùm vniuerſam orbem amore mei reliquiſſent. Ipſam ergo diſpenſauerunt cum lumine ſanctiſſimæ fidei, cum firma ſpe, ac obedientia prompta, realiter obedientes conſiliis atque præceptis vnigeniti filij mei, mentaliter atque actualiter. Mortem optabant, & vitam habebant cum diſplicentia & impatientia: non vt laborem effugerent, immo ſolùm, vt mihi, qui ſum finis, fideliter vnirentur. Et quare non timebant mortẽ, quam omnis homo naturaliter metuit? Quia ſponſa veræ paupertatis aſſecurabat eos, auferendo eis totaliter amorem proprij corporis, & omnium diuitiarum orbis. Unde cum virtute conculcauerunt, atq; debellauerunt amorem naturalem, habito lumine et amore diuino ſupernaturali. Et quomodo poterit homo, qui eſt in tali ſtatu, dolere de morte ſua corporea, qui deſiderat amittere vitam, immo

cum

cum amara pœna tolerat eam ita prolixam: aut quomodo in aliquo dolore poterit, amittendo ſeculi diuitias, quas affectuoſiſſimè iam diu cum tanto deſiderio contempſit? Hoc abſq; dubio non eſt valdè magnum. Nam ille qui non amat, non dolet, immo delectatur amittendo rem quam odit. Itaq; vndecunq; te verteris, in eis inuenies optabilem pacem, & eos habere requiem, & omne bonum. In illis verò miſeris, qui poſſident huiuſmodi ſeculi diuitias, amore tàm inordinato, inuenies pœnas intolerabiles, & omne malum, quamuis in exteriori aſpectu videatur eſſe contrarium: ſed in rei veritate ſic eſt. Quis enim non indicâſſet, quòd Lazarus extitiſſet in ſumma miſeria, & ille diues damnatus in iucundo gaudio, & in magna quiete fuiſſet? Et tamen ita non erat, quia pœnam ampliorem habebat ille diues cum abundantia ſua temporali, quàm ille pauperculus Lazarus à lepra cruciatus: ex eo, quia in Lazaro mortua erat voluntas propria, & in me viuebat, qui ſibi dabam in pœna refrigerium atque conſolationem. In diuite verò ſua voluntas viuebat: vnde procedebat omnis pœna. Cū ergo Lazarus expelleretur ab hominibus, & præſertim ab illo diuite damnato, nec haberet extergentem vulnera ſua, vel in aliquo ſibi prouidentem: ego prouidebam, quòd animal irrationale lingeret eius vlcera. Et in vltimo vitæ ipſorum videtis cum lumine fidei Lazarum in gloria, & illum diuitem in inferno cruciari: Itaque diuites in triſtitia multa permanent, pauperculi verò mei ſtant in ſancto gaudio.

Ego quidem eos iuxta pectus meum habeo & conſeruo, lac eis exhibendo multarum conſolationum, quoniam amore mei dereliquerunt omnia totaliter, ideo me totum habent ad poßidendum: Spiritus ſanctus ita loquendo ſe nutricem facit, gubernando corpus & animam ipſorum, in quocunq; ſtatu fuerint. Etiam ab animalibus brutis: ego prouideri facio diuerſimodè ſecundùm indigentiam eorum: pro ſolitarijs ægrotis ordino quãdoq;, quòd alius in eremo ſolitarius vadat ad eos viſitandos atq; gubernandos. Tu quoq; nôſti, quòd pluries ego te coëgi, contra conſuetudinem tuam egredi cellam, vt in neceßitate ſubuenires pauperculis ægrotantibus: hoc idem in te manifeſtè probâſti de prouidentia mea. Dum enim à creatura in tua neceßitate ſubſidium non haberes. Ego creator illicò prouidi mirabili modo. Igitur ego nunquam in me verè ſperantibus in aliquo deficio, ſed gratiosè prouideo. Et vnde procedit, quod homo quandoq; ſtans in delicijs cum pannis multis, & in magna cura proprij corporis, habendo quotidie cibaria delicata, continuè tamẽ erit infirmitate grauatus? Poſtquam autem amore mei ſe contempſit, et amplexatus eſt voluntariam paupertatem, vnico veſtimento ſibi reſeruato, ad cooperiendam corporis nuditatem, ipſe idem efficitur etiam corpore fortis atq; ſanus: & non videbitur quòd aliquid ei noceat, neq; cõpræhendetur, quòd illi corpori ſuo detrimentum aliquod inferant frigora, ſiue calores, vel alia cibaria groſſa. Totum hoc à prouidentia mea procedit, quia de illo curam habere cœpi, qui mihi de ſe totaliter curam commiſit, omnino derelinquendo ſemetipſum. Ergo, dilectißima fi-

lia, vides apertè inquāta requie conſiſtāt hi peramabiles pauperculi mei.

REPETITIO SVMMARIA, DE prædicta prouidentia diuina.

CAPVT. CLII.

N*Arraui tibi filia mea chariſsima, nunc aliquam particulam de prouidentia mea, in omni manerie gentium, oſtendendo quòd à principio quo mundum primùm ego creaui; & poſtea ſecundùm, videlicet hominem ipſum ad imaginem meam & ſimilitudinem creando, uſq; ad vltimum finem, ego ſum vſus iſta prouidentia mea: & omnia quæ feci facio, & faciam, accedunt atq; proficiunt ad ſalutem veſtram, quia volo ſanctificationem veſtram, & omnia quæ tribuo vobis ad iſtum finem exhibeo: hoc iniqui non vident, quia ſibimetipſis lumē abſtulerunt. Et iam tibi dixi, ꝙ quia nō agnoſcunt in me ſcandalizantur. Tamen ego eos patienter tolero, exſpectans eos vſq; ad vltimum, procurādo & prouidendo neceſsitatibus eorum qui ſunt peccatores, velut & iuſtis, in temporalibus & ſpiritualibus. Item aliqua tetigi pauca de diuitiarum imperfectione: & ad quā miſeriam illum adducunt, qui poſsidet eas affectu inordinato. Et tibi dixi de paupertatis excellentia, & de diuitiarum abundantia, quam ipſa paupertas animæ tribuit eam in ſponſam eligenti: ipſa quidem ſociata eſt cū ſorore vilitate: de qua vilitate vnà cum obedientia tibi dicam aliqua. Item oſtendi tibi, quantum mihi virtus illa placet: & quomodo ſibi prouideo paterna prouidentia mea.*

mea. Totum hoc tibi narraui pro commendatione tantæ virtutis, atq; ſanctiſſimæ fidei, cum qua peruenit anima ad hunc excellentiſſimum ſtatum: & vt in fideli ſpe facias augmentum: & vt pulſare non deſinas ad miſericordiæ meæ ianuam. Crede fideliter uiua fide, quia deſiderium tuum, & aliorum ſeruorum, & amicorum meorum adimplebo, cum tolerantia multorum laborum, vſq; ad mortem. Tu verò confortare viriliter & exulta in me, quia ſum in omnibus defenſor atq; conſolator tuus. Nunc ergo tibi loquendo ſatisfeci ſuper prouidentia, de qua me rogâſti, dicendo, quòd ego neceſſitati mearũ creaturarum benignè prouiderem, & apertè nouiſti quòd ego minimè contemno ſancta deſideria veſtra.

QVALITER HAEC ANIMA POST gratiarum actiones, Dominum humiliter exorat, vt ei loquatur aliqua de obedientiæ virtute.

CAPVT. CLIII.

HÆc anima deuota tũc velut ebria admirabili modo philocapta de vera ſanctaq; paupertate, dilatata in ſumma & æterna magnitudine, atq; tranſformata in abyſſum ineffabilis atq; excellẽtiſſimæ prouidentiæ, taliter quòd exiſtens in uaſe corporis, extra corpus ſibi videbatur eſſe, ꝓpter obumbrationẽ atq; rapinã quã in ea fecerat ignis æternæ charitatis, oculum intellectus infixum habebat in diuina maieſtate, dicendo ſummo & æterno patri: O pater æterne, ô ignis abyſſe veræ charitatis, ô æterna pulchritudo, ô æterna ſapientia, ô boni-

ô bonitas æterna, ô æterna clementia, ô ſpes atq; refugium peccatorum, ô largitas inæſtimabilis, ô bonum infinitum & æternum. O fatue propter exceſſiuum amorem nunquid indiges aliqua creatura tua, mihi videtur quòd egeas, eò quòd facis quemadmodum ſi viuere non valeres abſq; illa, cùm tu ſis vita ex qua viuunt omnia, & ſine qua nihil omnino viuere poteſt: propter quid igitur es taliter infatuatus in creatura mea. Quare vel ipſa fuiſti philocaptus, & in temetipſo tibi complacuiſti, & ita delectatus fuiſti de illa, & velut ebrius & auidus valdè illius ſalutem optas & admirabili modo quæris: ipſa verò fugit. Tu ſibi propinquas, & ipſa ſemetipſam elongat. Propinquiùs enim venire non poteras, quàm induendo verbum tuum humanitate noſtra. Quid vltrà dicam: faciam veluti balbutiens & dicam: a. a. a. quia neſcio quid vltrà loqui poſſim, ex eo, quòd lingua finita non valet exprimere, quòd anima ſentit & cognoſcit, nec affectus eius infinitè deſiderantis te bonum infinitum, mihi congruè videtur verbum Apoſtoli Pauli dicere poſſe, videlicet oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderũt quæ uidi et quæ præparauit Deus diligẽtibus ſe. Sed quæ vidiſti? Vidi arcana Dei, quæ nõ licet homini loqui. Et quid dicis? Proculdubio non attingo cum his groſſis atq; carnalibus ſenſibus: ſed tamen dico, quòd vidiſti atq; guſtâſti anima mea ſummæ ac æternæ prouidentiæ ſtupendum abyſſum. Nunc ergo tibi gratias ago ſummo & æterno patri, ſuper immenſa bonitate tua mihi miſerabili demonſtrata, quæ quacunque gratia ſum indigna: Sed quia noui, quòd acceptas libenter,

ter, & imples anxia & ſancta deſideria, neque veritas tua mentiri poteſt, opto quòd aliqua mihi pandas de virtute obedientiæ, atq; de ipſius excellentia, veluti tu mihi pater æterne promiſiſti, vt ipſius amore iugiter inardeſcam, & nunquam ab obedientia tua diſcedam. Placeat ergo maieſtati tuæ mihi, de ſua perfectione narrare, ac vbi poßim illam inuenire. Et quid eſt illud, quod poſſit eam à me auferre; & econuersò quid eſt illud, quod mihi præbeat illam. Et quod eſt apertum ſignum mihi demonſtratiuum, vt illam habeam vel non.

TRACTATVS SEXTVS.

DE OBEDIENTIA: ET PRIMO, vbi obedientia reperitur: Et quid eſt, quod à nobis aufert eam: Et quod eſt ſignum, quòd homo habeat illam.

CAPVT. CLIIII.

TVnc æternus, pius atq; benignus pater, oculum ſuæ clementiæ vertit ad eam, dicens: Dulcis atq; chariſſima filia, ſancta deſideria & iuſtæ petitiones exaudiri merentur. Et ideo ego ſumma veritas, mea promiſſa tibi facta cõplebo, ſatisfaciendo deſiderio tuo. Tu petis à me quòd dicam, vbi poßis obedientiam inuenire, & ob quam cauſam tu potes eam amittere, & quòd eſt apertum ſignum quòd illam habeas vel non. Primò reſpondeo tibi, quòd illam inuenies valdè perfecto mo-

cto modo, in dulci & amoroſo verbo vnigenito filio meo, & in ipſo fuit iſta virtus ita prompta, quòd vt illã opere perficeret velociſſimè cucurrit ad mortem opprobrioſæ crucis. Si vis videre quid aufert illam, attende primum hominem Adam, & videbis apertè cauſam propter quã amiſit obedientiam, quã ego pater æternus impoſueram ei: quæ procul dubio ſuperbia fuit, & egreſſum habuit et ortum ab amore proprio, & à complacentia ſociæ ſuæ. Iſta cauſa fuit propter obedientiam quam amiſit, & inobedientiam quam incurrit, vnde perdidit vitam gratiæ, & mortem inuenit, amiſit innocentiã, & illicò cecidit in immunditiam atq; miſeriam, nec ipſe ſolummodo, immo & vniuerſum genus hominum, vt aliquando tibi dixi. Signum verò demonſtratiuum, vtrum hanc virtutem habeas, eſt vera patientia: & econuersò tibi demonſtrat impatientiã: & econuersò tibi demonſtrat impatientia quòd ipſa virtute cares, vnde narrando tibi de prædicta virtute, cognoſces ſic apertè eſſe. Sed aduerte, quòd duplex eſt obedientia: vna quippe bona, ſed alia pfecta, non tamen ſunt adinuicem ſeparatæ, ſed vnitæ, ſicut ego dixi de præceptis atq; conſilijs, quòd vnum videlicet eſt bonum & aliud perfectum. Nullus omnino poteſt in vitam æternam ingredi, niſi tãtum obedientia mediante. Nam cum obedientiæ claui fuit aperta paradiſi ianua, ſicut per inobedientiam Adæ clauſa fuerat. Ego verò conſiderans hominem, quem ita diligebam, eſſe ſine priuatum ad quem eum in tanta dignitate creaueram, et quòd ad me redire per ſe nullo modo poterat, inductus atq; coactus ab inæſtimabili bonitate mea, claues obedientiæ ſanctæ recepi, & in manibus vnigeniti filij mei poſui

&

& conſignaui, & ipſe velut portonarius fideliſſimus & egregius ianuam cœlorum aperuit: vnde nullus omnino poteſt ianuam ipſam ingredi, niſi ſolùm ille cui portonarius iſte tali claue voluerit aperire: quia patenter in Euangelio dixit, quòd nemo poterat ad me venire, niſi per eum. Ipſe verò vobis reliquit huiuſmodi clauem dulcem obedientiæ, quando rediens ad me cum palma victoriæ cœlos aſcendit, hominum deſerendo conuerſationem. Et ille tunc ipſam clauem Vicario ſuo commendauit, videlicet Papæ, qui congruè dici poteſt Chriſtus in terra, cui omnes eſtis obligati vſq; ad mortem obedire. Si quis autem ab obedientia ſua ſe fecerit alienum, indubitanter eſt in ſtatu damnationis, niſi ſe correxerit ante mortem, prout aliâs ego tibi dixi. Nunc volo quòd tu videas & agnoſcas hanc virtutem excellentiſſimã in humili & immaculato agno, & vnde ꝓcedit in eũ. Si petis à me vnde proceſſerit obediẽtia tã ꝓmpta, in hoc verbo filio meo ꝓcul dubio noueris, ꝗ ab amore quem habuit ad honorem meũ, & ad ſalutẽ veſtram egreſſa fuit, ſed amor ille ſuus vnde proceſſit? A lumine claræ viſionis, cum qua uidebat apertè anima ſua diuinã eſſentiã atq; Trinitatẽ æternam. Itaq; quotidie me Deum æternũ videbat. Iſta quidẽ viſio perfectiſſimè operabatur in eo fidelitatẽ illam, quã imperfectè ſanctiſſimæ fidei lumen operatur in vobis. Ideo mihi patri ſuo æterno fideliſſimus extitit, vnde cucurrit cum lumine glorioſo, veluti philocaptus per viam obedientiæ. Amor verò nõ eſt ſolus, immo ſociatus eſt ab omnibus virtutibus realibus, omnes enim virtutes vitã hauriunt ab amore ueræ charitatis: quanquã virtutes aliter eſſent in eo, et ali-

ter in vobis. Inter alias amor ipſe habet virtutem inuinctæ patientiæ, quæ medullum eſt eius, & eſt ſignum, apertè demonſtratiuum, vtrum anima ſit in gratia, & ſi diligit in varitate vel non. Et ideo mater virtutum, id eſt charitas, aßignauit eam in ſororem virtuti obedientiæ, & eas inuicem ita copulauit & vniuit, quòd vna nunquam amittitur ſine reliqua, vel ambas habetis, vel ambas amiſiſtis. Iſta virtus habet virtutem humilitatis in nutricem, à qua quotidie nutritur: vnde tantum eſt aliquis obediens, quantum eſt humilis: & tantum eſt humilis, quantum obediens. Hæc humilitas eſt nutrix & baiula charitatis: & ideo lac eiuſdem virtuoſè fouet atq; nutrit virtutem obedientiæ. Veſtis verò, quam habet ab iſta nutrice ſua, eſt vilipenſio ſui, quæ fit ſemetipſam opprobrijs induendo, diſplicendo ſibi, vt ampliùs mihi placere valeat. Et hoc, in quo ſiue vbi clarius inuenitur. In ipſo dulci Ieſu filio meo. Quis enim ampliùs ſemetipſum vilipendit atq; contempſit, quàm ipſe ſaturatus eſt opprobrijs, deriſionibus, atq; contumelijs, diſplicuit ei vita ſua corporea vt mihi placeret. Quis enim amplius illo patiens extitit? Nam ex ore ſuo nunquam auditus fuit clamor ex aliqua murmuratione, ſed valdè patienter amplexatus iniurias, veluti philocaptus obedientiam impoſitam ei per me ſuum patrem æternum impleuit. Igitur in eo perfectè reperies eam. Ipſe vobis huiuſmodi regulam atq; doctrinam dimiſit, quam in ſe primò ſeruauit, ipſa vobis vitam exhibet, quoniam eſt via directa, ipſa vobis eſt vita, & ideo vobis apertè dixit in Euangelio: Quòd erat uia, veritas & vita: &

qui

qui per eam ambulabat, erat in luce: & qui vadit in luce non offendit, nec offenditur, quin aduertat, quoniam abſtulit à ſe tenebras amoris proprij, vnde præcipitabatur ad inobedientiam, quia ſicut iam dixi, conſocia vnde procedit obedientia eſt indubitanter humilitas. Ita dico tibi, quòd à ſuperbia procedit inobedientia, quæ procedit ab amore proprio ſui. Soror quæ conſignatur ab amore proprio inobedientiæ, certitudinaliter eſt impatientia. Superbia verò nutrit eam, & cum tenebris infidelitatis velociſſimè currit per viam tenebroſam, vnde recipit & inuenit æternam mortem. Omnes enim vos oportet ex neceſſitate legere ſuper iſto glorioſo libro, vbi ſcriptam inuenietis hanc, & omnem aliam virtutem.

QVALITER OBEDIENTIA CLAuis eſt, qua cœlum aperitur: Atque de ſuis excellentijs.

CAPVT. CLV.

POſtquam oſtendi tibi, vbi virtutem hanc obedientiæ potes inuenire, vnde venit, & quæ ſit eius cõſocia, & à quo nutritur, modo loquar tibi de perſonis obedientibus, & inſimul de cæteris inobedientibus, atq; de generali obedientia & particulari, videlicet de obedientia præceptorum, & de alia conſiliorum. Tota fides veſtra fundatur in obedientia, nam in obedientia demonſtratis eſſe fideles. Poſita quippe ſunt à mea veritate generaliter in lege præcepta, quæ debetis omnes obſeruare, quorum eſt principale, videlicet vt me ſuper omnia

diligatis, & proximum velut voſmetipſos: & iſta ſunt, vnâ cum alijs ita connexa pariter & vnita, quòd vnum obſeruari non poteſt, niſi cætera ſeruentur, nec etiam vnũ omitti poteſt, quin etiam omittantur alia. Si quis iſta duo ſeruauerit, etiam alia ſeruat, & eſt mihi fidelis atq; proximo ſuo. Me diligit, & in meo charitatis amore cõſiſtit: & ideo eſt obediens, & facit ſemetipſum eſſe ſubditum legalibus præceptis, atq; proximo propter me. Omnia patienter & cum humilitate tolerat, & omnem laborẽ, ſiue proximi detractionem. Hæc obedientia fuit excellẽtiæ tantæ, quòd omnes ab ea gratiam attraxiſtis, velut ab inobedientia mortem extraxiſtis. Non tamen vobis vſquequaq; ſufficeret, ſi ſolummodo fuiſſet in verbo pro vobis incarnato, & non inueniretur in vobis. Iã ego dixi tibi, quòd eſt illa clauis quæ cœlũ aperuit, quam clauem in manu Vicarij ſui dereliquit atq; commendauit. Ipſe quoq; vicarius in manu cuiuſcunq; percepto Baptiſmo, vbi ſponte promittat Diabolo & ipſi mundo, cum omnibus pompis eius in veritate renunciare, ponit & exhibet, & obedire permittens, accipit huiuſmodi clauem obedientiæ. Itaq; quilibet habet in particulari, & eſt eadem ipſa clauis verbi. Siquis verò non ambularet cum lumine fidei, & cum manu amoris ad aperiendum iſtam ianuam æternæ vitæ, iſta claui nunquam intrare poterit, non obſtante quòd ab ipſo verbo meo fuerit aperta. Quoniam ego creaui vos abſq; vobis, ex eo, quia me non rogâſtis: nã vos amaui priuſquàm eſſetis, ſed non decreui ſaluare vos abſq; vobis. Oportet igitur vos in manu clauem huiuſmo-

iuſmodi portare, neq́ ſedere debetis, ſed ambulare, videlicet ambulando per viam incarnatæ veritatis, imitãdo virtuosè doctrinam eius. Non enim, vt iam dixi, ſedere debetis, videlicet in re finita, ponendo veſtrum affectum, vt agunt aliqui ſtulti qui ſequuntur veterem hominem, videlicet Adam, facientes vt ille fecit, qui proiecit obedientiæ clauem in lutum immunditiæ, conterendo eam cum malleo ſuperbiæ. Inſuper & eam rubiginauit amore proprio mediante: niſi quòd ex quo venit vnigenitus filius meus, huiuſmodi clauem obedientiæ tenens in manu, purificauit eam in igne diuinæ charitatis, atque de luto traxit eam, & in ſanguine ſuo perfectiſſimè lauit, cum gladio ſiue malleo iuſtitiæ direxit eam, fabricando veſtras iniquitates in incude ſui ſacrati corporis: ipſe reparauit ita perfectè, quòd quotieſcunq́ quilibet homo clauem ſuam ex arbitrio libero deſtrueret, ipſe poteſt eodem arbitrio libero mediante cum gratia mea eiſdem inſtrumentis valdè benè reaptare. O miſer & excæcate homo, quia poſtquam obedientiæ clauem ita deſtruxiſti, etiam omittis illam iuxta poſſe reaptare. Nunquid exiſtimas, quòd inobedientia, quæ cœlũ obſeruauit Adæ illud tibi poſſit aperire? Putas ꝙ ſuperbia quæ ruit inde illũc poſſit aſcendere? Credis cũ turpi & lacerato veſtimento ad nuptias introire? Nunquid exiſtimas ſedendo atq́ ligando temetipſum vinculo peccati mortalis ambulare poſſe, vel abſq́ claui portam aperire? Non imagineris ita perficere poſſe, quia deceptus es in hac imaginatione? Oportet ergo te eſſe ſolutum. Egredere de peccato mortali, per contritionem

tionem cordis, oris humilem confeſsionem, atq; ſatisfactionem operis, cum propoſito vitam emendandi, & vltrà non offendendi, & iſto modo vilipendes, & exues & ad terram eijcies vituperabile veſtimentum, atq; cum veſte nuptiali curres velociſsimè portando cum lumine clauem obediētiæ in manu ad aperiendum ianuam: Liga, liga clauem iſtam cum funiculo vilitatis, in veritate contemnendo teipſum atq; mundum, & illam appræhēde ſancto deſiderio complacendi mihi creatori tuo, de qua tibi debes facere vnum cingulum, quo te fortiſsimè cingere debes, vt nunquam illam amittere valeas. Noueris amantiſsima filia, quòd aliqui ſumpſerunt clauem obedientiæ, quia clarè viderunt cum lumine fidei, quòd alio modo nequeunt euadere damnationem æternam, ſed eam in manu retinent abſq; tali cingulo, quo debent eſſe cincti, & abſq; funiculo prædicto videlicet quia perfectè non induunt huiuſmodi deſiderium complacendi mihi, ſed ſibimetipſis affectuoſiſsimè placent, & funiculum vilitatis ibi non appenderunt, videlicet optando reputari viles: immo potiùs optant habere laudes ab hominibus. Iſti ſatis apti ſunt ad amittendum clauem iſtam, dum aliquis eis moleſtus labor vel aliqua tribulatio mentaliter ſiue corporaliter occurrat: & niſi diligenter aduertant, faciliter eam ex toto perdere poſſent, ſi ſanctum deſiderium cum tempore negligerent. Dum tamen viuunt, eam inuenire poſſunt ſi velint: ſi verò velle non curant, nunquā eam inueniunt. Sed quis eis patefaciet, ꝙ eam amiſerint? Impatientia: qa patientia erat vnita cū obedientia. Dum ergo quis non eſt patiens, oſtenditur

aper-

apertè, quòd obedientia non eſt in anima. O quantum eſt dulcis atq; glorioſa virtus iſta, ſcilicet obedientia, in qua cæteræ virtutes exiſtunt, ex eo, quòd à charitate cõcepta fuit & exorta. In ea fundata eſt Petra ſanctiſsimæ fidei: ipſa eſt vna regina ditiſsima: nam ille cui deſponſata fuerit omnibus bonis abundat, & nunquam aliqua mala ſentit: immo quotidie pacem atq; quietem habet: vnde procelloſi maris inundationes minimè ei nocent ex quacunq; tempeſtate ſua. Medullum animæ non ſentit odium, tempore perceptæ iniuriæ, quia vult obedire. Nouit enim eſſe ſibi præceptum, vt indulgeat omnibus. Non habet aliquam amaritudinem, quãuis eius appetitus minimè repleatur, quoniam obedientia fecit eum ordinare, vt ſolummodo me deſideret, qui poſſum, & ſcio, & volo perficere ſua deſideria. Et expoliauit cum omni mundana lætitia, & ſic in omnibus inuenit pacificam quietem, quicunq; fuerit ille, qui reginam iſtam aſſumpſit in ſponſam, videlicet obedientiam, quam tibi poſui tanquam clauem. O dulcis obedientia, quæ ſine labore nauigas, & abſq; periculo peruenis ad portum veræ ſalutis. Tu habes conformitatem in omnibus cum verbo filio meo dilectiſsimo. Tu aſcendis in nauiculam ſanctiſsimæ crucis, omnia diſponis voluntariè ſuſtinere, ne prætereas obedientiam huius glorioſi verbi, vel à ſua doctrina deuies. Tu tibi facis ex illa menſam vnã, vbi cibum comedis animarum, in proximi charitate iugiter immorando. Tu es humilitate vera peruncta, & ideo bona proximi tui non appetis,

petis,

petis, extra voluntatem meam. Tu es vtiq; recta ſine curuitate quacunq;, quia facis cor eſſe ſimplex atq; rectum, & nullo modo fictum, liberè diligendo proximum, & non fictè, ſiue cum ſimulatione. Tu es velut aurora, quæ tecum adducis diuinæ gratiæ lumen. Tu es velut ſol, quia calefacis hominem qui tecum habitat, ex eo, quia nunquam es abſq; calore charitatis. Tu quotidie germinare facis terram, videlicet quòd inſtrumenta corporis & animæ producunt omnia fructum, qui vitam impendit in ſe pariter & in proximo ſuo. Tu es ex toto iucũda, quia tua facies in nullo turbatur ex impatientia, ſed eſt valdè grata cum dulci placabilitate patientiæ. Serena quidem es ex fortitudine; inſuper es in te magna cum longa perſeuerantia, & adeo longa ſiue magna, quòd occupas terram vſque ad cœlum, quia cum ipſa cœlum aperis. Tu es velut vna pretioſa margarita, ſed abſcondita, & à multis incognita, & à mundo conculcata, dum temetipſam vilipendis, & in omnibus vilem te facis, & exaltas tuas pias creaturas. Tanta quidem eſt illa dominatio tua, quòd nemo tui dominari poteſt, quoniam egreſſa eſt totaliter à ſeruitute mortali propriæ ſenſualitatis, quæ tibi tuam auferebat dignitatem, hoc inimico tuo perempto, cum odio atque diſplicentia tui atq; propriæ complacentiæ, tuam tenuiſti atque rehabuiſti dignitatem.

HIC

HIC LOQVITVR IN SIMVL DE miſeria inobedientium, & obedientium excellentia.

CAPVT. CLVI.

HÆc omnia chariſſima filia, mea bonitas agit, quæ gratioſè prouidit, quòd verbum, vnigenitus videlicet filius meus, clauem iſtam obedientiæ ſaluberrimæ repararet, ut iam dixi. Homines mundani omni virtute nudati faciunt oppoſitũ. Ipſi ſunt velut animalia bruta, ſine freno, quia carent obedientiæ freno, & ita currentes vadunt de malo in peius, de peccato in peccatum, de miſeria in miſeriam, de tenebris in tenebras, de morte in mortem, donec adducantur ad foueam extremitatis vltimæ mortis; cum verme conſcientiæ, qui ſemper eos conſumendo rodit: & quamuis adhuc ipſi poſſint obedientiam reſumere, volendo videlicet obedire præceptis in lege ſcriptis, habentes tempus amaro corde dolentes, ex eo, quòd inobedientes extiterunt, tamen eſt valdè difficile propter longam peccandi conſuetudinem: & ideo nullus ita differendo confidat, quia valdè periculoſum eſt huiuſmodi clauem obedientiæ velle tempore mortis aſſumere in tãta extremitate, licet poſſit, immo debeat in me quotidie ſperare, donec eſt in vita præſenti, tamẽ vt dixi, diſcriminoſum eſt, vnicuiq; differre vitã inordinatã emendare, exſpectando tempus quod non habet: nec eſt in poteſtate ſua, & perdendo tempus ei gratioſè conceſſum. Sed quid eſt in cauſa huius detrimenti & huiuſmodi cæcitatis eorũ; ſcilicet quòd nõ cognoſcũt huiuſmodi theſaurum?

ſaurū? Procul dubio nubes proprij amoris cum miſerabili ſuperbia, quia diſceſſerūt ab obediētia, & ad inobediētiā inciderunt: & quia non ſunt obedientes, ideo neq; ſunt patientes, vt eſt ſuprà dictum: & in ſua impatientia pœnam habent intolerabilem, vnde ſunt à via veritatis abſtracti, & per viam falſitatis atq; mendacij deducti, ſerui & amici Dæmonum effecti: & niſi ſe correxerint, vnà cum dominis ſuis videlicet Dæmonibus, quorum dominium acceptare voluerunt, cum hac inobedientia ſua feſtinant ad æternum ſupplicium, prout econuersò dilecti filij legis obſeruatores, & obedientes exultant, & ineffabili modo gaudent in æterna viſione mea, cum humili & immaculato agno factore, ſeruatore, atq; donatore legis: quòd eam in vita præſenti ſeruando guſtauerunt pacem, & in vita beata recipiunt, & induūt pacem perfectiſſimo modo, vbi eſt pax vera abſq; turbatione quacunq;, & omne bonum abſq; malo, ſine moleſtia cuiuſcunq; rei, certa ſecuritas abſque timore, infinitæ diuitiæ ſine paupertate, ſatietas abſq; faſtidio, fames abſq; pœna, lux abſq; tenebris, vnum ſummum et infinitum bonum, & nullo modo finitum: quod vtiq; bonum eſt in veritate participatum in omnibus veris guſtationibus: quis hominem in tanto ſummo gaudio collocauit? Sanguis agni, in cuius virtute clauis obedientiæ fuit à rubigine purgata, vt cum illa poſſitis ianuam aperire. Indubitanter igitur obedientia virtute ſanguinis ipſam ianuam aperuit. O ſtulti & inſenſati, non differatis vlteriùs egredi de luto peccatorum & immunditiarum, quia videtur vos valdè iucundari, facere velut porcus

in

in fœtẽti luto ſe circũuoluens: et ita facitis et vos in luto carnalitatis. Ergo relinquatis iniuſtitias, odiũ, homicidia, rãcores, detractiones, murmuratiões, iudicia temeraria, crudelitates erga proximũ, furta, mendacia, proditiones, et inordinatas cõplacentias diuitiarũ vitæ p̃ſentis. Præcidite cornua ſuperbiæ. Si.n. illa præcidetis, extinguetis odium quod in corde tenetis aduerſus illum qui vobis infert iniuriam. Metimini diligenter iniurias quas irrogatis mihi & veſtro proximo, cum illis quæ fiunt vobis, & inuenietis in comparatione veſtrarum iniuriarum quibus offenditis me pariter & proximum veſtrum, quòd iniuriæ factæ vobis veluti nihil apparebunt. Vos apertè videre poteſtis & agnoſcere, quia dum eſtis in odio cum proximo veſtro, vos mihi facitis iniuriam, ex eo, quia tranſgredimini & contemnitis apertè præceptum meum: & inſuper offenditis illum, vos affectu charitatis exuentes atq; priuantes. Iam enim habuiſtis in mandatis, vt me ſuper omnia diligatis, & proximum velut voſmetipſos, vbi non fuit addita gloſſa ſiue poſtilla, dicens: Niſi tibi fecerit iniuriam: immo fuit à mea veritate dictum abſolutè, quæ perfectiſſimè prius in ſemetipſa ſeruauit, & ita ſimpliciter & purè vos quoque ſeruare debetis. Si verò non ſeruatis, vobiſmetipſis & animæ veſtræ infertis detrimentum, vita gratiæ priuantes illam. Sumatis ergo. Sumatis obedientiæ clauem cum lumine fidei, nec ambuletis vltrà cum cæcitate tali, neq; cum huiuſmodi frigida tepiditate, immo cum feruore charitatis hanc obedien-

tiam in corde teneatis & opere, vt vnâ cum obſeruationibus legis, in fine gaudeatis æterna fœlicitate.

DE HIS, QVI TANTVM AMANT obedientiam, quòd non ſunt contenti de generali obedientia mandatorum; immo ſumunt aliam obedientiam particularem.

CAPVT. CLVII.

Filia chariſſima, noueris eſſe quoſdam, in quibus taliter excreſcit amor verſus hanc obedientiam amabilem, ꝙ nolunt eſſe contenti ſub obedientia generali preceptorum legis, quibus omnes eſtis obligati, ſi vultis habere vitam, aliâs in mortem incideretis æternam: vnde ſequendo perfectionem aſſumunt obedientiam ſingularem atq; perfectam, videlicet obſeruando præcepta atq; conſilia, mentaliter & actualiter. Non enim eſt ignis amoris abſq; propriæ ſenſualitatis odio. Igitur igne creſcente tali, pariter & odium augmentatur. Iſti ergo propter odium ſui ad occidendam omnino voluntatem propriam, ligare ſe volunt arctius, videlicet ſub iugo ſanctæ religionis, vel ipſi ſe ligant extra religionem ad obedientiam alicuius creaturæ ſuam voluntatē ei ſubmittendo, vt expeditius ambulare poſſint ad adaperiendam ianuam æternæ vitæ tali claue. Iſti ſunt illi, de quibus tibi dixi, quòd eligebant obediētiam perfectiſſimam. Dixi tibi de obedientia generali. Sed quoniam noui tuæ voluntatis eſſe, quòd ego loquar de hac obediētia perfectiſ-

fectiſſima particulariter, ideo tibi narrare diſpono de ipſa, vt tuo deſiderio ſatisfaciam, quæ tamẽ illam primam nullo modo derelinquit, ſed eſt perfectior: quia iam dixi, quòd erant vnitæ taliter, quòd ab inuicem ſeparari nequeunt. Supra tibi dixi, vnde proceſſit, & vbi reperitur obedientia generalis: & quid eſt illud quod vobis auffert illam: nunc verò de particulari tibi dicam, non extrahendo te ab iſto principio.

PER QVEM MODVM PERVENItur ab obedientia generali, ad particularem.

CAPVT. CLVIII.

Anima quæ cum amore ſyncero iugum obedientiæ ſumpſit præceptorum, imitando meæ veritatis incarnatæ doctrinam, vt eſt dictum, virtuosè ſemetipſam exercendo in hac obedientia generali, venit ad ſecundam obedientiam cum eodem lumine, cum quo venit ad primam. Quia cum lumine ſanctiſſimæ fidei cognouit in ſanguine humilis agni meam voluntatem, & amorem ineffabilem quem ei gero, & fragilitatem propriam, quæ mihi nullo modo reſpondet cum ea perfectione qua deberet: & exquirit iſto lumine mediante, qualiter, & quomodo poſſit ampliùs propriam fragilitatem conculcare, atque ſuam occidere voluntatem, & mihi cum ampliori perfectione reddere debitum. Ergo perquirendo reperit cum lumine fidei locum ſanctæ religionis, quæ procul dubio fundata fuit à Spiritu ſancto, poſita veluti ſecura nauicula, ꝓ recipiendis animab.

quæ currere volunt ad huiuſmodi perfectionem, vt eas tutiſſimè perducat ad portũ æternæ ſalutis. Huius nauiculæ patronus verè Spiritus ſanctus eſt, qui nunquam in ſe deficit ex defectu cuiuſcunque ſubditi religioſi, qui tranſgreſſor eſſet ipſius ordinis. Vnde nauiculam iſtam procul dubio non offendit, immo ſemetipſum. Et eſt verum, quòd ex defectu tenentis gubernaculum aliquando nauicula procedit fluctuando. Et iſti miſerabiles & praui paſtores, illi ſunt qui clauum huius nauiculæ rectè dirigere deberent, à potrono propter hunc reſpectum ibi collocati, quæ nauicula tantæ delectationis eſt in ſemetipſa, quod ligua tua narrare nequiret. Dico quòd hæc anima, poſtquam augmentauerit in ſe ignem amoris, atq; ſancti deſiderij cum odio ſancto ſui, reperto loco congruo, cum fidei ſancto lumine mortua ingreditur, ſi tamen eſt veraciter obediens, videlicet ſi perfectè ſeruauit obedientiam generalem. Et quamuis ingrederetur imperfectam, poterit ad perfectionem poſtea peruenire, immo congruè perueniet in quantum virtutem obedientiæ voluerit in ſe exercere: immo pro maiori parte in principio religionem ingredientes imperfecti ſunt. Quidam enim ingrediuntur cum perfectione, quidam ex leuitate puerili, aliqui timore, aliqui propter pœnam, aliqui propter blanditias inducti. Totum verò conſiſtit, quòd virtuosè poſtea in exercitio quod ſumpſerunt perſeuerunt vſq; in finem. Ex ingreſſu nanq; primo ſolummodo nullum iudicium habere ſiue dari poteſt is, ſed ſolùm in perſeuerantia virtuoſa:

quia

quia plurimi perfecti videbantur in ſuo ingreſſu qui poſtea miſerabiliter apoſtatauerunt: vel in ordine ſteterunt cum imperfectione multa. Itaque modus & actus, cum quibus homines ingrediuntur in nauiculam, quos ordinaui, diuerſis modis eos vocando, iudicari non valent: ſed ſolùm affectus eorum, qui perſeuerant intùs cum obedientia vera. Iſta nauicula diues eſt; quia non expedit alicubi ſubdito cogitare de ſuis neceſſariis, neque ſpiritualiter neque temporaliter, quia ſi eſt verus obediens, benè ſibi prouidebitur à patrono nauiculæ, videlicet à Spiritu ſancto. Nôſti me tibi dixiſſe, quando narraui de prouidentia mea, quòd ſerui mei, licet eſſent pauperes, nũquam tamen erant mendici, quia quotidie ſatisfiebat ipſorum indigentiæ. Hoc frequenter experiuntur illi, qui benè ſeruant ordinem ſuum: vnde potes apertè cognoſcere, quòd quando regebantur, atque benè ſeruabantur ordines in flore virtutum, in vera paupertate, & cum charitate fraterna, nunquam tamen eis defuit in aliqua neceſſitate iſta ſubſtantia temporalis. Poſtquam verò fœtor amoris proprij intrauit, viuẽdo ſingulariter, & obedientia ſancta deficiente, etiam defuit eis iſta temporalis ſubſtantia. Et quantò poſſident illam in abundantia maiori, ſe reperiunt in maiori neceſſitate atque paupertate. Valdè congruum eſt quod vſq; ad minima probent, & videant quẽ fructum habent ex inobedientia. Nam ſi eſſent obedientes, & ſeruarent votum paupertatis, non tenerent aliquam proprietatem, neque ſingularem vitam agerent.

rent. In hac itaq; dulci nauicula reperiuntur ampla diuitiæ ſanctarum ordinationum editarum ab his, qui erant veluti templum ſancti Spiritus, cum magno lumine pariter & ordine. Conſidera Benedictum, quã ordinatè diſpoſuit nauiculã ſuam. Attẽde Franciſcũ, quanta perfectione ac odore paupertatis cũ margaritis aliarum virtutũ ordinauit nauiculam ſui ordinis, illam dirigẽdo per viam altæ perfectionis: ipſe primus fuit in ipſa nauicula obſeruans, atq; ſequacibus ſuis exhibuit in ſponſam verã ſanctamq; paupertatẽ, quam ipſe primus in ordine ſuo aſſumpſerat, in ſe amplexando vilitatẽ, atq; ſui contemptũ: nec optabat alicui creaturæ complacere præter voluntatẽ meã: immo deſiderabat à mundo realiter vilipendi, macerãdo corpus proprium, & voluntatem occidens: & indui gloriabatur vituperoſis opprobriis atq; pœnis, amore humilis agni, cum quo eleuatus erat et affixus in cruce, in tantũ q; pro ſingulari gratia fuerunt etiã in corpore ſuo meæ veritatis incarnatæ vulnera conceſſa: ita quod in vaſe corporis apertè demonſtrabatur, quid erat in affectu cordis & animæ ſuæ. Itaque cæteris viam fecit verbo & exemplo. Sed fortè mihi dices, nonne religiones aliæ fundatæ ſunt modo conſimili? Reſpondeo quod ſic, tamen in qualibet religione non eſt ita principale, dato quòd omnes Spiritu ſancto in hoc fundatæ ſint: accidit enim vt in virtutibus, omnes virtutes à charitate habent, nihilominus alicui vna virtus eſt ꝓpria & alteri eſt alia propria: tamen oẽs in charitate conſiſtunt. Ita contingit iſtis.

Fran-

Franciſco pauperculo ꝓpria fuit paupertas, faciendo principium in ſua nauicula per amoris affectum, in ipſa paupertate, cum ordine valdè ſtricto progente perfecta, & non cõmuni, pro paucis & bonis: paucos dico, quia non ſunt valdè multi qui perfectionem iſtam eligant & attingant: ipſi verò propter defectus ſuos multiplicati ſunt in numero, & in virtute defecerunt, & imminuti ſunt non ex defectu nauiculæ, ſed propter in obedientes ſubditos, atq; gubernatores inordinatos. Si aũt attẽdas ad nauiculã tui patris Dominici dilecti filij mei, ordinauit nauiculã ſuã ordine perfecto, vt videlicet attẽderet ſolùm ad honorẽ meum, atq; ſalutẽ animarũ cum lumine ſcientiæ. Super iſto lumine principium eius ordinare voluit, non tamen priuari voluit volũtaria paupertate vera: Immo iugiter habebat eã: & in ſignũ apertũ ꝙ ipſam habebat, et oppoſitũ ei diſplicebat, ipſe delegauit in Teſtamento ſuo pro hæreditate filiis atq; ſucceſſoribus ſuis maledictionẽ ſuam & meã, ſi poſſideant aliquã poſſeſſionẽ in ſingulari vel cõmuni, in ſignum ꝙ elegerat in ſponſam iſtã reginam egregiam, videlicet paupertatẽ voluntariã, tamen pro principaliori obiecto ſcientiæ lumen aſſumpſit ad extirpandũ errores & hæreſes illo tempore pullulantes. Itaq; ſumpſit officiũ vnigeniti filij mei. Et directè videbatur quidam Apoſtolus in mundo, cũ tanto lumine veritatis, & verbum meum ibi ſeminabat expellendo tenebras, & infundendo lucẽ: ipſe fuit lumen, ꝙ ego mundo gratioſè conceſſi, mediãte glorioſã Maria; Quare dixi mediãte Maria?

Quia Maria illi dedit habitum; licet à bonitate mea fuerit hoc officium ipſi Mariæ commiſſum. Super qua menſa manducare facit filios ſuos, cum lumine ſcientiæ? Procul dubio ſuper menſa ſanctæ crucis, ſuper qua cruce poſita eſt menſa ſancti deſiderij, vbi comeditur cibus animarum ad honorem meum. Ipſe non vult ad alia filios ſuos attendere, niſi quòd in tali menſa cum lumine ſcientiæ ſolummodo perquirant honorem meum, & animarum ſalutem. Et ne ad alia attendant, aufert ab eis huiuſmodi curam rerum temporalium, ideo vult eos eſſe pauperes. Hoc indubitanter eſt apertiſſimè ſignum quod in fide nullo modo deficiebat, dubitando ne prouideretur eis. Non dubitabat, quia fidem formatam induerat, & cum ſpe firma ſperabat in prouidentia mea. Vult inſuper vt obedientiam obſeruent, ad quam obſeruandam ipſi venerunt & electi ſunt. Et quoniam immunda vita lumen intellectus offuſcat, & etiam ab iſto fœtenti vitio luxuriæ corporalis, viſus impeditur & offuſcatur, remedium apponit, vt in eis huiuſmodi lumen nullatenus impediatur, & ita perfectius acquirere valeant ſcientiæ lumen. Ideo tertium votum continentiæ ſubiungit. Ab omnibus enim vult obſeruari cum vera & perfecta obedientia. Quanuis hodierna die malè ſeruatur, ac etiam ſcientiæ lucem peruertunt in tenebras, illam inficiendo cum ſuperbiæ tenebris. Non quòd in ſe lux iſta tenebras habeat, immo ſolùm animabus ſuis ex inordinato affectu ſuo tenebras irrogant. Vbi ſuperbia regnat, obedientia

tia

tia non habitat, iam enim tibi dixi, quòd homo erat tantum obediens quantum erat humilis, & tantum humilis quantum obediens: ille verò qui tranſgreditur obedientiæ votum, rarò ſeruat votum odoriferæ continentiæ mentaliter actualiterq; tranſgrediendo. Itaque Dominicus iſte, Pater tuus inclitus nauiculam ſuam ordinauit, atque cum his tribus funiculis alligat, videlicet cum obedientia, continentia, & vera paupertate. Ipſe valdè realiter ordinauit, atque diſcretione præcipua. Non enim aſtrinxit animas filiorum ad culpam peccati mortalis, illuminatus à me vero lumine prouidè diſponando pro illis, qui minùs perfecti forent. Quia licet omnes obſeruantes ordinem, in ſtatu perfectionis exiſtant, nihilominus etiam in vita præſenti vnus altero perfectior eſt: itaq; perfecti benè ſtare poſſunt in iſta nauicula, ipſe realiter adhæſit incarnatæ veritati meæ ipſius veſtigia virtuosè ſequēdo, demōſtrando nolle mortē alicuius peccatoris, immo potiùs vt conuertatur & viuat. Eſt itaq; laudabili modo larga totaq; iucunda per totum, & in omnibus odorifera: eſt enim vnum viridariū optabile in ſe. Tamen aliqui miſeri non obſeruatores, immo tranſgreſſores ordinis, quantum in eis eſt, totum fecerunt eſſe ſylueſtre, cum modico virtutis odore, priuati lumine ſcientiæ: vnde viridarium hoc in ſe delectabile ſatis eſt inquinatum atque maculatum ab huiuſmodi tranſgreſſionibus: ſed in principio non ita fuit, erat enim valdè floridum: ibi nanq; degebant viri magnæ perfectionis, quorum quilibet per modum

loquendi videbatur Apoſtolus Paulus, cū tanto lumine, q̄ eorū oculi nullatenus impediebantur à quibuſcunq; tenebroſis erroribus, quin illicò ſoluerentur et illuminarentur. Aſpice glorioſum Thomam, qui cum oculo clariſſimo nobilis intellectus ſui in mea veritate ſpeculabatur, vbi lumē ſupernaturale atq; ſcientiā infuſam ex gratia cōquiſiuit et habere ꝓmeruit. Quā ſcientiā obtinuit potius ꝑ aſſiduitatē deuotæ orationis quā ex humano ſtudio: ipſe fuit vna lux ardētiſſima, quæ nō ſolùm in ordine ſuo reſplenduit, verùm etiam in corpore myſtico militantis Eccleſiæ tenebras hæreſum ac errorū extinxit. Et aſpice Petrum, Virginē & Martyrem, qui cū ſanguine ſuo dedit in tenebris multarum hæreſum lumen valdè fulgidum, quas habuit odio taliter, quòd omnino diſpoſuit ex hoc exponere vitā. Dum verò dixit, habebat hæc exercitia, videlicet orare, prædicare ſiue diſputare contra perfidos hæreticos, audiendo confeſſiones, annunciando veritatē, atque quotidie dilatando fidem abſque timore quocunque. Neque ſolùm in vita ſuæ fideliſſimè confitebatur, & iuxta poſſe defendebat illam, verùm etiam in extremitate ſuæ mortis. Quia poſt vulnus illud in capite receptum, cùm vocem amiſiſſet & atramento careret, in ſanguine proprio digitum immerſit. Et quia glorioſus Martyr iſte etiā papyro carebat, inclinando ſe, ſcripſit in terra ſymbolū in quo fides Catholica plenè cōtinetur. Cor eius ardebat in fornace meæ charitatis: ideo retrocedere noluit, quāuis ego ſibi reuelâſſem occidendum eſſe. Sed ipſe veluti miles intrepidus,

pidus, & abſque timore ſeruili, ſponte voluit in campum belli procedere, vbi glorioſam obtinuit victoriam. De quàm pluribus etiã aliis enarrare tibi poſſem, qui licet actuale in corpore Martyrium nõ haberent, tamen in ſancto deſiderio iugiter habebant atq; portabãt: prout etiam inclitus tuus pater Dominicus habuit. Ecce quales laboratores iſte paterfamilias in vineam ſuam tranſmiſit, eradicando vitia, virtutes verò plantando. Verè Dominicus, & Franciſcus erant duæ columnæ in Eccleſia militanti. Franciſcus cum paupertate voluntaria quæ ſibi propria fuit. Dominicus verò cum ſcientia, prout eſt dictum.

DE OBEDIENTIVM EXCELLENtia: Et de miſeria inobedientium in religione conſiſtentium.

CAPVT. CLIX.

P*Oſtquàm ego tibi dixi de locis, videlicet de nauiculis iſtis, à Spiritu ſancto taliter ordinatis per huiuſmodi patronos, licet ipſe Spiritus ſanctus principaliter patronus exiſtat: & oſtendi tibi aliquam partem de ipſorum virtuoſa perfectione. Nunc volo tibi loqui de obedientia, et inobedientia eorũ, qui ſunt in huiuſmodi nauiculis, loquendo generaliter, & nõ in particulari, magis de vno ordine quàm de alio, demonſtrando ſimul inobedientis defectum, vnà cum obedientis virtuoſo profectu: vt apertiùs agnoſcas vnum propter alium, quia contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Et qualiter ambulare debet*

debet ille, qui ingredi vult nauiculam approbatæ religionis. Notandum eſt ergo, quòd ille qui vult ordinem aliquem ſanctum ingredi, debet incedere cum lumine ſanctiſſimæ fidei, cum quo lumine cognoſcat, quod eum oportet occidere propriam voluntatem gladio, videlicet odij cuiuſcunq; ſenſitiuæ paſſionis, in ſponſam illam aſſumendo, quam ei aſſignabit charitas vera atq; ſororem ſuam. Sponſam intelligo, obedientiam veram atq; promptam cum ſorore ſua videlicet placentia, atq; nutrice quæ eſt humilitas: quia ſi non haberet iuxta ſe nutricem iſtam, obedientia procul dubio fame deperiret. Quoniam in anima vbi nō eſt virtus humilitatis, obedientia ſubitò moritur. Humilitas verò ſola non ambulat, immo ſecum debet habere omni tempore ſeruā vilitatis, ſemetipſam pariter & omnia mundana condemnendo. Nam anima quæ ſe vilipendit, non appetit honores, immo dedecus atq; contumelias. Et ita mortua debet ire lætanter ad nauiculam approbatæ religionis, cum eſt in ætate congrua. Sed quia dixi tibi, q; diuerſis ætatibus, & variis modis vocabam homines ad religionem ſanctam, in quocunq; modo quiſq; vocatur ad religionem, ipſe debet acquirere, necnon in ſe conſeruare perfectionem iſtam, & cum ſancta alacritate feſtinanter aſſumere clauem iſtius obedientiæ religionis, quæ clauis aperit per modum loquendi portellum, quod eſt in porta cœli. Sicut magna porta ſolet habere portellum paruum, ſimili modo tales aperire diſpoſuerūt huiuſmodi portellum omiſſa claui maiori, videlicet obedientiæ generalis,

ralis, qua cœlum aperitur à vulgo ſeculari. Sed ipſi deſiderant parua claui portellum huius portæ magnæ fœliciter aperire, tranſeundo per viam arduam & arctam. Tamen à ianua magna non ſeparatur, immo ſtat in ipſa porta, ſicut materialiter attendere potes, clauem iſtam cum diligentia retinere debent, & in ſe conſeruare poſtquam acceperũt eam, & non ab ſe abiicere. Et quia veri obedientes apertè viderunt cum lumine fidei, ꝙ cum onere diuitiarum, & cum grauedine propriæ voluntatis per arctum huiuſmodi portellum intrare nequeunt abſq; periculoſo labore: nec incedere poſſunt eleuato capite, quin offendant, quia velint nolint oportet inclinare ceruicem: ideo proiiciunt à ſe põdus huiuſmodi diuitiarum atq; propriæ voluntatis, votum obſeruando veræ paupertatis voluntariè. Nihil omnino poſſidere volunt, quia cum lumine fidei vident in quantam ruinam inde venirent. Et ꝙ ipſi tranſgrederentur obedientiam, ex eo, quia nõ ſeruarent votum promiſſum veræ paupertatis. Et ipſi deuenirent ex hoc in ſuperbiam, eleuatum caput habentes ex voluntate propria. Et ꝙ cùm aliquando compellantur obedire, ceruicem inclinarent violenter & inuiti, non ex humilitate, quæ violentia caput infringit voluntatis propriæ, complectens obedientiam illam cum Prælati diſplicentia pariter et ordinis. Poſt hoc aũt facilimè ruerent in aliam tranſgreſſionem, videlicet incontinentiæ. Quoniam ille qui non ordinauit appeditum, nec eſt exutus temporali ſubſtantia, multas cõuerſationes aſſumit, inueniendo

multos

multos amicos eum amãtes ex vtilitate propria. Poſtmodum ab aliis communibus conuerſationibus proceditur ad ſecretas familiaritates. Corpus eorum in deliciis nutriunt, quia non habent humilitatem in nutricem, neq; ſororẽ ſuam vilitatẽ, ideo morantur in ſui damnabili concupiſcentia cũ magna commoditate corporali, non tanquam veri religioſi, immo veluti diſſoluti Domini ſeculares, alienauerunt à ſe vigiliam & orationem. Hæc & multa alia faciunt tales: quoniam habent ad expendendum, nam ſi non haberent, eis minimè contingerent talia; & incidunt in immunditiam corporaliter vel mentaliter. Et ſi quandoq; ſe propter verecundiam abſtinent, vel quia carent opportunitate, non abſtinent à mala voluntate: quia quodãmodò videtur impoſſibile, quòd ille qui multas habet conuerſationes, & in deliciis viuere delectatur, & inordinatè cibaria ſumit, abſq; vigilia & oratione, mentem in ſe valeat conſeruare puram. Et ideo perfectus obediens videt à remotis, cum lumine ſanctiſſimæ fidei, malum atq; detrimentum quod eueniret ei poſſidendo ſubſtantiam temporalem, & eundo cum pondere propriæ voluntatis. Et attentè cõſiderat, quòd eum tranſire omnino oportet per arctum huiuſmodi portellum, & q; tranſiret inde cũ morte & non cum vita: quia non aperuiſſet illud claui obediẽtiæ: nam tibi dixi, quòd eum omnino oportet tranſire. Et ſic eſt, q; niſi fortè diſcedat ab ordine ſancto, velit vel nolit, oportebit eum tranſire per arctam viã obedientiæ ſui Prælati. Et quia perfectus obediẽs Deo & ordini ſuo, ſe leuat vltrà ſe, propriam ſenſualitatẽ

ſub-

ſubiugando, atq; ſuper ſenſus proprios erigendo ſemetipſum cum fide viua, introduxit odium in domum animæ ſuæ veluti ſeruũ, vt expellat inimicum, videlicet amorẽ propriũ, ex eo, quia nullo modo vult, vt amantiſſima ſponſa ſua, quã illi vera charitas aſſignauit, et cũ lumine fidei deſponſauit, videlicet obediẽtia, quomodolibet offendatur. Et ideo cum ſancto rigore ſuum inimicum expellit inde atq; introducit ibi ſociam, et nutricem ipſius amantiſſimæ ſpõſæ ſuæ. Odium expulit inimicum, amor autem obedientiæ introducit amatores prædictæ ſponſæ ſuæ, videlicet virtutes veras atq; reales, vnâ cum ordinis obſeruantia laudabili. Vnde iſta ſponſa dulcis ingreditur ad animam cum ſorore ſua, videlicet cum patientia, vnâ cum ſua nutrice, quæ quidem eſt humilitas aſſociata cum vilitate atq; diſplicentia ſui. Igitur ex quo intrauit in pacifica quiete poſſidet omnia, quoniam inimicos ſuos expulit extrà. Moratur iugiter in viridario veræ continentiæ, cum ſole luminis intellectus, vbi eſt pupilla fidei, habens in obiectum veritatẽ incarnatam, quia ſolummodo veritatem habet in obiectum. Ibi eſt ignis affectuoſæ charitatis, qui calefacit oẽs amicos, et ſocios ſuos, ex eo, quod obſeruat ordinis obſeruantiam, & obedientiam cum amore ſuccenſo. Qui ſunt inimici qui ſtant extrà? Principalis inimicus eſt amor proprius, qui producit in animã ſuperbiam, inimicus charitatis & humilitatis: impatientia quæ patientiæ contrariatur: inobedientia contrariatur obedientiæ: infidelitas aduerſatur fidei: præſumptio cum vana ſpe ſuarũ

virium

virium minimè concordat, cū vera ſpe, quā anima debet in me ponere & habere: iniuſtitia nō habet cū ſancta iuſtitia conformitatē: nec imprudentia cū ſalubri prudentia: nec intemperantia, cū tēperantia: neq; tranſgreßio mandatorū ordinis cum eorundē obſeruantia: neq; malæ conuerſationes huiuſmodi ſceleratorū cū conuerſatione bonorum: immo ſunt inimici: & faciunt derelinquere mores ordinis cū obſeruātia ſalubri. Omnes iſti ſunt inimici crudeles eius, & iracundia militat apertè contrà beneuolētiam, crudelitas contrà pietatē, ira contrà benignitatem, odium virtutum contrà dilectionem ipſarum, immunditia contrà puritatem, negligentia contrà ſollicitudinem, ignorantia contrà ſcientiam & agnitionem, ſomnolentia contrà vigiliam & orationem continuam. Et quia cum lumine fidei cognouit, quòd omnes iſti erant inimici qui contaminare ſponſam hanc videlicet obedientiam exoptabant, ideo miſit odium vt eos expelleret, & amorem vt amicos induceret. Odium ergo gladio ſuo propriā atq; peruerſam voluntatē interimit, quæ voluntas ab amore proprio nutritam vitam impendebat inimicis iſtis obedientiæ. Sed amputato capite inimico principali, per quem alij conſeruabantur et iuuabātur, anima libera remanet, & in pace ſine bello: quia non habet contrà ſe dimicantem: quoniam anima remouit, & abſtulit à ſe quicquid ei triſtitiam & amaritudinē ingerebat. Quā itaq; moleſtiā habet verus obediens? Nunqd habet ab iniuria? Nō, ex eo, quia patiens eſt, patientia nanq; eſt ſoror obedientiæ. Nunquid ab oneribus ordinis moleſtatur in corde? Non ex eo, quia obedientia voluntariè

facit

ſacit ea ſeruare. Nunquid obedientia grauis ſui Prælati præbet ei pœnam moleſtam & inordinatam? Non: quia conculcauit & abnegauit voluntatem propriam, nec optat inueſtigare voluntatem Prælati ſui, nec illam iudicare, ſed cùm lumine fidei iudicat voluntatē meā, imo credens in veritate, quòd clemētia ſancti Spiritus ordinauit ipſum præcipere ſiue nō præcipere: prout eſt opportunum pro ſua ſalute. Nunquid aliquando nauſeam ſiue diſplicentiam habet, ordinis exercitia vilia facere, ſiue tolerando contumelias, iniurias, vel improperia ſibi facta, vel dicta, ſine quando vilipenditur ab aliquo? Non, ex eo, quia concepit amorem ad vilitatem, atq; diſplicentiam ad ſemetipſum cùm odio perfectiſsimo, immo cum ſancta patientia lætatur & exultat in iucundo gaudio cum ſua ſponſa, videlicet obedientia peramabili. Ipſe de nullo triſtatur vnquam. Niſi ſolummodo de offenſa, quam videt irrogari mihi creatori ſuo. Conuerſatio ſua eſt cum illis qui me timent, & amant in veritate. Et ſi quandoq; conuerſatur cum his qui ſeparati ſunt à voluntate mea, non facit, vt conformitatem velit habere cum defectibus eorum, immo ſolùm vt eos à ſuis defectibus extrahat. Quia cum charitate fraterna bonum, quod eſt in ſe porrigere vellet omnibus, attendendo quòd maior honor & gloria mihi reſultaret in plurimis ordinē obſeruantibus, quā in eo ſolūmodo. Et ideo conatur vocare ſeculares atq; religioſos, uerbo, exemplo, & oratione, ſiue quocunq; modo potuerit ad viam æternæ ſalutis iuxta poſſe, ſatagens eos extrahere de tenebris peccatorum. Itaque conuerſationes veri obedientis, vtiq; bonæ ſunt &

m perfe-

perfecta, ſiue ſint cum bonis & iuſtis, vel cum iniuſtis & peccatoribus, ex ordinato affectu, & eius amplitudine charitatis, de cella ſibi facit cœlum, vbi quotidie delectatur loqui mecum, & etiam virtuosè conuerſari cũ amoris affectu, fugiens otium cum humili oratione continua. Quando verò cogitationes ex illuſione diabolica ſibi ſuper abundant in cella, minimè ſe ponit ad ſedendum in lecto negligentiæ, vacans in otio, nec inueſtigare ſatagit ex ratione cogitationes occurrentes vel otioſa iudicia: immo ſollicitè fugit otium, leuando ſuper ſe cum odio ſuper carnalem ſenſum, cum humilitate vera & patientia, tolerando labores, quos in ſua mente ſentit: & cum vigilia & oratione continua reſiſtit, vigilante ſui intellectus oculo in me, prudenter attendendo cum lumine fidei quòd ſum eius adiutor, & ꝙ ego poſſum, ſcio, & volo in omnibus ei ſubuenire: & ideo brachia meæ bonitatis aperio, vt ipſe ſollicitè fugiat à ſemetipſo recurrens ad me. Si verò ſibi videtur, quod oratio mentalis ex magno labore atq; tenebroſa mente, ſibi deficiat, vocalem aſſumere debet, vel aliud exercitium corporale, vt oratione vocali corporaliq; exercitio fugiat otium, & cum lumine reſpiciat in me, qui cuncta illi charitate paterna concedo: vnde per veram humilitatem ſe reputabit indignum, habere quietem atq; pacem in mente, ſicut alij ſerui mei, & dignum habere pœnas, quia in mente ſua iam ſeipſum vilipendit, cum odio ſancto & improperio ſui. Tali non videtur quòd ſe poßit ſatiare in tolerando pœnas: neq; tamen ex iſto deficit in ſpe prouidentiæ meæ, ſed cum viua fidę ac obedientiæ claui tranſit in

ſit in præſenti mari procelloſo, in nauicula ſanctæ religionis. Et ita cellam inhabitat valdè fructuosè fugiens otium, vt dixi. Obediens vult eſſe primus qui chorum ingrediatur, & vltimus egrediens. Et quando videt aliquem ex fratribus, eſſe magis obedientem atque ſollicitum quàm ipſe ſit, habet ex hoc ſanctam inuidiam & æmulationem: & ideo conatur virtutem illam auferre illi, non tamen exoptans quod in illo minuatur, quia ſi hoc optaret, procul dubio videretur eſſe priuatus charitate fraterna. Obediens niſi neceſſitate cogente nunquam refectorium deſerit, immo quotidie viſitat illud: valdè namq; delectatur in mēſa ſtare cum pauperculis. Et in ſignum quòd ipſe taliter delectabatur, vt vitaret occaſiones relinquendi refectorium ipſum, abſtulit à ſe ſubſtantiam temporalem, obſeruando veræ paupertatis votum: & cum tanta perfectione, quòd etiam corporalem indigentiam cum quodam imperio ſibi conſeruat: cella ſua reperitur plena odore paupertatis, & minimè panis. Neq; cogitando laborat pro cuſtodia, ne fortè latrones ei furentur: vel quòd aliquæ tineæ pannos eius deuorent ſiue corrumpant. Et ſi quid ei donatum extiterit minimè laborat ad recondendum, ex eo, quia liberè communicat omnia cum fratribus, non excogitando pro die craſtina, ſed in die præſenti ſolùmmodò ſibi cibaria recipit, ſolū cogitando de regno cœlorum, et quomodo verā obedientiam valeat in ſe perfectè ſeruare: et quia per viam humilitatis obſeruatur ampliùs, ipſe ſe ſubijcit ita paruo ſicut & magno, & ita pauperi ſicut & diuiti: omniū ſe ſeruū exiſtimat, nullum aliquando recuſan-

do laborem, vt omnibus charitatiuè ſeruiat. Verus obediens non optat obedientiam perficere ſuo modo, neq; tēpus eligere, neq; locum, ſed iuxta modum ordinis atque Prælati ſui: & omnia facit abſq; pœna ſiue tædio mentis. Perfectus & verus obediens pertranſit cum iſta dulci claue per arctum & arduum portellum ordinis, valdè commodè ſine difficultate vel violentia, quoniam obſeruauit & obſeruat votum electæ paupertatis vnà cum odorifera continentia & obedientia. Recuſauit & aufugit altitudinem elationis atq; ſuperbiæ, caput humiliter inclinans obedientiæ, ideo non infringitur ei caput ex impatientia: ſed in omnibus eſt omnino patiens cum fortitudine & longa perſeuerantia, quæ multùm amicatur obedientiæ. Inſidias & infeſtationes Dæmonum verus obediens illæſus euadit, mortificando & macerando corpus, exuendo huius vitæ delicias atq; concupiſcentias, & induendo labores ordinis cū fide formata neſciens, vel nullo modo retinens indignationem, veluti paruulus qui citò patris verberum obliuiſcitur. Ita facit iſte, libentiſſimè tradens obliuioni quamlibet iniuriam verborum vel verberum, ſiue reprehenſionem ſiue diſciplinam, licet etiam iniuſtam, quam ab ordine vel à Prælato ſuo recepiſſet: qui vocatus indilatè mente pacifica redit ad eum nullo modo paſſionatus, vel commotus ira, rancore vel odio, ſed cum filiali beneuolentia & humili mãſuetudine. Iſti ſunt illi paruuli, de quibus incarnata mea veritas ait in Euangelio: Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum. Et iterum: Qui ſe non humiliauerit vt paruulus iſte, id eſt, quòd habeat

eius

eius conditiones & innocentiam, non intrabit in regnum cœlorum. Nam qui ſe humiliat exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur. Hoc idem aſſeruit ipſa veritas in Euangelio. Item iſti paruuli humiles, qui amore mei affecti ſunt ſubditi, cum obedientia vera, minimè recalcitrantes ordini ſiue Prælato ſuo, meritò ſunt exaltati cum veris ciuibus æternæ vitæ à me ſummo & æterno patre, vbi remunerantur ex omnibus laboribus eorum, & in præſenti vita guſtant arram ipſius vitæ.

QVOMODO VERI OBEDIENTES à Deo centuplum accipiunt: Et qualiter hoc intelligitur.

CAPVT. CLX.

IN iſtis paruulis, amantiſſima filia, perficitur uerbum illud, quod veritas mea dicit in Euangelio. Cùm enim à Petro fuiſſet interrogatus. Ecce reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? illicò reſpondit inter cætera, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis: quaſi dicat: Benè feciſti Petre, quoniam alio modo me ſequi non poteras. Ego autem in vita præſenti centuplum tibi dabo. Sed filia chariſſima, quod eſt illud centuplum, quod poſtmodum æterna vita ſequitur? Quid in hoc exprimere voluit ipſa mea veritas? Nunquid de ſubſtantia temporali? Non quippe: quamuis aliquoties in eleemoſynario etiam iſta temporalia multiplicari faciam, de quibus ergo voluit exprimere: de illo, quod exhibet voluntas eius propria,

quæ ſeipſam vnicam præbet: & pro hac vna voluntate centum habebit, id eſt charitatem. Sed quare centenarius iſte numerus exprimitur? Ex eo, quia numerus iſte perfectus eſt, nec addere potes vltrà niſi re incipias à primo. Ita charitas vltrà cæteras virtutes eſt, itaq; perfectiſſima, quia nemo poteſt ad virtutem perfectiorem aſcendere: potes vtiq; recipere à recognitione tui, & immeritò creſcis & augmentas ipſum numerum centenarium: ſed tamen ad illum numerum ſolummodò peruenis. Hic eſt ille cẽtenarius numerus, qui datus eſt illis qui dederunt vnũ, videlicet vnicã ipſorum voluntatem in obedientia generali, vel in iſta particulari multò fortiùs, cum iſto centenario habetis vitã æternam, quia ſola charitas eſt illa, quæ tanquam dominatrix ingreditur, atq; ſecum introducit aliarum virtutum fructum: ſed ipſæ foris immorantur. Ingreditur igitur ad me vitam æternam in quo beati vitam durabilem habent. Illùc fides minimè aſcendit. Habent enim ibi beati per experientiam ea, quæ per fidem in ſeculo crediderũt: neq; ſpes aſcendit ex eo, quia poſſident ea quæ ſperauerunt. Et ita contingit in alijs virtutibus. Itaq; ſola charitas intrat veluti regina, poſſidendo me poſſeſſionem eius. Vides ergo quòd iſti paruuli mei centuplum accipiunt, & poſteà vitam æternã: in præſenti vita recipientes ignem diuinæ charitatis quam ſignificari dixi per centenarium numerum: Et quoniam à me recipiunt hunc numerum centenarium in admirabili gaudio cordiali, quotidie morantur: quoniam in vera charitate nulla triſtitia conſiſtit, immo ſolummodò gaudium iucundum. Ipſa nanq; cor admirabili modo di-

do dilatat. Illud enim efficit valdè liberum & ſyncerum, non arctum ſiue duplex. Anima quæ vulneratur iſta dulci ſagitta, non oſtendit vnum in facie vel in lingua, ſi habeat oppoſitum in corde, non ſeruit alicui fictæ, vel habet aliquam ambitionem, ex eo, quia vera charitas apertè procedit in omni negotio ſuo cum omnibus: vnde certum eſt quòd anima quæ poßidet illam, non incidit in pœnam, nec in triſtitiam afflictiuam: nec ab obedientia diſcordat vnquam, ſed eſt obediens vſq; ad mortem.

DE MISERA PERVERSITATE INobedientium: Et de defectibus procedentibus ab inobedientia.

CAPVT. CLXI.

INobediens verò facit oppoſitum, quia ſtat in ordine cum tanta pœna miſera & infructuoſa, pro ſe & alijs, quòd in præſenti vita guſtat arram inferni: quotidie nanq; conſiſtit in ſua confuſione, triſtitia, & conſcientiæ ſtimulo, cum diſplicentia, non ſolùmodò ſui Prælati, ſed etiam ordinis, inobediens effectus eſt incomportabilis etiam ſibimetipſi. Attende dilectißima filia, illum qui votũ fecit, & aſſumpſit obedientiæ clauem, quomodo valere poteſt exiſtens inobediens, ipſe fecit ſemetipſum ſeruũ inobedientiæ, conſtituens illam dominam ſuam cũ ſocietate impatiẽtiæ quæ ꝓculdubio nutritur à ſupbia cũ ꝓpria cõplacẽtia, que ſupbia, ſicut iã dixi, naſcitur in amore ꝓprio oppoſita animæ, facit his q̃ tibi dixi de obediẽtiæ ſeruo meo. Ergo quomodo poteſt iſte miſer eſſe ſine amara

ra pœna? priuatus eſt enim affectuoſa charitate: neceſſarium eſt etiam eum inclinare ceruicem violenter à propria voluntate declinantẽ, obedientia compellente: ſuperbia verò ſuadet & inducit vt illam erectam habeat: omnes voluntates eius ab ordinis voluntate diſcordant: ordo præcipit obedientiam: ipſe verò diligit inobedientiam, præcipit voluntariam paupertatem: ipſe verò fugit eam, poſsidendo & optando diuitias, vult obſeruari continentiam, & iſte miſer vult immunditiam, quando religioſus iſta tria vota tranſgreditur, amantiſsima filia, cadit in ruinam, & in tot miſerabiles defectus, quòd etiam aſpectus eius non apparet viri religioſi, immo potiùs vnius Dæmonis incarnati, ſicut alibi tibi pleniùs enarraui. Adhûc aliqua nunc addam, vt apertiùs intelligas illorum vitabilem fraudẽ atq; fructum, quem ex inobedientia lucrantur, ac etiam ad commendationem obedientiæ: iſte miſer eſt ab amore proprio fraudatus, quoniam oculus intellectus eius, cum fide mortua ſibi poſuit in obiectum complacentiã propriæ ſenſualitatis, atq; mũdanas vanitates egreſſus eſt à mundo ſolũmodo corpore, ſed in eo mãſit affectu. Et quia ſibi videtur obediẽdo laborare, vult inobediẽs eſſe pro vitãdo labore: ipſe aũt in maximũ laborẽ incidit, nã obedire cõpellitur amore vel uiolẽtia. O qualiter eſt à ſuo deſiderio fraudatus: nemo tamen eũ decipit niſi ipſe, volendo ſibi complacere ſibi diſplicet, nam opera ſua ſibimetipſi diſplicent, quæ faciet inuitus per obedientiam inuitam: optant enim in delectabili conſolatione manere, atq; ſibi facere vitam æternam in vita præſenti breuiſsima. Ordo autem vult quòd ipſe peregri-

regrinus exiſtat, & hoc iugiter oſtendit ei, quia quando ſedet in aliquo loco ſibi gratioſo, pro complacentia ſua quam ibi reperit, & eſt ab ordine mutatus, inde in tali mutatione pœnam habet, ex eo, quia propria voluntas viuens optat oppoſitum: & ſi non obediret, haberet inde diſciplinam ab ordine: itaq; iugiter in tormento moratur. Apertè vides ergo quòd decipit iſte ſemetipſum, volendo pœnam euadere cadit in pœnam valdè grauiorẽ: quia per cæcitatem eius agnoſcere nequit viam obedientiæ ſanctæ: quæ via veritatis eſt in vnigenito filio meo ſaluberrimè fundata, quæ pœnam aufert cuilibet obedienti: & ideo vadit per viam mendacij, reputans ibi conſolationem inuenire, tamen non inuenit ibi aliud quàm amaritudinem & pœnam. Quid eum ad hoc adducit? Amor, quem ex propria paſſione concepit ad inobedientiam. Iſte veluti ſtultus vult in hoc procelloſo mari ſuper brachia propria nauigare, confidens in ſuo miſerabili & infimo ſenſu, neq; nauigare vult abſq; labore ſuper brachia Prælati ſui ordinis. Iſte moratur in nauicula religionis corpore, ſed non corde: immo iam ex deſiderio videtur inde egreſſus, ordinis tranſgrediendo cæremonias & ordinationes, atq; tria vota, quæ ſeruare promiſit in ſua profeſſione. Ipſe quippe moratur in mari valdè procelloſo, & in magna tempeſtate illæſus à ventis valdè contrarijs, & ſolummodo per pannos alligatus videtur eſſe nauiculæ: habitum ordinis videtur habere in dorſo, ſed non habet in corde. Iſte minimè frater ſiue religioſus eſt, ſed vnus homo veſtitus. Homo quidem in humana forma, ſed in effectu & in ſuo modo viuendi, peior eſt

 animali

animali ſine ratione. Nonne ſi haberet uſum alicuius rationis apertè cognoſceret, ſibi difficilius eſſe nauigare ſuper brachia propria quàm ſuper aliena. Quomodo non attendit, quòd ſtat iugiter in periculo mortis æternæ, quā primùm ille pannus à nauicula ſolueretur morte interueniente, nullum remedium vlteriùs inuenire poſſet. Iſta procul dubio non videt, quia nubes amoris proprij, vnde proceſſit inobedientia, priuauit eum omni lumine: quare videre nequit huiuſmodi periculum atq; detrimētum ſuum. Igitur valdè miſerabili modo ſe decipit, quem fructum habet atq; producit arbor iſtius inobedientis, fructum vtiq; mortis, ex eo; quia radix affectus eius eſt in ſuperbia plantata, quæ proceſſit à complacentia, & ab amore proprio ſui, vnde cuncta corrupta producuntur: inde videlicet flores, folia, fructus, et vniuerſa quæ pertinent ad ipſam arborem ex toto maculata ſunt, & corrupta: & principales rami valdè ſunt infecti, videlicet ramus obedientiæ, paupertatis, & continentiæ. Tres iſti rami continentur in ſtipite huius arboris, videlicet affectus animi, qui malè plantatus eſt, vt iam dixi. Folia quæ producit hæc arbor verba corrupta ſunt in tali forma, quòd in ore cuiuſcunq; ſcelerati ſecularis eſſent valdè indecentia. Si verò contingit, quòd talis habeat annunciare populo verba ſalutis & Euangelica, pronunciat illa non affectu ſyncero ſimpliciter ad paſcendas animas iſto ſancto ſemine verbi mei, ſed potiùs attendit ad aures audientium demulcendas, verba polita & ornata proferendo: vt idem poſteà commendetur à populo: ſi flores huius arboris attēdas, procul dubio putridi ſunt,

vide-

videlicet variæ cogitationes & vanæ, quas auidè & ſponte recipit & acceptat, in quibus opinio frequentiſsimè delectatur, & illo modo eas nutrit & augmentat, non vitando loca pariter & vias vnde procedunt, immo ſollicitè perquirit, vt iniquitatem cum effectu perficere poſsit. Qui quidem eſt fructus qui vitæ gratiam aufert, ei inſerendo mortem æternam: & iſte fructus ab arbore vnâ cum flore generatus, qualem fœtorem exhalat? vtiq; fœtorem inobedientiæ in malum iudicans in corde ſuo Prælati voluntatem, & illam inueſtigando perquirens vltraq; expediat: fœtorem etiam immunditiæ cum complacentia multarum conuerſationum, cum infœlici vocabulo deuotarum. O miſer homo, non aduertis quòd ſub vocabulo, & ſub iſto colore deuotionis aliquando ſequitur acies filiorum. Hunc fructum habes ab inobedientia tua, quia non habuiſti filios virtutum, vt ille verus obediens. Tu verò calidè procuras Prælatum tuum decipere ſiue circumuenire, quando vides quòd ipſe denegat ea quæ tua peruerſa voluntas expoſcit, cum folijs verborum aliquando blandiendo, vel adulando, ſiue comminando, vel improperando, procedens cum irreuerentia magna, vſq; quo per fas & nefas obtineas ab eo, quæ concedere nolebat. Tales nullo modo ſciunt, vel nolunt fratrem ſuum ſupportare in aliquo. Ipſi quoque nequeunt tolerare vel vnum verbum minimum alicuius reprehenſionis, ſed illicò manifeſtant venenatum impatientiæ fructum odij & iracundiæ contrà fratrem ſuum, iudicando ſibi pro malo factum, quod eſt in veritate

pro

pro bono ſuo, & ita quotidie ſcandalizatus viuit in pœna corporis & animæ. Quare diſplicuit ei frater ſuus? Quia ſibimetipſi carnali modo complacuit. Ipſe fugit à cella quemadmodum à veneno, quoniam egreſſus eſt à cella notitiæ ſui: Vnde proceſſit ad inobedientiam: & ideo nequit in materiali cella conſiſtere. Inſuper ad refectorium renuit accedere, niſi ſicut ad locum ſibi valdè contrarium, dum habet ad expendendum, ſi verò non habet, ex neceſſitate vadit illûc. Ergo benefecerunt obedientes, volentes obſeruare paupertatis votum, vt nihil omnino haberent ad expendendum, vt ipſi nullatenus extraherentur à ſuaui menſa refectorij, vbi verus obediens in pacifica quiete nutrit animam ſuam vnà cum corpore. Ipſe minimè laborat in præparando ſibi cibaria delicata, ſicut agit ille miſer inobediens, cuius guſtui refectorium videtur amarum, & ideo fugit ab eo. Ad chorum viſitandum quotidiè vult eſſe vltimus, primus autem ad exeundum: labijs ſuis appropinquat mihi, cor autem eius elongatur à me. Capitulum vero timore diſciplinæ libentiſſimè fugit, quandocunq; commodè poteſt. Ibi verò permanendo ſtat cum quadam verecundia in mente ſua confuſiua, quam verecundiam habere noluit in committendo culpas. Non enim erubuit etiam apertè perpetrare culpas mortalium peccatorum: & quid eſt horum in cauſa? Inobedientia nullum exercitium ſanctum habet, non vigiliam, non orationem: neq; ſolùm oratione mentali caret, verùm etiam vocalem, ad quam eſt obligatus, frequentiſſimè dereliquit: nec habet iſte miſer inobediens charitatem fraternam; ex eo, quia non amat aliquem,

niſi

niſi ſemetipſum, non amore rationali ſed amore beſtiali: tot indubiè mala ſunt quæ occurrunt in obedientibus, atque tot ſunt infœlices eorum fructus, quòd lingua tua eos explicare non poſſet. O miſera & infœlix inobedientia, quæ ſpolias animam omni virtute, illam omni vitio veſtiens. O miſera & infœlix inobedientia, quæ priuas animam obedientiæ lumine, auferens ei pacem, inferendo ei perturbationem, aufferens ei vitam, inferendo mortem, extrahis eam à nauicula ſanctarum obſeruantiarum ordinis, & in mari procelloſo ſuffocari facis eam: nā ipſam inducis ad nauigandum ſuper brachia ſua, & non ordinis: tu induis illam omni miſeria, & cogis eam inedia cruciari, quoniam aufers ab ea cibum atq; meritū obedientiæ: tu præbes ei continuā amaritudinem, & eam priuas omni dulci conſolatione, & omni bono, et inducis eā in omne malum: & in vita præſenti facis eam arram experiri cruciatorum tormentorum: & ſi huiuſmodi miſer homo ſe non correxerit, antequam iſti panni ſoluantur à nauicula morte mediante, infœlix hæc inobedientia conducet animam ad ignem æternum, vnâ cum Dæmonibus, qui propter inobedientiam à cœlo fuerunt expulſi, quia mihi rebelles extiterunt, & in profundum ierunt: & ita tu miſer inobediens, quia fuiſti rebellis obedientiæ, & huiuſmodi clauem obedientiæ, qua debebas aperire tibi cœli ianuam, à te proieciſti, inobedientiæ claui tibi tartarum aperuiſti.

DE

TRACTATVS DE ILLORVM PERFECTIONE, qui viuunt in Religione tepidè, quamuis à mortali peccato ſe cuſtodiant: Ac de remedio per eos habendo.

CAPVT. CLXII.

Dilectiſſima filia, quot ſunt hodie qui paſcuntur in iſta nauicula cum defectibus multis? Procul dubio quamplurimi ſunt: in tantum quòd valdè pauci reperiuntur veraciter obedientes: verum eſt, quòd inter perfectos & huiuſmodi miſerabiles, plurimi ſunt in ordine viuentes cõmuniter, qui neq̃ perfecti ſunt, vt expedit & eſſe deberent, neq̃ mali, quia conſeruant animã à peccato mortali. Morantur igitur in quadam animi tepiditate ſiue negligentia cordis, & niſi vitam ſuam exerceãt virtuosè cum cordis obſeruantia, in magno periculo conſiſtunt: & ideo neceſſe eſt eis habere magnam ſollicitudinem: nec ita dormitare debent in tali tempore, ſed à negligentia ſua conſurgere: quia ſi remanerent in ea, proni & apti ſunt ad caſum atque ruinã: & ſi contingat eos non cadere, pertranſibunt cum quadam humana cõplacentia, cum ordinis colore colorata, ſtudentes ampliùs exteriores cæremonias obſeruare, quàm ipſum ordinẽ: & aliquando ſunt apti ex defectu luminis, vt indicent illos valdè temerè, qui ſeruant ordinem valdè perfectiùs, quàm ipſi, licet in minori perfectione cæremonias exteriores obſeruent, quarum ipſi gloriantur eſſe multum obſeruantes. Itaq̃ qualitercunq̃ conſiderent, eſt eis valdè

noxium in obedientia communi permanere, videlicet cum tanta tepiditate & negligentia pertranſire cum obedientia: nam valdè laborant, & cum pœna multa, quia frigido cordi laborioſum eſt etiam aliqua leuia portare. Ipſi multum habent laborem cum modico fructu, & offendunt illam perfectionem ad quam ingreſſi ſunt, & obligati ſunt obſeruare, quamuis mala minora faciant quã alij, de quibus tibi ſuprà narrauit: tamen ipſi malè faciunt, ex eo, quòd minimè diſceſſerunt à ſeculo, vt claui generalis obedientiæ mandatorum cœli ianuam aperirent: immo claui ſingularis obedientiæ, conſiliorum atque mandatorum ordinis, quæ clauicula ſingularis debet eſſe ligata funiculo vilitatis, videlicet ſemetipſum vilipendendo, qui humilitatis cingulo ſit appenſus, & aſtringi manu amoris igniti, ſicut iam audîſti. Noueris amantiſſima filia, quòd iſti benè ſunt apti magnam attingere perfectionem, in quantum voluerint exercere ſe virtuosè, quia propinquiores exiſtunt quàm alij miſeri: ſed aliquo modo cum difficultate maiori remouentur ab imperfectione ſua tales tepidi iuxtà gradum ſuum, quàm iniqui remoueantur à ſua iniquitate: & eſt ibi ratio, quoniam iniqui conſcientia demonſtrante manifeſtè cognoſcunt & intelligunt, ꝙ malè faciunt. Vnde ſiquis eos interrogaret, vtrum malè faciant, reſponderent, ita. Sed victi fragilitate ſiue concupiſcentia qua moleſtantur, videtur quòd abſtinere nequeant, vel à tali culpa reſipiſcere, quãuis hoc non eſt verum, quia cum auxilio meo poſſunt egredi ſi volunt: nihilominus apertè cognoſcunt quòd malè faciunt, cum

qua

qua notitia facilimè poſſunt egredi, ſi placet eis: ſed iſti tepidi, qui neq; notabile malum agunt, nec etiam notabile bonum, non agnoſcunt inertiam ſiue teporem ſui ſtatus, nec in quanto diſcrimine morantur non agnoſcentes, emendare ſe minimè curant, nec etiam quoquomodo curant, vt illud eis oſtendatur, & ſi monſtratur eis, ex tepore cordis in aſſueta longa conſuetudine quotidiè perſeuerant alligati. Quis ergo modus erit, vt ab hac ſua inertia conſurgant? Modus eſt iſte, quòd accipiant ligna notitiæ ſui cum odio ſancto propriæ reputationis atq; cõplacentiæ; ac ipſa ligna feruẽter in igne meæ charitatis immittãt, denuò deſponſando, ac ſi ordinẽ tũc intrarent, obediẽtiæ veræ ſponſã annulo ſanctiſſimæ fidei, nec vltra dormiunt in tali ſtatu: qa mihi valdè diſplicet, et eſt eis valdè damnoſum. Iſtis namq; tepidis valdè congruè competit illud verbum, quod in Apocalypſi ſcribitur: Vtinam calidus vel frigidus eſſes, ſed quia tepidus es, ideo euomere te incipiam ex ore meo: videlicet eo modo quo dixi, quia niſi reſurgat à tali tepore caſurus eſt, & cadendo iuſtè reprobaretur à me: potiùs enim vellem eos eſſe frigidos, in ſeculo remanendo, cum obedientia generali mandatorum, quæ reſpectu ignis verorum obedientium videtur eſſe quaſi glacies. Ideo dicitur: Vtinam frigidus eſſes: hoc verbũ volui tibi declarare, ne caderes in errorem, exiſtimando quòd ego potiùs vellem aliquem in frigiditate peccati mortalis eſſe, quàm in tepiditate impfectionis. Nõ.n. uelle poſſum aliquã peccati culpã, ex eo, quia in me non eſt venenũ iſtud: immo tantã habui diſplicentiam in homine de peccato, ꝙ omnino decreui, quòd

abſq;

abſq; punitione nullo modo tranſiret. Et quia non erat idoneus homo per ſe tolerare pœnam, quæ pro culpa debebatur, vnigenitũ meum charitate paterna tranſmiſi, qui fabricauit eam in corpore ſuo per obedientiã impoſitam ab inæſtimabili bonitate mea. Surgant ergo cum exercitio ſancto, cum vigilia humili, deuota, & continua oratione: & attendant ad ordinis obſeruantiam: & iugiter in patronis huius nauiculæ ſpeculentur, qui fuerunt homines vt ipſi, eodẽ modo nati, & lacte nutriti. Et in præſenti ſum ille Deus, qui tunc eram. Potentia quoq; mea non eſt infirmata: neque mea voluntas in aliquo bono defecit, quia ſalutem veſtram exopto: neque ſapientia mea in exhibendo lumen vobis, vt meam veritatem agnoſcatis. Ergo, ſi volunt, optimè poſſunt ambulare cum perfectè obedientibus, modò ſe priuare velint obſcura nube proprij amoris: & cum virtuoſo lumine oculum intellectus aperiant ad iſta conſideranda. Igitur iſto modo peruenient, aliter non.

DE EXCELLENTIA VIRTVTIS Obedientiæ: Et de bonis quæ tribuit illis, qui realiter eam aſſumunt.

CAPVT. CLXIII.

REmedium ergo ſalubre & verum eſt illud, quod obſeruat verus obediens, in quo iugiter omni die renouatur, cum lumine fidei augmẽtando virtutem obedientiæ, cum humilitate profun-

da peroptando contumelias atq; deriſiones:et q̄ à ſuo Prælato magnis onerib. quotidie grauetur, vt virtus obedientiæ vnâ cum patientia ſorore ſua non rubiginetur, vt cùm expedit eas exercere nullo modo deficiant, ſine cum difficultate poſſit eas habere. Et ideo quotidie ſancti deſiderij pulſat inſtrumentum, neque fruſtra tempus elabi permittit, de quo iugiter in corde fameſcit, veluti ſponſa ſollicita, quæ nullatenus vult otioſa manere. O delectabilis obedientia, ô ſuauis obedientia placida, ô verè dulcis & illuminatiua obedientia, quoniam amoris proprij tenebras expuliſti. Tu virtus obedientiæ viuificas animam, exhibendo ſibi vitam gratiæ, quæ te in ſponſam elegit, & ſe ipſam voluntate propria priuauit, quæ mortem infert animæ atq; quotidie moleſtiam. Tu liberalis es & valdè larga, quia te ſubijcis omni rationali creaturæ. Tu benigna es & valdè pia, ex eo, quia manſuetè portas onera grauia, quia ſociata es cum vera patientia, & inexpugnabili fortitudine; tu coronaris honorabili corona perſeuerantiæ, tu minimè deficis ex importunitate Prælati: neq; propter onera grauia quæ tibi ſine diſcretione ponerentur etiam iniuſtè: tu cum fidei lumine toleras vniuerſa. Tu es adeo cum humilitate cõnexa, quòd nulla creatura diabolica vel humana poteſt eam trahere de manu ſancti deſiderij, te poſſidentis animæ. O dulciſſima filia, quid vltra dicemus de hac excellentiſſima virtute? Dicemus eam eſſe bonum ſine malo quocunque: Stat in manu taliter abſconſa, quòd ventus aliquis ei nocere non poteſt.

Facit

Facit animam ſuper ordinis brachia nauigare, atque Prælati ſui, & non ſuper brachia ſua: quia verus obediens non obligatur mihi reddere rationem de ſe: immo ſolummodò Prælatus, cui ſubditus extitit. Ergo dilectiſſima filia, de tali virtute glorioſa deberes eſſe valdè philocapta, & in ea quotidie delectari. Vis de beneficiis à me receptis eſſe grata? ſis obediens: nam obedientia demonſtrat apertè gratitudinem tuam, quia procedit à charitate: ipſa demonſtrat quòd non es ignorans, ex eo, quod procedit à notitia meæ veritatis, in verbo filio meo. Nam ipſe docuit viam obedientiæ veluti regulam veſtram, ex eo, quod fuit obediens vſque ad mortem opprobrioſiſſimæ crucis. In cuius obedientia quæ cœlum aperuit eſt obedientia vobis ex libito fundata, videlicet illa generalis & iſta particularis, ſicut in principio tractatus iſtius obediẽtiæ tibi narraui. Hæc obedientia præbet in anima lumen, oſtendens ipſam eſſe mihi fidelem, ac etiam ordini & Prælato ſuo. In quo lumine ſcilicet ſanctiſſimæ fidei, ſui fuit oblita, non quærendo ſe propter ſe: quoniã in obedientia quã acquiſiuit in lumine fidei, demonſtrauit, quod in voluntate ſua ſit omnino mortua ad omnem ſenſum propriũm, qui ſenſus carnalis atque ſenſitiuus alia quærit, & non ſua. Sicut inobediens, qui vult inueſtigare voluntatem eius, qui ſibi præcipit, & illam iudicare ſecundùm intuitum & iudicium ſuum tenebroſum & infimum: ſed non voluntatem ſuam peruerſam, à qua mortem acquirit. Sed verus obediens cum lumine fidei iudicat in bonum ſui Prælati

voluntatem:ideo non exquirit voluntatem ſuam:immo ceruicem humiliter inclinat, & cum odore veræ & ſanctæ obedientiæ nutrit animam ſuam: & iſta pretioſa virtus in anima tantum excreſcit, quantum in lumine ſanctiſſimæ fidei dilatatur, ex eo, quia charitas quæ peperit obedientiam, à lumine fidei procedit. Et cum illo lumine fidei, cum quo talis anima cognoſcit ſemetipſam atque me, cum eo me diligit & humiliatur: et quãtò magis amatur, ſe humiliat et ampliùs eſt obediens. Et obedientia cum patientia ſorore ſua demonſtrat apertè, vtrum anima veſtita ſit veſtimẽto nuptiali charitatis in veritate, cum quo veſtimento vitam æternam ingreditur. Obedientia nanque cœlum aperit, & extra poſteà remanet: & ipſa charitas quæ clauem iſtam exhibuit, introgreditur afferendo ſecum obedientiæ fructum: aliæ quippe virtutes, vt iam dixi, remanent extrà, & ſola charitas ingreditur. Sed appropriatur obedientiæ, quòd eſt illa clauis qua cœlum aperitur, ex eo, quia cum inobedientia primi parentis Adæ clauſum extitit, & cum obediẽtia fidelis, immaculati, & humilis agni filij mei, fuit aperta ianua vitæ durabilis, quæ tanto tempore clauſa fuerat.

DIFFINIVNTVR DVÆ OBEDIENTIÆ, vna religioſorum, alia quæ promittitur extrà religionem alicui perſonæ.

CA-

CAPVT. CLXIIII.

SIcuti iam audiſti, chariſſima filia, vnigenitus filius meus obedientiam vobis dereliquit, veluti clauem, qua poſſetis aperire cœlum: & ſic ad finem veſtrum optabilem attingere. Ipſe vobis eam ex præcepto dimiſit in obedientia generali. Si verò peroptatis ad magnam aſcendere perfectionem, ipſe conſuluit per portellum ordinis arctum ingredi, vt ſuprà dictum eſt. Sunt etiam aliqui non intrantes ordinẽ, & nihilominus in nauicula perfectionis exiſtunt. Illi quippe ſunt, qui conſilia benè ſeruant extrà ordinem approbatum. Sponte refutantes diuitias atque mundi pompas actualiter atque mentaliter, cũ odorifera continentia virginali: vel aliter, licet virginitate priuati ſint: ipſi perfectè ſeruant obedientiã, alicui creaturæ ſe ſubiiciendo, cui perfectè conantur vſque ad mortem obedire. Et ſi me interrogas, quis eſt meriti maioris? an ille qui ſtat in religione, vel illi de quibus in præſenti dico: Reſpondeo, quòd meritum obedientiæ non menſuratur in actu, nec in loco, nec in eo, qui magis eſt bonus vel prauus, nec in ſeculari magis quàm in religioſo: immo ſecundùm menſuram amoris, quam habet obediens, & ſecundùm iſtum menſuram remetitur ei præmium. Imperfectio verò Prælati, nullum omnino detrimentum infert illi qui verus eſt obediens: immo frequentiſſimè prodeſt ei, quia propter perſecutionem iniuſtè habitam, & propter indiſcretas reprahenſiones & onera grauia, quæ quandoque tolerantur ab indiſcreto Prælato ac-

quirit: & augmentat in ſe virtutem obedientiæ, & patientiæ ſororis eius: neque locus ei nocet imperfectus. Dico imperfectum, quia religio ſtatus eſt firmior atque tutior quàm alij ſtatus. Et ideo imperfectum tibi pono locum iſtorum, qui per paruam clauem obedientiæ, præter & extra ordinem obſeruant conſilia. Sed non imperfectum dico, ſiue minoris meriti eorum obedientiam, quoniam omnis obedientia, ſicut iam dixi, & alia quæcunque virtus, menſuratur cum amoris menſura. Tamen eſt verum, quod in quàmpluribus rebus valet amplius homini in religione conſiſtere, tùm propter votum, quòd in manu ſui Prælati facit, tùm quia plura tolerare compellitur, & efficaciùs obedientia probatur in ordine quàm extra, tùm quoniam ex quolibet actu corporeo eſt obligatus huic iugo: neque ſoluere ſe poteſt, quando vult abſque culpa peccati mortalis, ex eo, quòd ordo eſt approbatus ab Eccleſia ſancta, & propter votum emiſſum. In aliis verò non eſt ita: quia voluntariè ſe ligauerunt ex amore quem ad obedientiam habent, ſed non cum voto ſolenni. Vnde ſine culpa peccati mortalis eis liceret ab obedientia creaturæ talis diſcedere, ſi legitimam haberent occaſionem, & nõ ex proprio defectu ſuo procederet. Si verò diſcederēt ex proprio defectu ſuo, non eſſet hoc abſque graui culpa, non tamē diſceſſus ille propriè peccatum mortale importaret. Nôſti quantum intereſt inter vnum & alium? quantū ab illo qui tollit alienū, ad illū qui proximo dedit aliquid & poſteà repetit, quòd ex amore donauerat.

nerat,cum intentione non repetendi,licet ex illo non fuerit aliquod inſtrumentum publicè confectum: nã alius donauit, & confectum eſt publicum inſtrumẽtum: vnde renunciauit in manu Prælati ſibimetipſi, promittens obedientiam, continentiam & paupertatem voluntariam. Prælatus verò promittit ei vitam æternam, in quantum obſeruet ea, quæ promittit. Itaque procul dubio in obſeruantia, loco, & modo perfectior eſt illa: iſta verò minùs perfecta. Illa tutior eſt, quia ſi quis ibi ruat, aptior eſt ad ſurgendum, quia cum maiori ſubſidio ſe reperit: hæc autem eſt magis dubia, & valdè minùs tuta, quia ſi ceciderit, eſt in maiori periculo ne retrocedat: quia ſentit ſe non eſſe ligatum: Immo ſolutum, quia non fecit in profeſſione votum, prout accidit in religioſo, qui ante profeſſionem ab ordine diſcedere poteſt, poſteà verò non: meritum autem vtrique menſuratur, vt iam dixi, ſecundùm menſuram amoris quam habet verus obediens, vt vnuſquiſque in quo ſtatu fuerit, valeat habere perfectè meritum, quia ſolummodò poſitum eſt in amoris menſura. Ego differenter homines voco, aliquem in vno ſtatu, & alium etiam in alio, prout apti ſunt in ſe recipere: ſed vnuſquiſq; præmiatur ſecundùm amoris menſuram: quia ſi ſecularis amat ampliùs quàm religioſus, à me plus accipit, & econuersò, & ita de cæteris.

TRACTATVS QVOMODO DEVS NON SECVNdùm laborem obedientiæ præmiat, neque ſecundùm longitudinem temporis, ſed ſecundùm magnitudinem charitatis: Atque de promptitudine verorum obedientium.

CAPVT. CLXV.

OMnes vos conduxi, vt laboraretis in vinea obedientiæ diuerſis modis: & omnibus impendetur pretium ſecundùm amoris menſuram, & non ſecundùm opera: neque menſuram temporis, videlicet vt amplius habeat ille qui tempeſtiuè venit, quàm ille qui tardè, ſicut in Euangelio continetur: vbi mea veritas dicit ſimilitudinem eorum, qui conducti fuerũt ad vineam excolendã: & quòd tantũ habuit ille qui venit ad opus hora vndecima, quãtum ille qui venit hora prima, ſiue tertia, vel nona. Voluit igitur oſtendere veritas mea, quòd eſt is in cœlo remunerati non iuxtà tempus vel opus, ſed iuxtà menſuram amoris: vnde multi vocati ſunt ad opus huius vineæ in pueritia; quidam in iuuentute; quidam in ſenectute: & aliquando ſenex cum tanto amoris igne ad hanc vineam ibit, & conſiderabit habere temporis breuitatem, quod attinget ad illos, qui vocati ſunt in pueritia, quia negligenter ambulauerunt. Igitur in amore obedientiæ recipit anima præmium ſuum, & ibi vas ſuum impletur in me mari pacifico: Multi verò ſunt, qui habent obedientiam iſtã

ita

ita promptam, & tantùm in anima ſua tenent inſertam & incarnatam, quòd non ſolummodò ipſi non dolent inueſtigare rationem, quare ſic à Prælato ſuo præcipitur, immo vix exſpectant quod verbũ egrediatur ab ore ſuo: quia cum lumine fidei vident & intelligunt intentionem Prælati, quam illicò iuxtà poſſe perficiunt. Unde verus obediens ampliùs attendit, & obedire conatur intentioni Prælati ſui, quàm verbo, ſemper iudicando voluntatem Prælati fore ſecundùm meam voluntatem: & quod per meam diſpenſationem & voluntatem ita præcipiat ei: & ideo dixi tibi, quòd potiùs obediebat intentioni, quàm verbo. Ex hoc enim eſt obediens verbo, quia priùs obediuit cum affectu ſuæ voluntati & intentioni, videndo cum lumine fidei, & iudicando voluntatem eius in me. Hoc apertè demonſtrauit ille, de quo legitur in vitis Patrum: quòd priùs obediebat cum affectu: qui cum ab Abbate ſuo fuiſſet vocatus, & incœpiſſet vnum ó ſcribere, quod eſt ita parua res, illicò promptus ad obedientiam, imperfectum dereliquit, nec tãtam dilationem ſibi dedit, vt ad perfectum adduceret. Ut igitur in ſignum apertum videretur, quantum hoc mihi gratum extiterat, ipſa clementia mea medietatem aliã auro perfecit. Iſta glorioſa virtus in tantum mihi grata, quòd nulla virtus eſt in qua tot miraculorum ſigna ſiue teſtimonia data ſint à me, ſicut in ea. Quoniam ipſa procedit à lumine fidei, & vt apertè cognoſcant homines, quantam in eam complacentiam habeam. Terra obediens eſt iſti virtuti,

ac etiam animalia ſunt illi ſubdita, à qua ſuſtentat obedientiam. Terra dixi eſt obediens, obedienti: ſed ſicut in vitis Patrum aliquando legiſti de Abbate, qui obedienti diſcipulo tribuit vnum aridum lignum, iniungendo ſibi per obedientiam, quòd illud in terra plantaret, & iugiter adaquaret, vſq; quo fructum ex ſe produceret: ipſe autem obediens cum lumine fidei non hæſitauit: nec ait quomodo poſſibile foret, immò perfecit obedientiam vlteriùs inueſtigare, declinans in tantum quod per virtutem obedietiæ pariter et fidei, lignum aridum viride factum eſt: & ita fructū ex ſe produxit, in ſignum, quòd illius anima demonſtrabatur, & erat priuata ſiccitate cuiuslibet inobedientiæ: atq; viridis effecta fructum obedientiæ germinabat: vnde fructus illius ligni vocabatur à ſanctis patrib. obedientiæ fructus. Si attendas etiam animalia, modo ſimili obedienti ſubijciuntur. Vnde diſcipulus ille, & ex obedientia miſſus, ex puritate & obediētia ſua cœpit atq; ligauit vnā dracenam, et adduxit illam ad ſuum Abbatem. Sed Abbas tanquam verus Medicus ne fortè diſcipulus impelleretur ab aliquo vento vanæ gloriæ: et vt eum in virtute humilitatis atq; patientiæ probaret, expulit eum à ſe, dicens cum improperio: Quia tu es vna beſtia, duxiſti ligatā aliam beſtiā. Etiam ſi conſideres ignē, hoc idem agit: Vnde tu legis in ſacra pagina, φ multi nolentes obedientiam meam tranſgredi, mittebantur in ignem, & ipſi patientiſſimè ſponte tolerabant: & ignis vel in minimo non nocebat eis: prout accidit trib. pueris qui

in

in camino ignis ſtabãt illæſi ab igne, ꝙ de quãplurib. narrare poſſem. Aliqua ſuſtẽtauit Maurũ a Benedicto Abbate miſſum, vt adiuuaret diſcipulum aliũ qui ſuffocabatur in lacu. Ipſe verò de ſe minimè cogitauit, ſed cum lumine fidei ſolũmodò cogitauit obedientiã ſui Prælati perficere, quare ſuper aquã ambulabat, vt per aridam: & ita condiſcipulũ extraxit à lacu, & à morte liberauit. Et in effectu, ſi aperias oculum intellectus, in omnib. inuenies excellentiam huius virtutis eſſe cõmendatã; omnia debent omitti propter obedientiam. Vnde ſi tu eſſes in tanta contẽplatione ac vnione mentis eleuata, ꝙ etiã corpus à terra ſuſpenderetur in altũ propter obedientiæ præceptũ, iuxta poſſe debes obedientiã executioni mãdare loquẽdo generaliter, & nõ in particulari: quia ſingulari priuilegiũ non ordinat legẽ vniuerſalem. Diligenter etiã attende, ꝙ ab oratione congruo tempore ſurgere non debes, niſi compellente neceſſitate, charitate vel obediẽtia: & dico tibi ſic vt intelligas & agnoſcas quantũ ego volo ꝙ prõpta ſit in ſeruis meis, & quantũ ipſam habeo gratam. Omnia quæ facit obediens ad meritũ eius accedunt. Si comedit, ex obedientia comedit: ſi dormit, cũ obedientia dormit: ſi vadit, cũ obedientia vadit: ſi ſtat, cũ obedientia conſiſtit: ſi ieiunat, cum obedientia: ſi vigilat, cum obedientia: ſi proximo ſeruit, obedientiam facit: ſi eſt in choro, vel in refectorio, vel in cella, quis eum illùc adducit ſiue ſtare facit? Obedientia cum lumine ſanctiſſimæ fidei, cum quo lumine ſemetipſum iactauit veluti mortuum ad omnem

pro-

propriam voluntatem humiliter, in brachiis ordinis atque Prælati ſui. Cum hac obedientia requieſcens in tutiſſima naui, dum ſe ſponte perduci permiſit à Prælato ſuo, nauigauit in mari procelloſo vitæ præſentis, cum fœlici proſperitate, cum mente ſerena & tranquillitate cordis, ex eo, quod cum obedientia priuauit eum, cum viua fide quibuſcunque tenebris: ipſe procul dubio fortis, atque ſecurus eſt: quia ſi priuauit & abſtulit à ſe quamcunq; dubietatem, & inutilem timorem, renunciando videlicet voluntati propriæ, vnde procedit ipſa dubietas atque timor inordinatus. Sed hæc obedientia ſponſa veneranda quid comedit ſiue bibit? Quotidie comedit agnitionem ſui, ſiue mei. Apertè nanque cognoſcit & intelligit ſe per ſe non eſſe, & ſuum defectum, & me qui ſum ille qui ſum, ac guſtat & comedit meam veritatem, quam intelligit in verbo meo pro vobis incarnato. Bibit verò ſanguinem, in quo ſanguine verbum oſtendit ei meam veritatem, & amorem ineffabilem quem ad eum habeo. In ipſo ſanguine demonſtrat obedientiam ſuam perfectam, à me patre ſuo impoſitam ei pro vobis, & ideo ſe totaliter inebriat. Poſtquàm autem eſt ebria ſanguine ſimul & obedientia verbi, ſe perdit ex toto cum omni complacentia ſui, poſſidendo me per gratiam, guſtando me per affectum amoris, cum lumine fidei & obedientia ſancta. Omnis vita ſua pacem ei dat, & in morte poſteà recipit illud, quod in ſua profeſſione fuit ei promiſſum à ſuo Prælato, videlicet vitam æternam, quæ viſio pacis

eſt,

eſt, & æterna tranquillitas, atq; fœliciſſima quies, bonum inæſtimabile: quia nullus illud æſtimare poteſt, neque comprahendere quantum eſt, quoniam eſt infinitum. A re nanq; minori nullo modo comprahendi poteſt hoc infinitum & inæſtimabile bonum, niſi tanquàm vas quod immenſum eſt in mari, quod non comprahendit in ſe vniuerſum mare: ſed ſolùm illam quantitatem, quam in ſe continet. Solummodò mare ſemetipſum comprahendit. Et ſic mare pacificum ſum ille ſolus qui me comprahendo & æſtimo: & ita de mea comprahenſione & æſtimatione ſolùm in memetipſo gaudens exulto. Quod vtique gaudium atq; bonum, quod habeo in me, participo in vobis, & vnicuiq; ſecundùm ſuam capacitatem & menſuram. Omnes impleo perfecta beatitudine, nec aliquam mēſuram ibi teneo vacuam, ſed omnes agnoſcunt & intelligunt de bonitate mea, quantum ego tribuo comprahendendum iuxtà merita ſua. Ergo verus obediens cum lumine fidei verè cōbuſtus in fornace charitatis humilitate perunctus, pretioſo ſanguine, ſicut iam dixi, totaliter inebriatus, cum ſorore patientia atque vilitate ſemetipſum vilipendendo, cum fortitudine atque longa perſeuerantia, & cum aliis virtutibus, hoc eſt, fructibus aliarum virtutum habuit & in ſe recepit optabilem atque fœliciſſimum finem ſuum à me creatore ſuo.

RE-

REPETITIO ET QVASI SVMMA, totius libri præſentis.

CAPVT. CLXVI.

QVomodo dilectiſſima et chariſſima filia, ſatiſfeci deſiderio tuo, à principio ſermonis mei vſq; ad vltimũ finẽ, quem feci loquens de obedientia: nam ſi benè recordaris, petiſti à me cũ anxietate deſiderij, ſicut ego te feci petere, vt ignem in te creſcere facerẽ charitatis. Tu inquã petiuiſti quatuor petitiones: Quarũ vna fuit ꝑ te ipſa, cui ſatisfeci illuminando te lumine veritatis meæ, oſtendendo tibi, ꝙ mediante fidei lumine cũ cognitione tui, & mei, per modum quẽ ego tibi declaraui, tu veniebas ad notitiã veritatis. Secunda petitio tua fuit, ꝙ ego facerẽ mundo miſericordiam. Tertia verò petitio fuit pro corpore myſtico Eccleſiæ ſanctæ meæ, rogando me, ꝙ auferrem tenebras ab ea, & perſecutiones quas in præſenti patitur. Et petebas, ꝙ ego punirem iniquitates malorum ſuper te: hinc ego declaraui tibi, ꝙ nulla pœna finita, ſiue data, tempore finito, ex ſemeipſa ſola ſatisfacere poteſt pro culpa commiſſa contrà me, qui ſum infinitum bonum: ſed benè ſatisfacit in quantum fuerit vnita cum contritione cordis et animæ deſiderio: modum verò qualiter ſatisfacio declaraui tibi. Ad hoc etiã reſpondi tibi, ꝙ ego volo facere mundo miſericordiam, oſtendendo tibi, ꝙ mihi miſereri proprium eſt. Vnde propter miſericordiam, & inæſtimabilem amorem, quem gerebam ad hominem, miſi vnigenitum

filium

filium & verbum meum; q; vt apertiùs tibi demonſtrarem aſſimilaui vni ponti, qui attingit a cœlo vſque ad terrã: & hoc ex vnione quæ facta fuit in ipſo, inter humanã & diuinam naturã. Item, vt ampliùs te lumine meæ veritatis illuſtrarem, oſtendi tibi, qualiter ad iſtum pontem aſcendebatur per tres gradus, id eſt, cum tribus animæ potentiis. Itẽ, de iſto verbo ponte tibi monſtrando, feci figuram aliam in corpore ſuo, figurando tres illos gradus, vt optimè nôſti: Primum ſcilicet in pedibus, ſecundum in latere, vel in coſta perforata, tertium in ore, in quibus poſui tres animæ ſtatus: videlicet ſtatum imperfectum, perfectum, & perfectiſſimum, in quo realiter attingit & peruenit ad excellentiam intimi amoris, oſtendendo tibi patenter in quolibet, quid eſt illud quod aufert imperfectionem: & per quã viam itur ad eam. Et de occultis deceptionibus Dæmonum dixi: & de proprio amore ſpirituali etiã tibi loquendo de reprehenſionibus in trib. iſtis ſtatibus, quas mea clementia facit. Et primam reprehenſionem poſui, quam facit hominibus in vita priuſquam à corpore diſcedant; ſecundam in morte, quantum ad illos qui moriuntur in peccato mortali, de quibus ego poſui tibi, q; ibant ſub ponte per viam Diaboli, narrando tibi miſerias eorum. Tertiam verò reprehenſionem, quã faciet in generali iudicio, aliqua tibi narrando de pœnis damnatorum: atq; de gloria beatorũ, cum vnuſquiſq; dotem ſui corporis acceperit. Item promiſi tibi, & promitto: quòd cum multa ſufferentia ſeruorum meorum reformabo, ſponſam

&

& Eccleſiam meam, inuitandò vos ad huiuſmodi tolerantiam, conquerendo tecum de iniquitatibus miniſtrorum impiorum, & oſtendendo tibi pariter in quanta ipſos excellentia poſui, atque reuerentia quam ego requiro, & volo, quòd ſeculares eis exhibeant. Et oſtendendo tibi, quomodo per defectus ipſorum vel exceſſus, reuerentia circa illos nullo modo minui debet, & quantum habeo moleſtum, & eſt mihi contrarium quando fit oppoſitum. Fui quoq; locutus de virtute illorum qui ſicut angeli viuunt, tangendo ſimul cum hoc aliqua de venerandi Sacramenti altaris excellentia. Item, quia loquendo de dictis tribus ſtatibus animæ, voluiſti ſcire de ſtatibus lachrymarum, & vnde procedunt, ordinatè narraui tibi, concordando ſtatus animæ cum ſtatibus lachrymarum. Dixi nanque tibi, quòd vniuerſæ lachrymæ, de fonte cordis egrediuntur, ſeriòſe tibi cauſam huius aſſignãdo, atq; de quatuor ſtatibus lachrymarum. Inſuper & de quinto ſtatu, qui generat mortem, apertè tibi narraui. Et quartæ petitioni tuæ reſpondi, qua me rogâſti, quòd prouiderem in quodam caſu particulari qui contigerat: & ego prouidi, ſicut optimè nôſti. Super his omnibus declaraui & diſſerui tibi de prouidentia mea, tàm in genere quàm in ſpecie, incipiendo à principio creationis vſque ad finem mundi: & qualiter omnia feci & facio cum prouidentia ſumma & diuina, dando ſiue permittendo vobis omnia, ſcilicet conſolationes atque tribulationes, ſpirituales vel temporales propter bonum veſtrum, vt in me ſanctificati

cati ſitis, & veritas mea perficiatur in vobis. Veritas nanq; mea fuit, & eſt iſta, quia creaui vos, vt haberetis vitam æternam, quam vtiq; veritatem vobis cum ſanguine verbi vnigeniti filij mei patefeci. Item vltimò ſatisfeci deſiderio tuo atq; promiſsioni quam ego feci tibi, narrando videlicet de perfectione obedientiæ atque de imperfectione obedientiæ: & vnde procedit, & quid eſt illud, quod vobis aufert obedientiam. Nam eam expoſui pro quadam claui generali: & ſic eſt, & tibi narraui de particulari. Et de perfectis atq; imperfectis, tàm in religione quàm extra religionem, de quolibet apertè loquendo diſtinctè, & de pace quam exhibet obedientia, & de moleſtia quam irrogat inobedientia, & quantum inobediens decipit ſeipſum, addendo atq; declarando, quòd per inobedientiam Adæ mors venit in mundum. Nunc ego pater æternus, ſumma & æterna veritas cõcludo, patenter vos ex obedientia incarnati verbi, videlicet vnigeniti filij mei vitam æternam obtinere, & quòd ſicut omnes à primo veteri homine videlicet Adam, contraxiſtis interitum atq; mortem, ſic omnes qui volunt obedientiæ clauem ferre contraxerunt vitam ab homine nouo, videlicet Ieſu Chriſto dulciſsimo filio meo, de quo vobis feci põtem, poſtquàm via cœli facta fuit, vt tranſire poſsitis illæſi per iſtam dulcem atque rectam viam, quæ eſt vna lucida & rectiſsima veritas, cum claui ſalubris obedientiæ: & ita tranſitis illæſi per tenebras vitæ præſentis: & vltimò cum claui verbi mei cœlum inuenitis vobis apertum. Modò te cum cæteris amicis & ſeruis meis inuito ad fletum, quia cum

ſictu & oratione continua & humili, mundo volo facere miſericordiam. Curras ergo mortua per hanc viam veritatis, & poſtea minimè reprehenderis de motu lento, quia plus à te requiram nunc quàm antea, poſtquam tibi manifeſtaui meipſum in veritate mea. Et omnino caue, ne unquam egrediaris à cella notitiæ ſiue cognitionis tui, ſed in ipſa conſerues & expendas theſaurum à me tibi traditum: qui theſaurus eſt doctrina veritatis fundata ſuper firma Petra viua, videlicet vnigenito filio meo Chriſto dulci Ieſu: quæ doctrina veſtita eſt fulgentiſſima luce, per quam tenebræ deſtruuntur. Ipſa igitur induaris, in veritate, filia mea dulcis & amantiſſima.

QVOMODO HAEC ANIMA DEuotiſsima Deo valdè regratiatur, & orationem effundit affectuoſam pro ſancta Eccleſia, & vniuerſo mundo: Et virtutem fidei commendans, imponit finem huic operi.

CAPVT. CLXVII.

TVnc hæc anima deuotiſſima, poſtquam viderat cũ intellectus oculo, & mediante lumine ſanctiſſimæ fidei cognouerat veritatem, & excellentiam virtutis obedientiæ, ac ipſam recto ſenſu percepiſſet, & ipſam affectu deguſtâſſet, cum ineffabili deſiderio ſpeculando ſemetipſam in diuina maieſtate gratias referebat, dicens: Gratias tibi pater æterne, quia non deſpexiſti me

ſti me tuam facturam, nec auerdiſti faciem tuam à me, neque contempſiſti deſideria mea. Tu nanq; lux non attendiſti tenebras meas: tu vita non attendiſti mortem meam: neq; tu Medice vilipendiſti grauem infirmitatem meam. Tu puritas æterna non deſpexiſti me luto plenam atque miſerijs infinitis, tu infinite me finitam, tu ſapientia ſumma me ſtultam: propter hæc & alia mala plurima & defectus innumeros, qui ſunt in me, non contempſiſti me: neque me ſpreuit bonitas tua, ſapientia tua, clementia tua, bonum tuum infinitum & inæſtimabile. Sed in lumine tuo mihi lumen exhibuiſti, in ſapientia tua cognoui veritatem, in clementia tua inueni charitatem tui atque dilectionem proximi. Quis ergo te coëgit ad hæc? Non aliqua mea virtus, ſed ſolùm tua paterna charitas. Hic igitur idem amor te compellat, ad illuminandum oculum intellectus mei lumine fidei, vt intelligam & agnoſcam veritatem tuam mihi patefactam. Da mihi domine, vt memoria mea inueniatur capax ad retinendum beneficia tua. Voluntas ardeat igne dulciſſimæ tuæ charitatis, qui ſanctus ignis faciat corpus meum effundere, ſanguinem datum amore ſanguinis, & me claui ſalutaris obedientiæ portam cœli aperire. Iſtud idem expoſtolo pro qualibet creatura rationali, tàm in generali, quàm in particulari, & pro corpore myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ. Ego fateor, & non nego, quia tu dilexiſti me priuſquam eſſem: & quòd amas hominē ita quòd aſsimilaris quodāmodò illi, q; ex amore nimio infatuatur.

ſatuatur. O Deitas æterna. O æterna Trinitas, quæ per vnionem diuinæ naturæ feciſti tantum valere pretium ſanguinis vnigeniti filij tui. Tu Trinitas æterna, es quoddam mare profundum, in quo quantò plus quæro, plus inuenio: & quantò plus inuenio, plus quæro te. Tu quodammodò inſatiabiliter animam ſatias: quoniam in abyſſo tua, ita ſatias animam, quòd ſemper remanet eſuriens atque famelica. Te, Trinitas æterna, peroptans deſideransq́, te videre lumen in lumine tuo. Sicut ceruus deſiderat fontem aquæ viuæ, ita deſiderat anima mea corpus iſtud egredi tenebroſum, & in veritate videre te ſicut es. O quàm diu erit abſcondita facies tua ab oculis meis? O Trinitas æterna, ignis atque charitatis abyſſus, amodo diſſolue nubem huius mei corporis, quia cognitio quam dediſti mihi de te, in tua veritate arctat, & valdè me cogit optare depoſitionem grauedinis huius corporeæ, atque reddit auidam ad exhibendam vitam hanc, ad laudem & gloriam nominis tui: quia guſtaui & vidi cum lumine intellectus, in lumine tuo abyſſum tuam, æterna Trinitas, atque pulchritudinem creaturæ tuæ: propter quod induendo meipſam in te, vidi me fore tuam imaginem: donante videlicet mihi te pater æterne de potentia tua, & de ſapientia tua, intellectu, quæ ſapientia vnigenito tuo eſt appropriata. Spiritus verò ſanctus, qui procedit à te patre, & à filio tuo, dedit mihi voluntatem, per quam me facit aptam ad amandũ. Nam tu Trinitas æterna factor es, & ego factura: vnde cognoui te illuminante in recreatione, quam de me feciſti per ſanguinem vnigeniti

filij

filij tui, quòd philocaptus es de puchritudine facturæ tuæ. O abyſſus, ô Trinitas æterna, ô Deitas, ô mare profundũ: & quid maius mihi dare poteras quàm teipſum? Tu es ignis qui ſemper ardes, & non conſumeris, tu es qui cõſumis calore tuo quemcunq; proprium amorem animæ. Tu es iterum ignis qui tollis omnem frigiditatem, & illuminas mentes lumine tuo, cum quo lumine feciſti me cognoſcere veritatem tuam. Tu es illud lumen ſuper omne lumen, quòd das intellectus oculo ſupernaturale lumen, in tanta perfectione & abundantia, quòd etiam lumen fidei per ipſum magis clarificatur, in qua fide video meam animam habere vitam, & in iſto lumine recipit in ſe te lumen. Nam in lumine fidei acquiro ſapientiam, in ſapiẽtia verbi filij tui, in lumine efficior fortis, & conſtans, atq; perſeuerans: in lumine fidei acquiro ſpem, quòd non permittes me in via deficere. Item iſtud lumen docet me viam, per quam ambulem, & ſine iſto lumine, in tenebris ambularem. Et ideo petiui, pater æterne, quòd tu illuminares me lumine ſanctiſſimæ fidei. Verè lumen iſtud eſt unum mare quod nutrit animam quouſq; tota ſit in te. O mare pacificum Trinitas æterna, huius maris aqua non eſt turbida, & ideo non exhibet aliquem timorem: immo dat notitiam veritatis: hæc eſt aqua clariſſima, & res occultas apertè manifeſtat. Vnde vbi abundat lucidiſſimum lumen fidei tuæ, anima quaſi clarificatur de eo quod credit. Hæc eſt ſpeculum ſecundum quod tu Trinitas æterna me cognoſcere facis, quod dum amoris manu tenetur coram oculis animæ meæ, repræſentat me in te, quæ ſum creatura

tua. In huius lumine ſpeculi repræſentatur mihi, atq; cognoſco te ſummum bonum, bonum ſuper omne bonum, bonum fœlix, bonum incomprahenſibile, bonum inæſtimabile: pulchritudinem ſuper omnem pulchritudinem, ſapientiam ſuper omnem ſapientiam: quia tu es ipſa ſapientia, tu cibus angelorum cum igne charitatis te dediſti hominibus. Tu veſtimentum cooperiens nuditatem meam, paſcis nos famelicos tua dulcedine, quia dulcis es abſq; amaritudine quacunq;. O Trinitas æterna, in tuo lumine quod mihi dediſti, & recipi mediante lumine fidei ſanctiſſimæ cognoui, te declarante, per multas & admirabiles declarationes, viam magnæ perfectionis, vt cum lumine & non cum tenebris amodò tibi ſeruiam, atq; ſim ſpeculum vitæ ſanctæ: & ita reſurgam à miſerabili vita mea, qua ſemper in tenebris hùc vſq; tibi ſeruiui. Non enim agnoui veritatem tuam, & ideo non amaui eam. Sed quare te non agnoui? quia te non vidi. Quare verò te non vidi cum lumine ſanctiſſimæ atq; glorioſæ fidei? quia nebulæ proprij amoris obfuſcârũt oculum intellectus mei. Sed tu veritas æterna diſſoluiſti cum lumine tuo tenebras meas. Et quis poterit altitudinem tuam attingere & tibi referre gratias de tàm immenſo dono, & de tàm amplis beneficijs quæ mihi conceſſiſti, atq; de doctrina veritatis, quam mihi nunc exhibuiſti? Quæ quippe doctrina eſt vna gratia particularis vltra gratiam generalem, quam das alijs creaturis. Voluiſti namque condeſcendere neceſſitati meæ ac aliarum creatuarum, quæ in futurum tanquam in ſpeculo, in ea reſpiciendo ſpeculari deſiderabunt. Tu ergo domine,

pro

pro me tibimetipſi reſpondeas. Tu qui dediſti, ſatisfacias atq; reſpondeas pro datis, infundendo videlicet in me lumen vnum gratiæ, vt cum ipſo lumine tibi gratias referam; veſti me & fac, vt induam te veritatem æternam, vt ego curram hanc vitam, vtiq; mortalem, cum vera obedientia, & cum lumine ſanctiſſimæ fidei, de quo lumine videtur, quòd animam meam de nouo nunc inebries.

DEO GRATIAS AMEN.

ORATIONES QVAEDAM EX MVLTIS, PER BEATAM CATHARINAM DE SENIS SORОREM, de pœnitentia beati Dominici fundatoris ordinis fratrũ prædicatorum, ſolenniter canonizatam per ſummum Pontificem Pium ſecundum: dum ipſa eſſet in abſtractione à ſenſibus, factæ. Et à quibuſdam de verbo ad verbum, prout in ſuo vulgari ab ipſa Virgine ſacra proferebantur, in latinum collictæ.

ORATIO PRIMA IPSIVS BEAtiſſimæ Virginis, facta Auinioni, pro ſtatu Eccleſiæ, tempore rebellionis terrarum dictæ Eccleſiæ.

O Deitas, Deitas, ineffabilis Deitas. O ſumma Bonitas, quæ ſolo amore feciſti nos ad imaginem & ſimilitudinem tuam, non dicendo fiat, quando creâſti hominẽ, ſicut cũ feciſti cæteras creaturas, ſcilicet dicendo: Faciamus hominẽ ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, amor ineffabilis, vt in hoc tota Trinitas conſentiret: & dediſti ei formam ipſius Trinitatis in potentijs animæ. Memoriam in formam tui, pater æterne, qui ſicut omnia conſeruas in te, ita ipſa retinet & conſeruat quicquid intellectus videt & intelligit de te: & dum id cõgnoſcit participat ſapientiam vnigeniti tui. Dediſti etiam homini voluntatem Spiritus ſancti, quæ quaſi manus plena tuo amore leuans ſe, capit

capit quicquid intellectus noſcit de tua ineffabili bonitate, & implet memoriam & affectum de te, de quo gratias ago tibi propter infinitum amorem huius mūdi, quem oſtendiſti, donando nobis intellectum pro cognoſcendo te: memoriam pro conſeruando, te in ſe: & voluntatem & amorem pro diligendo te ſuper omnia, ſicut rationabile eſt: Et tantæ poteſtatis, vt amorē hunc neq; Dæmō, nec alia creatura in ſe rationem habens, poſſit nobis auferre inuitis. Pudeat itaq; hominem videndo tantum ſe à te diligi, non amare factorem ſuum, cuius viuere ſemper in te eſt. O æterna bonitas, in te video, quòd poſtquàm propter noſtram fragilitatem cecidimus in putredinem peccatorum, in obediente tibi primo patre, conſtrinxit te amor aperire oculum pietatis tuæ, mittendo nobis miſeris filium tuum verbum incarnatum velatum noſtra miſera carne, noſtra mortalitate veſtitum, Deum verum & Dominum Ieſum Chriſtum reconciliatorem, informatorem, & redemptorem noſtrum. Et quòd tu dulce verbum Ieſus, amor patris mediator factus es miſeriæ noſtræ cum creatore noſtro: faciens magnam pacem, puniens inobedientiam & iniquitates noſtras ſuper ſanctiſſimum corpus tuum, factus obediens vſq; ad opprobrioſam mortem crucis.

Satisfaciens ſimul iniuriæ patris tui, & culpæ noſtræ, vindicando eam ſuper temetipſo. Peccaui domine, miſerere mei, quocunq; conſiderando me verto, reperio amorem incompræhenſibilem ex te bone Ieſu, Deus meus, ad creaturam formæ tuæ: vnde excuſabilis non eſt, ſi te non diligat. Nam tu Deus & homo abſq; hoc, vt te dili-

gerē, cùm non eſſem, amâſti & feciſti me capacem notitiæ & infinitæ potentiæ & bonitatis tuæ. Et quicquid volo diligere quod habeat in ſe eſſe, reperio in te: peccatum autem quod non habet ſed priuat eſſe, non cadit in te. Et ideo dignum eſt odio non amore: ſi velimus Deum diligere vt tenemur, videremus in te tuam inæſtimabilem Deitatem: quòd ſi hominem, tu homo es indicibilis puritatis: & ſi velimus ad Deum dirigere zelum, tu ſoluiſti proprium ſanguinem redemptionis noſtræ, inæſtimabile pretium eripiendo nos de ſeruitute peccati. Tu es itaq; dominus, fuiſti pater, frater, magiſter, amicus et ſocius noſter, cōuerſando nobiſcū ex benignitate & inſuprabili charitate tua. O æterna Deitas, q̄d tibi ex his gratū ego miſera creatura retribuam: cùm ſummæ ſapientiæ infinitæ potentiæ & bonitatis exiſtas? Tu pulchritudo puriſſima, ego putridiſſima creatura. Ego mors, tu vita perennis. Tu lux ego tenebræ. Tu ſapientia, ego ſtultitia. Tu infinitus, ego caduca, quæ omni die fini proxima. Tu Medicus, ego infirma & fragilis peccatrix, quæ perdendo me & tempus mei decurſus inutiliter, extra te nunquam dilexiſſe te videor, qui traxiſti nos ad te, & ſemper ad te per gratiam retrahis, ſi permittimus, & noſtra voluntas tuæ maieſtati ſanctiſſimæ non rebellet. Heu me peccaui, domine miſerere mei: ne reſpicias æterna bonitas ad noſtras miſerias, quas ex nobiſipſis contraximus recedendo ac infinita bonitate tua, & animas noſtras à ſuo obiecto proprio remouendo: ſed oro per tuam miſericordiam quæ ſine fine eſt, aperi oculum tuæ ſummæ clementiæ & pietatis, & reſpice ad vnicā ſponſam

tuam,

tuam, aperiens oculum vicarij tui in terris, vt non amet te propter ſe, nec ſe propter ſe, ſed potiùs te & ſe propter te diligat: quia tùm amat te vel ſe propter ſe, perimus, quia ipſe vita, & mors noſtra, mors ſcilicet inquantum ſollicitus non eſt recuperare nos oues perditas. Sed ſi amet te & ſe propter te, viuimus, dum à bono paſtore exemplum vitæ recipimus; ô ſumma & ineffabilis Deitas, peccaui & non ſum digna orare ad te, ſed tu potes facere me dignam. Punias itaq; domine Deus meus peccata mea, & ne reſpicias miſeriam meam, unum corpus à te habeo quod tibi reddo & offero. Ecce carnem, ecce ſanguinem diffumatur, deſtruatur. Scindantur etiam & triturentur oſſa cum medullis meis: pro vicario ipſo ſponſo vnico ſponſæ tuæ: & alijs pro quibus oro, ſi fuerit in voluntate tua, pro quo vicario humiliter deprecor exaudiri, vt tuam voluntatem aſpiciat, amet, & faciat, ne pereamus. Da ei cor nouum Deus, vt ſemper creſcat in gratia tua, & ſit fortis in erigendo vexillum ſanctiſſimæ crucis, faciendo nos gratiæ participes & fideles, ſicut participamus & nos fructus ſalutiferæ paſſionis & ſparſi ſanguinis tui vnigeniti agni ſine macula. Peccaui domine, æterna Deitas, miſerere mei. Amen.

ORATIO SECVNDA EIVSDEM, pro Miniſtris Eccleſiæ.

CONſiteor æterna Deitas, te mare trãquillum eſſe, in quo, uelut piſces, nutriũtur animæ ex teipſo. qa videli-

videlicet requieſcunt in te per affectum & vnionem amoris, confirmando velle, altiſſimæ & æternæ voluntatis tuæ, quæ à nobis vult tantùm ſanctificationem noſtram: & ideo anima hoc reſpiciens & ſua ſe expolians, tuam tantùm induit voluntatem. Et hoc videtur eſſe optimum ſignum in te manentium, ſi exuti voluntate propria & creaturarum peccantium, velle tuum tuo nō ipſorum modo ſequantur, & ex proſperis mundi non gaudeant, ſed potiùs in aduerſis, quæ inter te & ipſos media ſunt: vt ſicut ignis aurum ita ipſa probent, an iudicent ipſi ſecundū voluntatem tuam more amantiū tantummodò. Et ideo aduerſa huiuſmodi amanda ſunt, ſicut cætera à te creata, quæ omnia bona ſunt, & diligi digna, excepto peccato, ꝙ à te non eſt, ſed ego miſera, diligendo peccatum ſemper perdidi tempus diuini obſequij. Peccaui domine, miſerere mei. Punias domine peccata mea, & iniquitates meas auerte. Purifica me æterna & ineffabilis Deitas, & exaudi ſeruam tuam orantem ad te, vt dirigas in te corda & voluntates miniſtrorum ſanctæ Matris Eccleſiæ ſponſæ tuæ, vt ſequantur agnum ſaginatū, pauperē, manſuetum & humilem per viam ſanctiſſimæ crucis, tuo cæleſti nō ipſorū more caduco. Sint itaq; creaturæ angelicæ & terreſtres angeli in hac vita, quia conficere & miniſtrare habent corpus & ſanguinem vnigeniti filij tui agni immaculati: ne ſint ſicut animalia ratione carentia ad hæc indigna, ſed vnias diuina pietate autor pacis, & balnea eos in tranquillo mari bonitatis tuæ, ita quòd non exſpectent vltra perdendo tempus vtile, ꝙ iam habent pro inutili quòd non habent. Peccaui domine, miſe-

miſerere mei. Audi domine vocem meam, & exaudi miſeram ſeruam tuam clamantem ad te patrem pijſſimum, & pro omnibus filijs, quos tradidiſti mihi, vt eos ſingulariter diligam, propter tuã charitatem immenſam, ſumme, æterne, & ineffabilis vere Deus. Amen.

ORATIO TERTIA PRO LEGAtione ſummi Pontificis: Et reformatione officialium Curiæ.

O Pater omnipotens æterne Deus, ô inæſtimabilis & dulciſſima charitas in te video, & corde teneo, quòd tu es via, veritas & vita, propter quam oportet accedere omnem hominem venturum ad te, quam tua ineffabilis dilectio dirigit & format de vera notitia ſapientiæ vnigeniti filij tui domini noſtri Ieſu Chriſti. Tu es ille æternus & incompræhenſibilis Deus, qui mortua humana generatione propter ſuæ fragilitatis miſeriam, ſolo amore & clementiſſima pietate motus, miſiſti nobis ipſum verum Deum & dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, noſtra mortali carne veſtitum, & voluiſti, quòd non veniret cum delectatione, & pompis huius caduci ſeculi, ſed cum anguſtia, penuria, & tormentis: & ipſam tuam ſciens, & faciens voluntatem pro noſtra redemptione, ſpretis mundi periculis, & inimici obſtaculis, vt mortem morte vinceret, factus obediens vſq; ad mortem acerbiſſimam crucis. Nunc quoque ô amor incompræhenſibilis, tu idem es, qui mittendo vicarium tuum, ad recuperandum filios mortuos,

tuos,per receſſum ab inobedientia ſanctæ Matris Eccleſiæ vnicæ ſponſæ tuæ,mittis eum cum anguſtia & periculis,quemadmodùm miſiſti dilectum filium tuum redemptorem noſtrum ad liberandum ipſos filios mortuos à pœna inobedientiæ,& morte peccati,& fragiles homines creaturæ tuæ iudicant prauo & præſumptuoſo iudicio, & affectu carnis in contrariam partem, vt voluntatem tuã & fructum ſalutis eorum ab inimico decepti impediant, & ipſum tuum in terris vicarium à tàm ſalutifera tua legatione diuertant. O amor æterne, iſti non timent mortem animæ ſed corporis,& iudicant ſecundũ ſenſum,& amorem proprium,non ſecùndum verum iudicium tuum profunditatem ſapientiæ maieſtatis tuæ. Tu poſitus es pro regula noſtra,& porta,per quam oportet nos tranſire: & ideo in laboribus & anguſtijs gaudere debemus,ſicut tu dixiſti,quia ad hoc nati ſumus, & mundus & caro noſtra miſerrima non niſi amaritudinis fructus producunt,ex tua admirabili prouidentia, vt de eis non gaudeamus nec in eis ſperemus: ſed de fructu ſalutis,& tuis donis cœleſtibus gloriemur. Benè itaq; debet gaudere vicarius tuus dum ſequitur velle tuum,& iuſtitiam Ieſu Chriſti qui diſuenauit, aperuit, & diſſoluit ſanctiſſimum corpus ſuum propter nos, & dedit ſuum ſanguinem,vt lauaret peccata noſtra,& vt ſalutem nobis ſua ineffabili pietate captaret: & ipſi vicario tuo dedit claues ligandi & ſoluendi animas noſtras, vt voluntatem tuam & eius veſtigia ſequeremur. Pro quo ſanctiſſimam tuam clementiam ſuppliciter oro,vt purifices eum, ita vt cor ſuum ardeat ſancto deſiderio recuperandi membra deperdita,ita vt ea recuperet per auxiliũ

excelſæ

excelſæ potentiæ tuæ: & ſi tarditas ſui tibi amor æterne diſplicet, punias propter eam corpus meum, quod tibi offero: & reddo vt illud flagellis afficias, & deſtruas prout fuerit in voluntate tua. Peccaui domine, miſerere mei. Tu Deus æterne, tu es philocaptus de factura tua cum ineffabili gratia & clementiá tua: & ideo tuum vicarium mittis vt eam pereuntem recuperet, de quo ego indigna & miſera peccatrix gratias ago tibi: ô infinita bonitas, & inæſtimabilis charitas verus Deus, pudeat hominem filium Adæ, quem ſolo amore à morte tui vnigeniti redemiſti, non ſequi voluntatem tuam, qui non vis niſi ſanctificationem noſtram; da Deus æterne, qui ex charitate diuina homo factus es, ex amore vnitus es nobis, & mittis iam nobis vicarium tuum ad miniſtrandum nobis ſpirituales gratias ſanctificationis noſtræ, & perditorum filiorum recuperationis, vt ipſe tantummodò voluntatem tuam ſequatur, non acquieſcat cõſilijs carnis iudicantis ſecundũ ſenſum & amorem ꝓpriũ, nullisq; aduerſitatibus terreatur. Et quia omnia deficiũt, niſi in te ſumme Deus, non reſpicias peccata mea propter quæ clamo ad te, ſed exaudi ſeruam tuam propter clementiam tuæ inæſtimabilis charitatis. Tu recedendo à nobis, non dimiſiſti nos orphanos, ſed dimiſiſti nobis vicarium tuum, qui dat nobis Baptiſmum Spiritus ſancti, & non tantùm ſemel, ſicut Baptiſmo atque loti ſemel ſumus: ſed ſemper lauat nos per ſanctam pœnitentiam, & peccata noſtra aſtringit. Tu cum improperijs veniſti ad nos, & nos recedendo à te, iudicamus ſecundum carnem & amorẽ proprium. Tu es pallidus, quia creaturæ tuæ ſemper vacuant gratias tuas. Spoliando vnicam

ſponſam

ſponſam tuam. Fac igitur æterna pietas, vt vicarius tuus ſit commeſtor animarum, & tui honoris ſancto deſiderio ardens, & adhærens tibi ſoli, quia tu es alta & æterna bonitas, abſterge per eum infirmitates noſtras, reintegra ſponſam tuam ſuo ſalutari conſilio & operibus virtuoſis. Reforma etiam, æterne Deus, vitam iſtorum ſeruorum tuorum aſtantium, vt ſequantur te ſolum Deum in corde ſimplici, & voluntate perfecta: & non reſpicias mei miſeriam quæ oro pro ipſis: ſed planta eos in viridario voluntatis tuæ. Benedico te pater æterne, vt benedicas hos famulos tuos, vt fiant deſpectatores ſui ipſius propter te, & ſequantur ſolam puritatem uolũtatis tuæ, quæ ſola æterna & perpetua eſt, pro quibus omnibus gratias ago tibi.

ORATIO QVARTA EIVSDEM, IN abſtractione poſt communionem facta, die Veneris. 18. februarij. Anno M. CCC. LXXIX:

O Alta & æterna Trinitas, & amor inæſtimabilis. Et ſi tu vocas me filiã, ego dico te eſſe ſummũ & æternum patrem. Et ſicut tu tribuis mihi temetipſum, cõmunicando mihi corpus & ſanguinẽ vnigeniti dilecti filij tui, in quo das mihi totum te Deum & hominem, ſic, ô amor inæſtimabilis, peto quòd cõmunices me corpore myſtico ſanctæ Matris Eccleſiæ: et vniuerſali corpore Chriſtianæ religionis. In igne enim tuæ charitatis noui quòd in hoc cibo vis animam delectari. Tu inæſtimabilis amor vidiſti, & cognouiſti me in te, & quia in tuo lumine me uidiſti. Ideo philocapt⁹ pulchritudine creaturæ

turæ tuæ ex amore ipſam de te traxiſti, & creâſti illã ad imaginem & ſimilitudinem tuam. Ego autem creatura non cognoſcebam propter hoc te in me, niſi in quantum videbam imaginem ipſam & ſimilitudinem tuam in me. Sed vtinam & ego viderem & cognoſcerem te in me. Et ſic, vt de te omnes perfectam cognitionem haberemus, vel habere poſſemus, vniſti te nobis, deſcendendo à ſumma altitudine Deitatis tuæ, vſque ad vltimum lutum humanitatis noſtræ: quia enim imbecillitas intellectus mei non poterat comprehendere, immo nec intueri altitudinem tuã, ideo vt paruitate mea capere poſſem ipſam tuam altitudinem, paruulum te feciſti, includendo magnitudinem Deitatis tuæ in paruitate noſtræ humanitatis: & ſic manifeſtâſti te nobis in verbo vnigeniti tui: ſic ergo cognoui te in me, ô abyſſus charitatis. In hoc igitur verbo, ô alta & æterna Trinitas, inæſtimabilis amor manifeſtâſti te, & veritatem tuam nobis, maximè in effuſione ſanguinis ſui, quia tunc vidimus potentiam tuam: quia potuiſti nos in ipſo ſanguine lauare à culpa noſtra, & cognouimus etiam ſapientiã tuam: quia eſca humanitatis noſtræ qua operuiſti hamum tuæ diuinitatis, cœpiſti Dæmonium, auferendo ab eo dominium quod habebat ſuprà nos. Iſte ſanguis oſtẽdit nobis etiam charitatem, quia ex ſolo igne amoris nos taliter redemiſti, cùm non indigeas nobis: & ſic patefacta eſt nobis veritas tua, quòd videlicet creâſti nos, vt nobis vitam æternam largireris. Iſtam quoque veritatem nouit creatura tua per ipſum ver-

bum vnigenitum tuum, ante enim non poterat videre veritatem iſtam, quia caligauerat oculus eius obfuſcatus velamine culpæ. Erubeſce, erubeſce creatura, à Deo tuo tàm & taliter exaltata ac honorata, non nôſſe Deum inæſtimabili amore charitatis ſuæ, deſcendiſſe ab altitiudine Deitatis, vſque ad infimum lutum humanitatis tuæ, vt cognoſceres eum in te. Peccaui Domine, miſerere mei. O quàm admirabile eſt quòd cùm cognoſceres creaturam tuam in te, antequam eſſet: & prauideres ipſam operaturam iniquitatem, & veritatem tuam minimè ſecuturam, nihilominus creâſti ipſam. O amor inæſtimabilis. Et cui dicis tu: ô anima mea dico tibi: ô Pater æterne: Supplico clementiſſime Pater, quatenus communices nos, & omnes ſeruos tuos igne charitatis tuæ. Et diſpone omnes ad recipiẽdum orationes & doctrinam quæ ex tuo lumine & charitate funduntur, aut fundi debent. Veritas tua dixit: quærite & inuenietis: petite & accipietis: pulſate et aperietur vobis. Ego miſerrima pulſo ad oſtiũ veritatis tuæ. Clamo in conſpectu maieſtatis tuæ, et peto ad aures tuæ clemẽtiæ miſericordiã pro mundo, et ſingulariter ꝓ ſancta Eccleſia, quia per doctrinam verbi cognoui, quòd continuè paſcar de hoc cibo. Et poſtquã ſic placet tibi, non ſinas me fame perire. O anima mea, quid facis? an ignoras te continuò videri à Domino Deo? Scias te nunquam poſſe ab oculo eius abſcondi, cui nihil occultum eſt, benè poteſt aliquando abſcondi ab oculo creaturæ, nunquam autem à ſuo. Pone ergo

finem,

ſinem, & terminũ iniquitatibus tuis, & excita temetipſam. Peccaui Domine, miſerere mei: tempus eſt iam à ſomno ſurgere. Tu Trinitas æterna, vis quòd excitentur creaturæ tuæ. Et ſi non ſurgimus in proſperitate mittis aduerſitatem: & vt perfectus Medicus cum igne tribulationum incendis vulnera, quando non iuuat, nec prodeſt vnctio conſolationis & proſperitatis. O Pater æterne. O charitas increata. Ego ſum plena admiratione, quia cognoui in lumine tuo, quòd tu vidiſti & cognouiſti me, & quaſcunque rationabiles creaturas generaliter ac particulariter, priuſquam nobis eſſe dediſſes, & ſimiliter vidiſti primum hominem Adam. Nôſti etiam culpam ſecuturam inobedientiæ ſuæ in eo particularem, & in aliis generalem, qui erant ſecuturi poſt eum. Et cognouiſti, quòd culpa impediebat veritatem tuam: Immo impediebat creaturas rationales, vt non adimpleretur in eis ſcilicet non perueniendo ad finem ad quem eas creaueras. Vidiſti etiam in te pœnam ſecuturam verbo filio tuo, vt reſtitueret humanum genus gratiæ, & veritas tua compleretur in nobis. In quo lumine noui, quòd omnia prauidiſti. Quomodo ergo, Pater æterne, creâſti hanc creaturam? Ego de hoc ſtupefecta ſum valdè, verè video quia indicas mihi quòd ex nulla alia cauſa hoc feciſti, niſi quòd cũ lumine tuo vidiſti te cogi ab igne charitatis tuæ ad creandũ nos, nõ obſtantibus iniquitatibus, quas commiſſuri eramus contra

te æternum patrem. Ignis ergo charitatis te coëgit. O amor æterne, licet in lumine tuo videres oẽs iniquitates quas factura erat creatura tua contra te bonitatem infinitam, tamen finxiſti te non videre: ſed ſolummodò finxiſti & firmâſti zelum tuum in pulchritudinem creaturæ, de qua velut infatuatus & ebrius philocaptus es, & ex amore ipſam ex te traxiſti, dando ei eſſe ad imaginem & ſimilitudinem tuam. O veritas æterna, tu declarâſti mihi indignæ ſeruæ tuæ veritatem tuam, quòd videlicet amor coëgit te ad creandum ipſam: quamuis videres quòd offenſura erat te, noluit charitas tua quòd figeres oculum in hac viſione, immo auertiſti oculos tuos ab ipſa offenſa, & finxiſti ſolũmodò in pulchritudine creaturæ; ſi enim principalem viſionem poſuiſſes in futuram offenſam, oblitus fuiſſes amoris quem habebas ad creãdum hominem. Non enim hoc fuit abſconſum tibi, ſed firmâſti te in amore, quia nil aliud es quàm ignis amoris. Et ego ex defectibus meis nunquam te cognoui. Sed cõcede ex gratia, amor dulciſſime, quòd fluat ſanguis de corpore meo, pro honore nominis tui, nec vlterius maneam induta me. Recipe etiam, æterne pater, hunc qui me communicauit. Exue eum ſe, & ab ipſomet ſolue eum, & veſti eum æterna volũtate tua, ac ipſum in te liga cum inſolubili nexu, vt ſit odorifera planta in viridario ſanctæ Eccleſiæ. Largire quæſo, clementiſſime pater, dulcem benedictionem tuam, & in ſanguine filij tui ablue facies animarum noſtrarum. O amor, ô amor, ego peto quòd des mihi mortem.

ORA-

ORATIO QVINTA EIVSDEM, facta in die ſancti Thomæ Apoſtoli.

DEitas, Deitas, æterna Deitas, verus amor, qui per vnionem humanitatis verbi tui Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnipotenti Deitate tua, dediſti nobis deperditis lumen ſanctiſſimæ fidei, quæ eſt pupilla oculi intelligentiæ noſtræ, qua videmus & noſcimus verum obiectum animæ, tuam videlicet inæſtimabilem Deitatem: & feciſti ipſum filium tuum Dominum noſtrum ſacrificium tibi immaculatum pro nobis, ponens eum lapidem angularem, & columnam firmiſſimam ſtabilitatis ſanctæ Matris Eccleſiæ vnicæ ſponſæ tuæ: Quiq; ab olim diſpoſuiſti renouare ipſam Eccleſiam nouis & fructuoſioribus plantis, ex tunc nullus potuit infringere tuam ſanctiſſimam voluntatem, quæ æterna & incommutabilis eſt. Ne reſpicias peccata noſtra, quibus indignam me recognoſco orare ad te, ipſaq; peccata noſtra tua clementiſſima pietate abſterge hodie per virtutem huius ſancti Apoſtoli Thomæ, & purifica animam meã, amor meus, ſumme Deus: & Exaudi ſeruam tuam clamantem ad te, & quia ignis continuò vrens es, nũquam tamen tibi grata conſumens, licet conſumas ſemper quicquid habet anima extra te. Vre igne ſpiritus tui, & conſume ac eradica funditus omnem amorem & affectum carnis de cordibus nouellarum plantarum, quas inſerere dignatus es corpori myſtico,

eiuſdem ſanctæ Matris Eccleſiæ. Transferas de mundanis affectibus in viridarium affectus tui, & da eis cor nouum cum vera notitia voluntatis tuæ, vt iſti deſpectores mundi, & ſui ipſius, ac proprij amoris effecti. Imbutiq́; verò feruore amoris tui, ac facti fidei zelatores, & virtutum propter te, relictis fallacibus cupiditatibus, & pompis huius caduci ſeculi, ſequantur te ſolummodò propter te, cum puritate mundiſſima, & feruida charitate. Itaq; director noſtræ ſalutis. Sponſus hic nouus eiuſdem Eccleſiæ tuo ſemper dirigatur conſilio. Mundos & puros tantùm promoueat, receptet & audiat, & aliæ plantæ tuæ nouiſſimæ, ſicut Angeli tibi aſſiſtunt in cœlis, ita aſſiſtant Domino noſtro, vicario tuo in terris, in reformationem eiuſdem ſanctæ Matris Eccleſiæ ſecundum cor tuum in corde ſimplici, & actione perfecta: ac reputent ſe, prout ſunt, inſertos nouiter corpori Domini noſtri Ieſu Chriſti, à quo ſuperfluos & infructuoſos quoſdam ramos tua admirabili prouidentia, & abſque myſterio hominis abſcidiſti. Et cum ipſo Ieſu iam naſcente & proficiente virtutibus, & ætate nati, & ipſi eidem Eccleſiæ ſimiliter proficiant exemplis & moribus virtuoſis, vt ſicut noua inſerta flores magis odoriferos & fructus amœniores, naturali à te tradita diſpoſitione, producunt, ita etiam reſecatis moribus omnis carnalis affectus tuo cœleſti dono, quo ſanctos Apoſtolos rore ſancti Spiritus perfudiſti, inſerantur eis nouellæ virtutes, reddentes tibi ſuauitatem odoris, & ipſi ſanctæ Eccleſiæ reddant amœnitatem virtuoſorum

ſorum

ſorum actuum,& operis fructuoſi, vt ſit reformata in eis tua ſponſa. O amor æterne, purifica hunc vicarium in ſe, vt innocens exemplum puritatis & innocentiæ aliis tribuat, in tua conſpectu gratiæ deſeruiat, populum ſibi ſubiectum inſtituat. Hûc etiam infideles attrahat cœleſtibus diſciplinis, & fructus æternæ ſalutis offerat tuæ incomprahenſibili maieſtati: pro quibus omnibus, vt exaudire digneris, ego miſerabilis gratias ago tibi, ſumma bonitas, vere Deus.

ORATIO SEXTA EIVSDEM, FActa in die cathedræ ſancti Petri Apoſtoli.

AD te ô ſuperne Medice, & amor inæſtimabilis animæ meæ vehementer ſuſpiro ad te, Trinitas æterna & infinita, ego finita proclamo, in corpore myſtico ſanctæ Eccleſiæ, vt deleas omnem maculam animæ meæ per gratiam, & non tardes vlterius. Sed per merita huius conductoris nauiculæ tuæ ſcilicet ſancti Petri. Cum igne charitatis, & profunditate abyſſus æternæ ſapientiæ expectanti auxilia, tuæ ſponſæ ſuccurre. Et ne deſpicias deſideria ſeruorum tuorum, ſed iam conducas nauiculam ipſam actor pacis, & ad te ordines ſeruos tuos, vt reſolutis tenebris appareat aurora lucis plantatorum in Eccleſia tua, ex deſiderio puro ſalutis animarum. Benedictum ligamen quod, benigniſſime Pater, nobis tribuiſti, quo poſſimus manus iuſtitiæ tuæ ligare, videlicet orationem humilem & fidelem cum ignito

deſiderio ſeruorum tuorum, quibus mediantibus promittis miſereri mundo. Regratior tibi alta & æterna Deitas, quia promittis citò dare refrigerium ſponſæ tuæ: & ego nouiter intrabo viridarium eius, & nunquam egrediar, quouſq; impleas promiſſa tua, quæ nũquam fuerunt niſi vera. Dele itaq; peccata noſtra hodie, vere Deus, & laua facies animarum noſtrarũ ſanguine vnigeniti filij tui diſperſo pro nobis, vt ſi claro vultu, & integris animis reddamus ei paſſionis vices, mortui nobis, viuendo ſibi. Exaudi etiam nos orantes pro cuſtode huius tuæ cathedræ, cuius feſtum colimus vicario tuo, vt facias eum qualem tui ſucceſſorem huius vetuelli Petri vis eſſe: & des ei modos neceſſarios Eccleſiæ tuæ: confiteor te promiſiſſe citò cõpleturum deſideria mea. Igitur confidentiùs oro, ne tardes vlteriùs, Deus meus, promiſſa complere. Et vos dulciſſimi filij, cùm nunc ſumus ad manus tempus eſt laborandi pro Eccleſia Chriſti, vera matre fidei noſtræ: propterea hortor, vt vos iam plantati in ipſa Eccleſia ſitis velut columnæ ipſius, & communiter omnes cum feruore orationis, & opere actionis, pulſis amore proprio & omni pigritia, laboremus in hoc viridario ſaluificæ fidei, vt perficiamus voluntatem Dei æterni, qui nos vocauit ad hoc pro noſtra, & aliorum ſalute, & pro vnitate ipſius Eccleſiæ, in qua ſalus eſt animarum noſtrarum.

ORA-

ORATIO SEPTIMA EIVSDEM, facta die Dominico. 20. februarij. Anno M. CCC. LXXIX.

Fateor æterne Deus, fateor æterne Deus, alta & æterna Trinitas, quòd tu vides & cognoſcis me, & hoc in lumine tuo vidi: confiteor æterne Deus: & video quòd vides neceſſitatem dulciſſimæ ſponſæ tuæ, & bonam voluntatem vicarij tui: quid eſt ergo quod impedit, quod non proſequatur eum per effectum bonorum operum, in lumine tuo vidi quòd hæc noſcis, quia nil abſconditum eſt oculo tuo: in eodem lumine video, quòd in te prævidiſti remedium, quòd poſtmodùm dediſti filio tuo mortuo ſcilicet humano generi, quod remedium fuit verbum vnigenitum tuum: prævidiſti etiam pro eodem mortuo filio tuo aliud remedium. Scilicet reſeruare cicatrices in corpore ipſius verbi, vt continuè clamarent pro nobis miſericordiam coram maieſtate tua: in lumine tuo vidi, quòd ex igne charitatis reſeruâſti eas in corpore ſuo, & non ſunt impeditæ ipſæ, neque color ſanguinis propter corpus glorificatum, nec ipſæ corpus glorificatum impediunt: In temetipſo igitur prævidiſti remedium opportunum, videlicet reſeruare cicatrices in corpore: & ſic principale remedium prævidiſti reconciliationis creaturæ tibi creatori per verbum ſimiliter, & hoc vidiſti. In tuo lumine vidi & noui quòd prævidiſti hæc omnia, quia cum ipſo, & in ipſo video, & abſq;

abſq; illo eſt ambulare in tenebris. O dulcis amor, tu vidiſti in te neceſſitatem ſanctæ Matris Eccleſiæ, & remedium quo indiget, & ipſum remedium tribuiſti, videlicet orationem ſeruorum tuorum de quibuſuis, quod fiat murus cui apodietur murus ipſius Eccleſiæ ſponſæ tuæ, quibus clementia tua Spiritus ſancti miniſtrat ignita deſideria reformationis eiuſdem. Similiter video, quòd præuidiſti peruerſam legem meã, & cuiuſcunq; rationalis creaturæ, quæ lex ſemper eſt apta obuiare & rebellare voluntati tuæ: & vidiſti q ipſam ſecuturi eramus. Verè video, quòd nôſti fragilitatem huius naturæ noſtræ humanæ, quàm ſcilicet debilis eſt, quàm fragilis, quàm etiam miſera. Et ideo tu ſummus prouiſor in omnib. prouidiſti, tu ſummus remediator, qui in omnibus ei remedio fuiſti, dediſti nobis arcem & fortitudinem voluntatis, ſociando eam cum hac debilitate carnis, quæ voluntas tàm fortis eſt, vt nec Dæmoniũ, neq; alia aliqua creatura præualeat aduerſus eam, niſi per liberum arbitrium, in cuius manibus poſita eſt hæc voluntas, aſſentiat. O æterna bonitas. Et vnde tanta fortitudo in voluntate creaturæ tuæ, niſi à te ſumma & inſuperabili fortitudine? Vnde video quod participat fortitudine voluntatis tuæ? quia ex voluntate tua ipſam dediſti nobis. Quare videmus quòd tunc eſt verè fortis voluntas hominis, dum ſequitur voluntatem tuam, debilis autem, quando diſcedit ab ipſa, quia vt dictum eſt, de tua voluntate creâſti, ideo in tua manens eſt fortis. Hæc omnia in lumine tuo noui in volun-

luntate noſtra. Et ſic æterne Pater indicas & demõ-ſtras fortitudinem voluntatis tuæ. Si enim in paruulo membro tanta eſt fortitudo, quantam æſtimabimus eſſe tuam, qui creator & gubernator es omnium? Vnde video in lumine tuo? Videlicet quòd iſta voluntas tua, quam dediſti nobis liberam poſitam in manu liberi arbitrij. Videtur quòd roboretur à lumine fidei, quia cum ipſo lumine noſcit homo in lumine tuo æternam voluntatem tuam, quam videt nõ velle niſi ſanctificationem noſtram: ita quòd lumen facit creſcere & roborare voluntatem, quæ nutrita à lumine ſanctiſſimæ fidei viuificat opera hominum. Vnde patet, quòd nec voluntas vera, neq; viua fides poteſt eſſe abſq; opere: hoc lumen alit & auget lumen in anima: quia non poteſt guſtare ignem charitatis tuæ, niſi lumen oſtendat ei dilectionem tuam erga nos. Tu ergo lumen es materia ignis, quia nutris & facis creſcere ipſum in anima, vt ligna augmentant & faciunt creſcere ignem materialem. Tu lumen auges charitatem in anima, quia oſtendis ei diuinam bonitatem, & ipſa charitas nutrit te in ipſa: quia optat cognoſcere Deum ſuum, & tu vis ſatisfacere ei. O prouiſor optime, tu noluiſti quòd homo iret in tenebris, nec maneret in moleſtia. Et ideo prouidiſti ei de lumine fidei, quod patefacit iter, & tribuit ſummam pacem. Non ſinit animam perire fame, nec manere nudam, aut eſſe pauperem: Quia paſcit eam de cibo gratiæ: faciendo guſtare ſibi in

affe-

affectu charitatis tuæ cibum animarum, induit ipſam veſte nuptiali ſcilicet charitatis, & æterna voluntate tua, & tribuit ei diuitias æternas. Peccaui Domine, miſerere mei: quia propter tenebras peruerſæ legis meæ, quam ſum ſemper ſecuta, caligauit oculus intellectus mei. Ideo non cognoui te lumen verum, tamen placuit igni charitatis tuæ illuminare me tuo lumine vero. In lumine tuo oſtendiſti mihi, quòd præuidiſti culpam, quam perpetraturus erat homo: & remediũ culpæ, id eſt, redemptionem, quam poſtmodùm feciſti per verbum, & quòd præuidiſti fragilitatem hominũ, & remedium contra ipſam ſcilicet excellentiam voluntatis data nobis à te ſumma altitudine. Sed quid eſt quod ducit & alit eam? lumen ſanctiſſimæ fidei. Hoc lumen eſt principium, medium, & finis cuiuſcunq; perfectionis. Ipſum lumen eſt quod conſeruat & auget perfectionem in anima: hoc etiam lumen perficit charitatem in ipſa: & ipſa eum augmentat & conſeruat, vt dictum eſt. O Deus æterne, ô amor inæſtimabilis charitatis, tota eſt impaſtata tecũ creatura tua, & tu cum ipſa per creationem, per fortitudinem voluntatis, per ignem ex quo creâſti eam, per lumen naturale quod dediſti ei, quo videt te verum lumen, exercendo illud cum fame realium virtutum, propter gloriam & laudem nominis tui. O lumen ſuper omne lumen. O bonitas quæ omnem ſuperas bonitatem. O ſapientia ſuperans omnem ſapientiam. O ignis qui omnem ignem excedis. Et hæc omnia es, quia tu ſolus es ille qui es, & nihil aliud eſt aliquid à ſe, niſi

in

in quantũ à te habet eſſe. O cæca et miſerabilis anima mea, non digna quòd de te vnâ cũ aliis ſeruis Dei fiat murus in ſubſidium ſanctæ Matris Eccleſiæ: ſed potiùs plantari in vẽtre cuiuſdam animalis bruti, quia ſemper opera animalium operata es. Gratias, gratias ago tibi æterne Deus, qui non obſtantibus iniquitatibus meis, dignaris me ad ſupradicta eligere. Supplico igitur, quod ex quo tu ſpiras in cordibus ſeruorum tuorum anxia & ignita deſideria pro reformatione ſpõſæ tuæ, & facis eos pro ipſa inceſſabili voce clamare, vt exaudias clamorem tuum. Conſerua etiam & auge bonam voluntatem vicarij tui, & concede, vt in eo impleatur vera perfectio: & ſimiliter ſupplico & oro pro omnibus rationalibus creaturis, ſed maximè pro illis quos poſuiſti ſuprà dorſum meum, quos vt debilis & inſufficiens reddo tibi. Nolo quòd peccata mea impediant eos, quæ ſemper ſum ſecuta peruerſam legẽ, affectum videlicet carnis, ſed opto & oro, quòd facias ipſos ſequi te cum perfectione, vt mereantur aſſequi iuſtas preces quas fundunt, & fundere debent pro ſalute totius mundi, & reformatione Eccleſiæ tuæ. Peccaui, peccaui Domine, miſerere mei: parce Domine, parce mihi miſerabili & ingratæ gratiarum. Fateor æterne Deus, quòd bonitas tua conſeruauit me ſponſam tuam, quamuis infidelis ſemper fuerim tibi ex defectibus meis. Peccaui Domine, miſerere mei.

ORA-

ORATIO OCTAVA EIVSDEM, facta Romæ die Martis. 20. februarij. Anno M. CCC. LXXIX.

O Deus æterne, ô Deus æterne, ſis, ſupplico, pius nobis: et ſi tu dicis, ô alta & æterna Trinitas, quòd pietas quæ germinat miſericordiã eſt tibi propria, cum ipſa miſericordia propria tibi ſit, quæ non eſt abſque pietate, ex pietate enim miſereris noſtri. Ego confiteor & concedo: video enim quòd ex ſola pietate dediſti verbum tuum pro redemptione noſtra, quæ pietas ſumpſit exordium à fonte amoris, cum quo creaueras creaturam tuam. Et quia valdè placebat tibi. Ideo poſtquam perdiderat veſtem innocentiæ, motus fuiſti induere ipſam gratia tua, reducendo eã ad priſtinum ſtatum, non tamen abſtuliſti ab ea libertatem offendendi, ſed conſeruâſti ei liberum arbitrium, & legem peruerſam, quæ ſemper pugnat contra Spiritum, quam imitando apta eſt ad cadendum in culpam peccati. Poſtquam ergo tu pius es Deus æterne, vnde hoc quod homo eſt tam crudelis ſibimetipſi? Maiorem enim crudelitatem non poteſt contra ſe exercere, quã cum culpa occidere ſemetipſum: Ipſe eſt pius ſenſualitati, cum qua pietate maximam crudelitatem contra animam vtitur: & etiam contra corpus, quia corpora damnatorum ſimul cum anima punientur. Hoc video quod à nullo alio procedit, niſi priuatione luminis: quia non cognouit pietatem

tem tuam in nobis. Vnde et propter hoc oſtendis tu, ꝙ nihil prodeſſet homini pietas tua abſq; pietate ſua. Ex hoc autem patet, quòd creâſti hominem abſq; eo, ſed ſine eo non vis ſaluare ipſum. Vis ergo pie & miſericors Pater, quòd homo reſpiciat immenſam pietatem tuam, vt diſcat primò eſſe pius ſibimetipſi, & poſtmodũ ſimiliter proximo ſuo iuxtà illud. Charitas incipit à ſeipſo. Itaq; vis quòd anima reſpiciat pietatem, vt auferatur ab ea crudelitas ſua, & quòd capiat cibum ꝙ habet alere eam, & tribuere ei vitam. O Deus æterne. O ignis & abyſſus charitatis, oculus tuus reſpicit ſuper nos. Vt autem creatura tua videat quod ſic eſt, videlicet ꝙ finxiſti ſuper nos oculos miſericordiæ, et pietatis aut iuſtitiæ, & hoc ſecũdũ opera vniuſcuiuſq;. Dediſti ei vt videret oculum intellectus. Vnde manifeſtè patet, ꝙ omne malum procedit à priuatione luminis, & omne bonum prouenit nobis à lumine: vnde enim poteſt diligi, quod non videtur: & videre quicquam abſq; lumine nemo poteſt. O Deus æterne. O pie & miſericors Pater ſis pius nobis, & miſerere noſtri. Sumus enim cæci, & abſq; lumine, præcipuè ego miſera miſerabilis, propter quod fui ſemper mihimetipſi crudelis. Cum illo oculo pietatis, quo nos & cuncta creâſti, reſpice neceſſitatem mundi, et ipſi mundo prouideas. Tu dediſti nobis eſſe de nihilo, illuſtra ergo, ſupplico, hoc eſſe quod tuum eſt. Tu dediſti lucem Apoſtolorum temporibus opportunis huic mundo: hoc igitur tempore quo maximè indigemꝰ, in lumine ſuſcita vnum Paulũ qui vniuerſum mundũ illuminet, et cũ

vela-

velamine miſericordiæ tuæ aperi & claude oculum iuſtitiæ, & aperi oculum pietatis cum vinculo charitatis, liga teipſum & cum eodem placa iram indignationis tuæ. O dulce & ſuaue lumen, ô principium & fundamentum noſtræ ſalutis, quia cum lumine tuo vidiſti neceſſitatem noſtram. Ideo in ipſo lumine videmus æternam bonitatem tuam, quam cognoſcendo diligimus. O vnio & ligamen tui creatoris in creaturam, & creaturæ in te creatorem, cum fune charitatis tuæ ligâſti eam, & cum tuo lumine dediſti ei lumen. Vnde ſi aperit oculos intelligentiæ ſuæ, cum deſiderio cognoſcendi te cognoſcit. Nam lumen tuum intrat in omnem animam aperientem ei ianuam voluntatis. Manet enim ad oſtium animæ, & mox vt aperietur ſibi, intrat in illam: ſicut ſol percutiens in feneſtra clauſa, quæ cùm aperta eſt, illicò intrat in domum, & illam illuſtrat, ita oportet quòd creatura tua habeat voluntatem cognoſcendi te, cum qua aperiat oculum intelligentiæ: quo aperto immediatè tu verus ſol intras & illuſtras eam: Et illuminando quid operaris tu lumen pietatis intùs in anima? Expellis tenebras & infundis lucem. Extrahis humidum proprij amoris calore tuo, & remanet ei ignis charitatis tuæ. Facis cor liberum, quia in lumine tuo nouit, quãtam nobis dederis libertatem, eripiendo nos à ſeruitute Dæmonij, in quam humanum genus ex ſua crudelitate peruenerat. Vnde odit homo communem viã crudelitatis, quæ eſt pietas erga ſenſualitatem, propter quod efficitur crudelis contra eam, & pius rationi, ſeras

ras

ras ponendo potentijs animæ. Claudit enim memoriam miſerijs mundi, & varijs delectationibus per obliuionẽ voluntariam, ſe ab eis extrahendo, & aperit beneficijs tuis, eorum memoriam ſollicitè retinendo: claudit etiam voluntatem, ita quòd te ſuper omnia diligit, & omnia in te, ſecundũ voluntatẽ tuam, & ſolummodò te vult ſequi, & tunc verè pius eſt ſibi, et ſicut eſt ſibi pius, ita & ꝓximo ſuo, exponendo corpus ſuũ ad mortẽ pro ſalute animarum in omnibus actu pietatis, cum prudentia vtitur: quia in lumine tuo vidit cum quanta prudentia in nobis operatus es omnia. Tu lumen facis cor ſimplex, & non duplex, amplum & non arctum, intantum quod omnis creatura rationalis efficitur capax ex amore, cum charitate ordinata omnium quærit ſalutem: & quia non eſt lumen abſq; prudentia & ſapientia, exponit corpus ad mortem pro ſalute animæ proximi ſui, & non ponit animam perpetrando culpam. Non enim licet homini perpetrare minimam culpam, vt ſi fieri poteſt ſaluet totũ mundum: quia pro vtilitate creaturæ finitæ, quæ nihil eſt ex ſe, non debet offendi infinitus creator omnium, qui eſt omne bonum; pro corpore etiam proximi ponit ſubſtãtiam temporalem, & taliter apertum eſt iſtud cor quod nulli eſt fictum, ſed quilibet poteſt cor tale comprahendere: non enim oſtendit vnum in facie & in lingua, aliud tenendo intrinſecùs: iſtud verè oſtendit ſe eſſe exutum veteri veſtimento, & indutum nouo voluntatis tuæ. Itaq; pater omnipotens, crudelitas noſtra procedit ex eo quòd non videmus pietatem tuam, qua vſus es erga animas redimendo eas pretioſo ſanguine filij tui. Verte,

verte miſericors pater, oculos pietatis ſuper Eccleſiam, et vicarium tuum: protege eum ſub vmbra alarum tuarum, ne iniquitas ſuperborum noceat ei: & mihi concede, vt diſtillem ſanguinem & medullas oßium, in hoc viridario tuo ſanctæ Eccleſiæ. Si reſpicio in te, video quod oculo tuo nil abſconſum eſt: hoc non vident homines mundi obfuſcati à nube proprij amoris. Si enim viderent non eſſent tàm crudeles proprijs animabus, ſed ex pietate tua efficerentur pij: & ideo neceſſarium eſt lumen quod toto cordis affectu ſupplico, infundas omnibus rationalibus creaturis, per verbum tuum feciſti pietatem & iuſtitiam. Iuſtitiam quidem ſupra corpus ſuum, pietatem verò ſupra nos miſerrimos. O ſumma bonitas, quomodo non diſſoluitur duricies cordis noſtri? Quomodo cor meum nō exit per os? Certè quia nubes offuſcauit oculum mentis meæ, & non ſinit te animam videre ac ineffabilem pietatem. Quis vnquam pater pro ſuo ſeruo inimico tradidit proprium filium morti, ſolus tu pater æterne: caro noſtra, qua induiſti verbum, paſſa fuit, nos verò conſecuti ſumus fructum, ſi volumus. Ita vis quòd ſenſualitas noſtra patiatur vt anima recipiat fructum vitæ, ô doctrina fundata in veritate, & ideo dixit veritas tua: Ego ſum via, veritas & vita. Si volumus aſſequi pietatem tuā, oportet nos ex debito per illud iter accedere, per quod gratis iuiſti. O Deus æterne ego de me conqueror tibi, vt facias iuſtitiam mihi quæ impia ſum animæ meæ, & pia ſenſualitati, peccaui domine, miſerere mei, ô pia crudelitas, quæ conteris & calcas ſenſualitatem in hoc tempore breuiſſimo & finito, vt

exaltes

exaltes animam in æternum. Vnde procedit patientia, vnde fides, ſpes & charitas oriuntur? Certè à pietate prædicta quæ parit miſericordiam: Quid ſoluit animam à ſeipſa & ligat eam tibi? Hæc pietas acquiſita cum lumine, ô pietas delectabilis, ô pietas quæ es velut vnguentum. Tu extinguis iram & crudelitatem in anima. Hãc pietatem iterum ſupplico amor æterne, infundas omnibus creaturis rationalibus, & præcipuè his quos dediſti mihi vt ſingulari amore diligam eos. Fac ipſos pios, vt vtantur perfecta crudelitate, cum qua occidant peruerſam voluntatem. Hanc crudelitatem videris tu veritas docuiſſe, quando dixiſti: Siquis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & vxorem, filios, & fratres, adhûc autem & animam ſuam, &c. Hoc vltimum videtur difficile. Alia verò ſæpè faciunt ſerui mundi: quamuis non amore virtutis. Sed difficilius eſt homini exire de natura ſua, quàm ſequi ipſam. Nam noſtra eſt rationalis, ergo rationem debemus ſequi, ô veritas æterna, tu es odor ſuper omnem odorem, tu largitas ſuper omnem largitatem, tu pietas omnem pietatem excedens, tu es iuſtitia omnem iuſtitiam ſuperans, immo es fons iuſtitiæ qui vnicuiq; reddis iuxta opera ſua. Iuſtè enim permittis, quòd iniquus homo ſit incomportabilis ſibimet, quia optat id quod eſt minus ſe, cupiens mundanas diuitias & delectationes: omnia enim quæ creâſti minora ſunt homine, & in eius obſequium creata, non vt ipſe ſeruiat eis. Solus tu es maior nobis, & ideo debemus optare aſſiduè te quærere, & tibi ſeruire. Et iuſtè facis, quòd iuſtus guſtet in hac vita pacem &

quietem animæ ſuæ, quia poſuit affectum in te, qui es vera pax & ſumma quies. Et his qui per hanc vitam mortalem viriliter cucurrerunt, miſericorditer tribuis vitam æternam. Tu es bonitas infinita, qua nullus præter te plenè capere aut comprehendere poteſt, niſi quantum concedis; & tantum concedis, quantum diſponimus vas animæ ad recipiendum. O dulciſſime amor, ego nũquam te noui, propter quod nec dilexi. Ego ſtrictiſſimè tibi commendo filios, quos appoſuiſti dorſo meo. Tu poſuiſti me ad excitandum eos, quæ ſemper dormio. Tu excita illos benigne & pie pater, vt oculus intellectus ipſorum continuò vigilet in te. Peccaui domine, miſerere mei. Deus in adiutorium noſtrum intende: Domine ad adiuuandum nos feſtina. Amen.

ORATIO NONA EIVSDEM, FActa Romæ die Lunæ, primo Martij, anni ſupraſcripti.

O Alta & æterna Trinitas. O Trinitas æterna. Tu Trinitas æterna dediſti nobis dulce & amabile verbum, ô dulce & amabile verbum. Sicut natura noſtra eſt debilis & procliuis ad omne malum, ſic natura tua eſt fortis & apta ad omne bonum. Debilis eſt homo, quia recipit debilem naturam à patre ſuo. Non enim poteſt pater aliam naturam dare filio ſuo, quàm de illa quam habet in ſe: & ad malum eſt coinquinabilis propter rebellionem fragilis carnis ſuæ, quam ſimiliter recepit à patre. Itaq; natura noſtra eſt fragilis & ad omne malum flexibilis, quia omnes ſumus producti ex

genere

genere primi patris noſtri Adæ, & de vna eâdē q́ maſſa geniti ſumus. Qui quidem ex quo diſceßit à ſumma fortitudine tui æterni patris, debilitatus fuit: quia fuit rebellis tibi, ideo in ſemetipſo rebellionem inuenit: vnde partitus à ſumma bonitate & fortitudine reperit ſe debilem & ferreum ad omne malum. O verbum æternum fili Dei. Natura tua eſt fortis, & apta ad omne bonum, quia recepiſti illam ab omnipotenti & æterno patre, ipſe dedit tibi naturam ſuam, quæ nullum defectum potuit pati, videlicet Deitatem: & ideo nil mali in te fuit nec potuit eſſe. Tu ergo, tu dulce verbum roborâſti naturam noſtram debilem, per vnionem quam feciſti in nobis, per iſtam vnionem fortificata eſt noſtra natura, quia in virtute ſanguinis tui aufertur iſta debilitas in ſacro Baptiſmate: & poſtquam peruenimus ad ætatem diſcretionis fortificamur in doctrina tua: quia homo qui ſequitur illam in veritate, induendo ſe ipſa perfectè, in tantum efficitur fortis & aptus ad benè operandum, quòd ferè ceſſat ab eo rebellio carnis contrà ſpiritum: quia anima illa perfectè eſt vnita in doctrina tua, & corpus vnitum eſt in anima: & ideo vult ſequi affectum animæ: quapropter ea quæ priùs conſueuerant ipſum delectare, ſcilicet ſcelera mundi, tunc totaliter diſplicent. Similiter etiam ea, quæ ſibi difficilia & aſpera videbantur, videlicet ſequi virtutes, modò dulcia & delectabilia ſunt eidem. Benè ergo eſt veritas, quòd tu verbum æternum, delêſti fragilitatem naturæ noſtræ cum fortitudine naturæ diuinæ quam recepiſti à patre: & hanc fortitudinem dediſti nobis, vt dictum eſt, me-

diantibus ſanguine & doctrina. O æterne ſanguis, æterne dico, quia vnitus es cum natura diuina, homo qui cum lumine nouit fortitudinem tuam diſcedit à debilitate ſua, quod lumen non adipiſcitur niſi aſſumatur odium contra propriam ſenſualitatem, & potiùs amittitur naturale, ô dulciſſime ſanguis, tu fortificas animam, tu illuminas ipſam, in te efficitur angelica: tu intantum obumbras ipſam charitate tua, quòd penitùs obliuiſcitur ſui, & nil aliud quàm te poteſt videre, propter quod fragilitas carnis etiam ſentit odorem virtutum, ita quod ſimul corpus & anima clamare videntur ad te in quolibet exercitio: & hoc dum ſanctum deſiderium permanet & augetur. Si enim aliàs tepeſceret & allectaretur deſiderium, ſubitò eſſet ſuſcitata rebellio magis viua quàm priùs, ô doctrina veritatis, quæ tantam fortitudinem præſtas animæ indutæ te, quod in nulla aduerſitate deficit: ſed de omni prælio obtinet palmam, fortis eſt dum ſequitur te, quæ proceſſiſti à ſumma fortitudine: niſi enim ſequeretur te, nil ei proficeret fortitudo tua. Heu me miſeram, quæ nunquam veram doctrinam ſecuta ſum: & ideo tàm debilis ſum, quòd in omni minima tribulatione deficio. Peccaui domine, miſerere mei.

DEINDE MORE SOLITO, ORAuit Mater pro Eccleſia Dei, pro vicario Chriſti, & filijs, ac etiam pro omni rationali creatura.

Amen.

ORA-

ORATIO DECIMA EIVSDEM, facta Romæ, die Mercurij, tertio Martij, anni ſupraſcripti.

O Trinitas æterna, o alta & æterna Deitas, nos ſumus arbores mortis, & tu arbor vitæ. O Deitas æterna, quid eſt videre in lumine tuo arborē puram creaturæ tuæ, quam traxiſti de te ſumma puritate, cū pura innocentia, & vniſti et plantâſti in humanitate, quam formâſti de limo terræ, & feciſti liberam? Tu Trinitas æterna dediſti ramos huic arbori, qui ſunt potentiæ animæ ſcilicet intellectus, memoria et volūtas. Quē fructum producit memoria? fructū retinendi. In intellectu poſuiſti fructus diſcernendi, & in voluntate fructus amoris. O arbor poſita in tanta puritate à plaſmatore tuo. Sed hæc arbor, Deus æterne, quia abſcidit ſe ab innocentia, ꝑ inobedientiam cecidit, & de arbore vitæ effecta eſt arbor mortis: vnde non niſi mortales fructus poſtmodùm perducebat, propter quod tu alta & æterna Trinitas, vt ebria & infatua ex amore creaturæ tuæ, videndo hanc arborem nullum fructū poſſe producere niſi mortis, quia erat ſeparata à te vita, dediſti remedium eodem coacta amore, quo creaueras ipſam, inſerendo Deitatem tuam in arborem mortis noſtræ humanitatis, ô dulce & ſuaue inſertum. Tu Deus ſumma dulcedo dignatus es vnire te cum amaritudine noſtra. Tu lucidus ſplendor cum tenebris. Tu ſapientia cum ſtultitia. Tu vita cum morte. Tu infinitus nobiſcum finitis. Quis te coēgit ad hanc vnionem vt redderes nobis vitam, cū ipſa creatura tantā in-

iuriam tibi feciſſet ſolummodò amor, vt dictum eſt: vnde per hoc inſertum diſſoluitur mors. Sufficiebat tuæ ardentiſsimæ charitati feciſſe cum ea hanc vnionem? Nõ, ſed poſtmodùm tu verbum æternum hanc arborem proprio ſanguine irrigáſti. Hic ſanguis propter calorem ſuum facit ipſam arborem fructificare, ſi homo cum libero arbitrio ſe in te inſerat, & in te viuat: cor & affectum ſuum ligando & faſciando hoc inſertum cum faſcia charitatis, & imitando doctrinam tuam: quia patrẽ non poſſumus nec debemus ſequi, cum in eo nulla pœna fuerit, & nos per pœnas & cruciata deſideria debemus conformari tibi. Itaq; per te vitam producimus fructus vitæ, ſi nos in te inſeramur. Nam quando ſumus inſerti in te rami, quos dediſti arbori noſtræ, producũt fructus ſuos. Memoria tunc impletur continua recordatione beneficiorum tuorum. Intellectus ſpeculatur in te, vt intelligat æternam voluntatem tuam: & vt perfectè te noſcat: & voluntas vult diligere id quod intellectus vidit & nouit: vnus ergo ramus porrigit fructus alteri ramo: & quia anima per agnitionem quam habet de te, meliùs ſe cognoſcit, ideo odit ſemet, id eſt, propriã ſenſualitatem. O amor inæſtimabilis, mirabilia ſunt opera tua quæ operatus es in creatura rationali: Et ſi tu, Deus æterne, tempore quo homo erat arbor mortis, dignatus es reſtituere eum in arborem vitæ, inſerendo te vitam in homine, licet quamplurimi ex defectibus ſuis ſint tantummodò mortis fructuum productores: & hoc quia non inſerunt ſe in te æterna vita. Ita & non potes prouidere pro ſalute totius mundi, quem video non inſerere ſe in te, immo

te, immo quilibet permanet in morte ſua: ipſi homines non accedunt ad fontem, in quo eſt ſanguis, vt aſpergant arborem ſuam. Inter nos eſt vita æterna incognita nobis ignorantibus creaturis. O miſerabilis, ô cæca anima mea, vbi eſt clamor? vbi preces quas debes effundere in conſpectu Dei tui, qui continuò te inuitat? vbi cordialis dolor pro arboribus manentibus in morte? vbi anxia deſideria in conſpectu diuinæ pietatis? Non ſunt in me iſta, quia nondum perdidi memetipſam. Si enim hoc feciſſem & ſolummodò Deum quæſiſſem, ſcilicet gloriam & honorem nominis ſui, cor meum per os exiret de corpore, & oſſa mea diſtillarent medullas, ſed nunquam produxi niſi fructus mortis, quia non inſerui me in te. O amor meus, quantum eſt lumen, quanta eſt dignitas quam recipit anima inſerta in te veritate. O immenſa largitas, memoria porrigit quod ſumus obligati diligere, & ſequi doctrinam, & veſtigia verbi vnigeniti tui: ipſum oportet nos ſequi, & non te patrem: quia vt dictum eſt, nulla pœna in te fuit, aut eſſe potuit. Abſque lumine autem fidei, non poſſumus ſequi hanc doctrinam, nec veſtigia verbi: vnde intellectus figitur & ſpeculatur in ipſo lumine, vt cognoſcat, & ſubitò voluntas diligit id quod intelligentia vidit: & ſic vnus ramus dirigit fructus, vel porrigit fructus vitæ alteri ramo. Et vnde trahis ô arbor hos fructus vitæ cùm ex te mortua & ſterilis ſis? Ab arbore vitæ: niſi enim te inſeruiſſes in ea, nullũ ex tua virtute produceres, cum tu nil ſis, ô veritas æterna, ſicut tu produxiſti nobis fructus amoris, luminis & obedientiæ promptæ, propter

quæ vt philocaptus cucurriſti ad opprobrioſam mortem ſanctiſſimæ crucis, & hos preduxiſti virtute inſerti, q̃ feciſti Deitatis tuæ in humanitate noſtra, & per inſertũ quod feciſti tui ſacrati corporis in ligno crucis: ita quoq; anima inſerta in te, ad nihil aliud attendit niſi ad honorem tui, & animarum ſalutem: ipſa efficitur ſapiens, fidelis, patiens, atq; prudens. Erubeſce homo, erubeſce, qui ex defectibus tuis tanto bono te priuas, & tanti mali effieeris dignus, cùm & bona opera tua nil proſint aut poſſint prodeſſe Deo, nec tua mala nocere: quamuis ſumma bonitas benè delectetur, quòd factura ſua producat fructus vitæ, vt infinitum fructum recipiat, & conſequatur finem, propter quem omnes creauit. Peccaui domine, miſerere mei: vni & inſere hos in te, quos dediſti mihi vt ſingulariter diligam eos, ita vt viuos fructus producãt, video bonitas infinita, quòd ſicut tu immittis rorem luminis ſupernaturalis in anima vnita tibi, cum pace & quiete conſcientiæ: ita cum rore ſeruorum tuorũ auferes perturbationem & tenebras, & reddes lumen et pacem dulciſſimæ ſponſæ tuæ: & propter hoc humiliter ſupplico tibi. Peccaui domine, miſerere mei. Amen.

ORATIO VNDECIMA EIVSDEM, facta Romæ, in die Annunciationis beatæ Virginis, anni ſupraſcripti.

O *Maria, Maria templum Trinitatis, O Maria portatrix ignis. Maria adminiſtratrix miſericordiæ. Maria germinatrix fructus. Maria redemptrix humani generis, ex eo, quia carne tua patiente in Chriſto,*

Chriſto redemptus eſt mundus: Chriſtus redemit ſua paſſione, tu mentis & corporis dolore. O Maria mare pacificum. O Maria donatrix pacis. Maria terra fructifera. Maria tu es planta noua, de qua habemus florem odoriferum, verbum videlicet vnigenitum Dei, in te enim terra fructifera ſeminatum fuit hoc verbum. Tu es terra, tu es planta. O Maria currus ignis: tu veſtîſti ignem abſconditum & velatum ſub cinere tuo: qui cinis eſt noſtra humanitas. O Maria vas humilitatis, in quo vaſe viget & ardet lumen veræ cognitionis, quo lumine leuâſti te ſupra te: & ideo placuiſti æterno patri, & ſic ipſe te rapuit & traxit ad ſe amore præcipuo diligendo te ipſo lumine, & igne tuæ charitatis ac oleo tuæ humanitatis traxiſti tu, & inclinâſti humilitatē ipſius ad veniendum in te: licet motus & tractus iam eſſet ad veniendum ab ardentiſsimo igne charitatis ſuæ. O Maria quia habuiſti iſtud lumen, ideo non fuiſti ſtulta ſed prudens: vnde ex prudentia voluiſti inueſtigare ab angelo quomodo eſſet poßibile quod tibi nunciabat. Non neſciebas tu hoc eſſe poßibile omnipotentiæ diuinæ, abſque vlla dubitatione credebas. Quare ergo dicebas, quoniam virum non cognoſco. Certè non ideo hoc dicebas, quia deficeres in fide, ſed propter humilitatem tuam profundam hoc dixiſti, qua conſiderabas indignitatem tuam, licet non dubitares hoc poßibile eſſe Deo. O Maria fuiſti turbata in ſermone angelico propter timorem, non videtur aſpiciendo in lumine Dei, quòd timore fueris conturbata, licet actum admirationis & cuiuſdam

iuſdam conturbationis oſtenderis. Quid ergo admiraris? Admiraris certè magnam bonitatem Dei, quam videbas & ſtupebas, conſiderando teipſam, & quàm indigna eras ad tantam gratiam recipiendam. In conſideratione ergo propriæ indignitatis & infirmitatis, & in cõſideratione magnæ & ineffabilis diuinæ gratiæ ſuper infuſione admirata ſtupebas. Sic ergo dum prudenter interrogas, oſtendis profundam humilitatem tuam. Nec, vt dictum eſt, habuiſti timorem, ſed admirationem de bonitate immenſa Dei, ex conſideratione paruitatis, immo quaſi nihilitatis virtutis tuæ. Tu hodie ô Maria facta es liber in quo eſt deſcripta regula noſtra. In te enim hodie deſcripta eſt ſapientia patris æterni. In te hodie oſtenditur dignitas, fortitudo, & libertas hominis: oſtenditur dico hodie dignitas hominis, quia ſi aſpicio te, ô Maria, video quòd manus Spiritus ſancti deſcripſit hodie in te totam Trinitatẽ, formando in te verbum incarnatum vnigenitum Dei filium. Deſcripſit enim in te ſapientiã patris, quæ eſt ipſum vnigenitum Dei verbum. Deſcripſit etiam potentiã ipſius patris, quia potens fuit illud facere, & deſcripſit etiam clementiam ipſiuſmet Spiritus ſancti, quia ſola gratia & clementia diuina perfectum fuit tantum myſterium. Si ego conſidero magnum conſilium tuum ô trinitas æterna, video quòd in lumine tuo vidiſti dignitatem & nobilitatem generationis humanæ: vnde ſicut amor coëgit te ad producendum hominem de te. Ita idem amor te coëgit ad redimendum iam venditum & perditum. Benè oſtendiſti te diligere hominem etiam antequam eſſet, cùm voluiſti trahere

bere ipſum de te,ſolo ipſo amore te inducente: ſed maximum amorem erga eum demonſtrâſti,cũ poſtea teipſum dediſti ei,includendo te hodie in vili ſacculo humanitatis ipſius,& quid plus dare poteras ei quàm teipſum. Vnde verè dicere potes ei: Quid tibi debui,immo quid potui tibi facere,quod non fecerim? Sic ergo video, quod quicquid in illo magno tuo conſilio vidit ſapientia tua æterna debere fieri pro ſalute humani generis, hoc clementia tua ineffabilis voluit facere,& potentia tua hodie adimpleuit: vnde in ſalutem hominis in conſilio æternitatis tuæ miſericordia tua magna nimis proponebat velle miſereri homini factura tuæ: et tu Trinitas æterna volebas implere veritatem tuam de homine ſcilicet quòd ſaluum faceres eum,& dares ei vitam æternam, propter quam creaueras ipſum,propter hoc enim creâſti eum vt perfectè participaret te,& plenè gauderet in te. Hæc eſt veritas tua quam adimplere volebas. Sed his obſtabat iuſtitia tua,allegans in illo magno conſilio, quòd ſicut proprium tibi eſt miſereri ſemp& parcere,ita & iuſtus es,et iuſtitia tua in æternum permanet: quia cùm iuſtitia tua nullum relinquat malum impunitum,ſic nullum bonum irremuneratum. Saluari non poterat homo, cùm non poſſet per ſe ſatiſfacere iuſtitiæ tuæ de culpa ſua. Quid ergo feciſti? quid deliberâſti? Sapientia tua æterna & incompræhenſibilis,vt & veritatem tuam impleres & faceres miſericordiam, & tamen ſatisfaceres iuſtitiæ tuæ? Quale remedium dediſti nobis? Ecce aptum remedium, diſpoſuiſti enim dare nobis vnigenitum verbum tuum, ita vt aſſumẽdo maſſam humanitatis noſtræ, quæ te offenderat, ipſa poſtea patiente idem ſatisfaceret iuſtitiæ tuæ,non

virtute

virtute humanitatis, ſed virtute diuinitatis vnitæ in ipſa humanitate, et ſic ſatisfecit iuſtitiæ ipſe homo qui peccauerat, & veritas tua impletur miſericordia tua dante homini vnigenitum tuum, per quem homo poſſet de culpa liberari, tibi ſatisfaciendo virtute diuinitatis eius. O Maria ego video hoc verbum datũ tibi eſſe in te, et tamen non ſeparatur à pâtre, ſicut verbum mentale hominis, quod licet proferatur exteriùs et alijs cõmunicetur, non tamen recedit vel ſeparatur à corde. Ex his ergo oſtenditur dignitas hominis, pro quo tu Deus tanta & tot es operatus. Oſtenditur etiam hodie in te Maria fortitudo & libertas hominis, poſt deliberationem nanq; tanti conſilij mittitur angelus ad te, & annunciat tibi myſteriũ conſilij diuini requirens voluntatẽ tuam, neq;.n. ante venit aut deſcendit in vterum Dei filius, quàm præberes aſcenſum voluntatis tuæ: expectabat ad ianuam tuæ voluntàtis, vt aperires ei volenti venire in te, nunquam intraturus niſi ianuam aperires, dicẽdo: Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Manifeſtè ergo apparet fortitudo, & libertas voluntatis, quia neq; bonũ neq; malum poteſt fieri abſq; voluntate, neq; poteſt dici, neq; alia creatura poteſt cogere voluntatem ad perpetrãdum vnum peccatum mortale, niſi ipſa velit ſimiliter: nec ad bonum operandum quiſquam inuitum cogere poteſt. Eſt ergo voluntas hominis libera. Pulſabat ô Maria ad ianuam tuam Deitas æterna: ſed ſi non aperuiſſes oſtium volũtatis tuæ, non aſſumpſiſſet Deus carnem humanã. Erubeſce ô anima mea: vides enim quòd Deus hodie contraxit, & fecit parentelem cum Maria. Hodie oſtenſum eſt tibi, quòd licet facta ſis ſine te, tamen ſine te non

ſalua-

ſaluaberis, vnde hodie, vt dictum eſt, pulſat Deus ad ianuam voluntatis Mariæ: & exſpectat quòd aperiat ſibi. O Maria dulciſsime amor meus, in te deſcriptum eſt verbum à quo habemus doctrinam vitæ. Tu es tabula in qua deſcriptum eſt, & porrigis nobis illam doctrinam. Video ego ſapientiam, ipſum videlicet vnigenitum Dei verbum, ſtatim vt in te deſcriptũ eſt non eſſe ſine cruce ſancti deſiderij. Nam ſtatim vt in te conceptum eſt, annexũ fuit ſibi deſiderium moriendi, pro ſalute humani generis, pro quo ſaluando carnem aſſumebat. Vnde & magna crux erat ei id deſiderium & voluiſſet ſtatim impleri. Ad te ô Maria recurro, & tibi offero petitionem meam, qua peto pro dulci ſponſa dulciſsimi ſaluatoris noſtri dilecti filij tui, & pro vicario eiuſdem Ieſu Chriſti, vt detur ei lumen quo cum diſcretione teneat debitos modos, pro reformatione ſanctæ Eccleſiæ ſponſæ ſuæ. Vni etiam populum eius & conforma cor populi cum eo, ita quòd nunquam inſurgat contra caput ſuum. Videtur enim quod de ipſo feceris incudem, multi enim percutiunt ipſum lingua & opere quantum poſſunt. Similiter rogo pro dilectiſsimis filijs traditis à te mihi, ꝙ ignias eos, ita quòd ſint carbones non extincti, ſed ardẽtes amore charitatis tuæ & proximorũ, ita ꝙ adueniente tẽpore neceſsitatis habeant nauiculas animarũ ſuarum benè munitas et fulcitas ꝓ ſeipſis & pro alijs. Ego pro eis rogo quos dediſti mihi, licet non ſim eis cauſa alicuius boni, ſed ſemper mali: quia ſum eis non ſpeculũ virtutũ, ſed ignorantiæ & negligẽtiæ multæ: ſed hodie audacter peto, ꝗa dies gratiarũ eſt, & ſcio quòd tibi, Maria, nil ab eo poteſt denegari. O Maria

hodie

hodie terra tua germinauit nobis ſaluatorem. Peccaui domino toto tempore vitæ meæ. O pater mi dulciſsime, O amor inæſtimabilis. Peccaui domine, miſerere mei. O Maria benedicta, dicaris tu inter omnes mulieres in ſeculum ſeculi, quia hodie dediſti nobis de farina tua: hodie vnita & impaſtata eſt diuinitas cum humanitate noſtra, ita fortiter quòd ſepari non potuit, nec per mortem, nec per ingratitudinem noſtram, vnio illa quinimò diuinitas vnita fuit etiam corpori in ſepulchro, & tunc animæ in limbo, & pòſt animæ & corpori ſimul in Chriſto. Taliter ergo contracta & conglutinata eſt parentela iſta, quòd ſicut nunquam diuiſa eſt, ita in perpetuum nullatenus diſſoluetur.

ORATIO DVODECIMA EIVSDEM, facta Romæ die Dominico. 26. Martij, anni ſupraſcripti.

O *Deus æterne, alta & æterna magnitudo, tu es magnus, ego autem parua: et ideo mea infirmitas non poteſt attingere altitudinē tuam, niſi in quantū affectus & intellectus cū memoria ſurgāt ab infimitate humanitatis meæ, & cum lumine quod mihi dediſti, in lumine tuo cognoſcāt te, ſed ſi reſpicio in altitudinem tuam, omnis eleuatio, quam anima mea poſsit facere in te, eſt velut obſcura nox comparata ad lucem ſolis: ſiue quantum eſt differens lux lunæ à rota tui ſolis. Quia ego infimitas mortalis non poſſum attingere ad tuam magnitudinem immortalem, benè poſſum guſtare te ex affectu amoris, ſed non videre in eſſentia tua.*

tia tua: & ideo dixiſti quòd non videt te homo viuens, hoc eſt, quòd homo viuens in propria ſenſualitate & voluntate, non poteſt etiam videre te in affectu charitatis tuæ. Et ſi viuendo rationabiliter poteſt taliter te videre, non tamen in eſſentia tua poteſt, dum in mortali corpore viuit. Benè eſt ergo verum, quod mea infimitas ad tuam altitudinem non poteſt attingere, ſed ſolummodò guſtare & videre in ſpeculum tuum: & hæc viſio eſt cum perfectione charitatis: quia affectum charitatis tuæ perfectè poſſum conſpicere, eſſentiam verò non, vt dictum; & quando potui attingere affectum charitatis tuæ, quæ non, vt veri guſtatores, poſſum capere in mortali corpore vigens, quando fuit tempus & aduenit plenitudo temporis ſacri, quod acceptabile tempus videtur, cùm anima mea noſcat in lumine meo nunciatum eſſe, tunc quando magnus Medicus vnigenitus, videlicet filius tuus venit in mundum, quando ſponſus iunctus eſt ſponſæ ſcilicet diuinitas in verbo, humanitati noſtræ. Cuius vnionis medium fuit Maria: quæ te æternum ſponſum induit humanitatem ſuam. Sed hic amor & vnio tàm erat occulta quòd à paucis cognoſcebantur: quápropter anima nondum benè conſiderabat altitudinem tuam: ſed vt video in lumine tuo, in paſſione huius verbi anima venit ad perfectā cognitionem affectus charitatis tuæ: quia tunc ignis abſconſus ſub cinere noſtro cœpit largè & plenè manifeſtari, aperiendo ſuper lignum crucis ſanctiſſimū corpus ſuum. Et vt affectus animæ traheretur ad

alta, & oculus & intellectus ſpecularetur in igne, tu verbum æternum voluiſti in altum eleuari: vnde in ſanguine tuo oſtendiſti nobis amorem, in ſanguine tuo oſtendiſti miſericordiam & largitatem tuam. In hoc etiam ſanguine demonſtrâſti, quantum grauat & ponderat tibi culpa hominis: in ipſo lauâſti faciem ſponſæ tuæ, ſcilicet animæ, cui te vniſti per vnionem naturæ diuinæ in noſtra natura humana, in ipſo induiſti eam dum eſſet exuta, & cum morte tua reddidiſti ei vitam. O paſſio deſiderata, ſed tu veritas æterna dicis, quòd non deſideratur, nec amatur à diligentibus ſemetipſos. Sed ab exutis ſe, & induentibus te, ſurgendo cum lumine in lumine tuo ad cognoſcendum altitudinem tuæ charitatis. O placabilis paſſio & tranquilla, quæ cum tranquillitate pacis, facis animam currere ſuper fluctus tempeſtuoſi maris: ô delectabilis paſſio & prædulcis, ô diuitiæ animæ, ô refrigerium afflictorum, ô cibus eſurientibus, ô portus et Paradiſus animæ, ô verum gaudium, ô gloria et beatitudo noſtra, anima quæ gloriatur in te, conſequitur fructum ſuum. Et quis eſt ille qui verè gloriatur in te? non ille qui lumen rationis ſubmiſit affectui ſenſuali. Hic enim nil aliud videt, quã terram. O paſſio, quæ auferes quamlibet infirmitatem, dummodò infirmus curari velit, quia donum tuum à nobis non abſtulit libertatem. Tu etiam paſſio reddis vitam mortuo, ſi anima propter tentationes Dæmonum infirmatur, tu liberas eam. Si eum mundus perſequitur, aut propria fragilitas impugnat, tu es refugium

tius, quia anima nouit in te non ſolùm opera verbi in paſſione, quæ fuerunt finita, ſed etiam guſtauit altitudinem charitatis diuinæ: vnde per te paſſionem vult intendere, & cognoſcere veritatem, & inebriari, & conſummari in charitate Dei, per infirmitatem tuam, quæ videtur infirmitas propter humanitatem noſtram quæ in te paſſa fuit. Sed tamen eſt maxima altitudo propter myſterium, quod prouenit ex ea in virtute Deitatis, quæ eleuat ſe ad altitudinem ipſius Deitatis: & ſic peruenit ad finem ſuum, quia aliàs nõ poſſet. O paſſio, anima requieſcens in te, obiit ad ſenſualitatem, quapropter guſtat affectũ charitatis tuæ. O quàm dulcis & ſuauis eſt hæc dulcedo quam guſtat anima, quæ intrat ſub hoc cordice, vbi inuenit lumen & ignem charitatis, videndo vnionem mirabilem diuinitatis in humanitate noſtra effecta, & videt humanitatem partiri, non Deitatem. Reſpice anima mea, & videbis verbum in humanitate noſtra effecta vt nubes: ſed non recipit Deitas læſionem propter nubẽ aut tenebras noſtræ humanitatis. Sed manet intùs abſconſus ſol & ſplendor diuinus. Sicut ſerenitas cœli quandoq; manet abſconſa ſub nube. Et quis demonſtrat nobis hoc? quia finita pœna in corpore, verbi remanſit Deitas, & poſt reſurrectionem fecit humanitatẽ lucidã, quæ tunc erat opaca: et facit immortalẽ q̃ priùs erat mortalis. Tu ergo paſſio indicas doctrinã quã debet rationalis creatura ſeq: vnde fallitur ille q̃ mauult ſeq; delectamina q̃; pœnas, cũ nullus niſi p verbũ pueniat ad patrẽ: et te verbũ nõ poſſum

 ſequi,

ſequi, niſi guſtemus te in affectu pœnarum: & ſi anima non vult ſuſtinere pœnas, ipſa ſuſtinet inuita: ſi autem cum ſole luminis vult portare, tunc ex nullo labore percutitur affectus animæ: ſicut in verbo Deitas nullatenus paſſa fuit, quia voluntariè facta eſt portatrix laborum. Ergo manifeſtè oſtendis, quòd poſt tempus acceptabile paſſionis, verbi anima poteſt cum lumine gratiæ cognoſcere tuæ charitatis affectū: & cum hoc lumine in tempore finito peruenimus ad cognoſcendum eſſentiam tuam in tempore infinito. Vnde hac infinitate paſſionis cognoſcimus altitudinem tuam, non quòd myſteria tua ſint infima, immo ſublimia, ſed infima dico propter paſſionem infimæ humanitatis. O dulcis & æterne Deus, ſublimitas infinita: quia ad altitudinem tuam non poteramus eleuare affectum, qui erat infimus: nec lumen intellectus propter tenebras culpæ. Ideo tu ſummus Medicus largitus es nobis verbum, cum eſca humanitatis, & cœpiſti hominem, & cœpiſti Dæmonem non in virtute humanitatis, ſed diuinitatis: & ſic faciendo te paruulum magnificâſti hominem. Saturatus opprobriis replêſti eum beatitudine: eſuriente te ſaturâſti eum in affectu charitatis tuæ: exuendo te vitā induiſti eum gratia: repletus verecundiis reddidiſti ei honorem: obſcuratus quantum ad humanitatem reddidiſti ei lumen: extenſus in cruce amplexatus es illum: & feciſti ei cauernam in latere tuo, in quam refugeret à facie inimicorum: in qua cauerna poteſt cognoſcere charitatem tuam, quia per ipſam oſtendis,

quòd plus voluiſti ei dare quàm poſſes cum operatione finita: illic inuenit balneum in quo lota eſt facies animæ ſuæ à lepra culpæ. O declinabilis amor, ô ignis, ô abyſſus charitatis, ô incompræhenſibilis altitudo: quantò magis aſpicio altitudinem tuam in paſſione verbi, tantò plus mea miſerabilis anima erubeſcit, quia nunquam te nouit: & hoc quia ſemper fui viua affectui ſenſualitatis, rationi autem mortua. Sed hodie placeat altitudini charitatis tuæ, illuminare oculum intellectus mei, & eorum quos mihi dediſti in filios; ac omnium creaturarum rationabilium. O Deitas amor meus, vnum quæro à te, in tempore quo mundus iacebat infirmus, tu miſiſti in mundum verbum vnigenitum tuum vt Medicum, quod ſcio quod ex amore feciſti, & non ex meritis noſtris. Modò video mundum totaliter in morte iacentem, & in tanta, quòd anima mea deficit in viſione iſta. Qualis erit nunc modus ad ſuſcitandum iterum mortuum iſtum, cùm tu ſis impaſſibilis Deus, nec ampliùs venturus ad redimendum mundum, ſed ad iudicandum? Quomodo ergo reddetur vita huic mortuo, non credo, infinita bonitas, quòd deficiant tibi remedia, immo fateor, quòd nec amor tuus deficit erga nos, neque infirmata eſt potentia tua, nec ſapientia diminuta: & ideo, & vis, & potes, & ſcis mittere remedium opportunum. Quare ſupplico, ſi placet bonitati tuæ, quatenus indices mihi remediũ iſtud, vt anima mea ſit animata viriliter aſſumere illud. Reſpondeo, veritas eſt, quòd filius tuus non ampliùs eſt venturus, niſi

cum maieſtate ad iudicandum, vt dictum eſt. Sed vt video, tu vocas ſeruos tuos Chriſtos, et cum hoc medio vis auferre mortem, & reddere vitã mundo. Et quomodo? Quòd ipſi viriliter ambulent per viã verbi ſollicitè, & cum ignito deſiderio, procurantes honorem tui, & animarum ſalutẽ, propter hæc ſuſtinendo patienter pœnas & tormenta, opprobria, & improperia à quibuſcunq; ſibi illata: quibus pœnis, quæ finitæ ſunt, iunctis infinito deſiderio eorundem, tu vis dare refrigerium ſcilicet exaudire preces, & implere deſideria ipſorum, ſed ſi ſolummodò paterentur corporaliter abſq; deſiderio ſupradicto, non ſufficeret eis, nec aliis, ſicut in verbo abſq; virtute Deitatis paſſio non ſatisfeciſſet ſaluti humani generis. O remediator optime, da ergo nobis de iſtis Chriſtis, qui in vigiliis, lachrymis, & orationibus ducant vitam ſuam pro ſalute mundi. Tu vocas eos Chriſtos tuos, quia conformati ſunt vnigenito filio tuo. Concede quæſo, æterne Pater, vt non ſimus ignorãtes, cæci, aut frigidi, nec obſcuri viſus in tantum quod non videamus niſi nos. Sed da nobis cognoſcere voluntatem tuam. Peccaui Domine, miſerere mei. Gratias, gratias ago tibi, quia dediſti refrigerium animæ meæ, tùm per agnitionem quam dediſti mihi, qualiter poſſem cognoſcere altitudinem charitatis tuæ, adhùc vigens in mortale corpore, quam etiam propter remedium quod video ordinatum à te, vt liberetur mundus à morte. Non ergo ampliùs dormias miſerabilis anima mea, quæ toto tẽpore vitæ tuæ dormiſti, ô amor inæſtimabilis, corporalis

lis

lis pœna ſeruorum tuorum valebit virtute ſancti deſiderij animarum eorundem: quod deſiderium valebit virtute deſiderij charitatis tuæ. O anima mea miſera, non amplexatrix lucis ſed tenebrarum, Surge, ſurge à tenebris. Excita teipſam, aperi oculum intellectus, & reſpice in abyſſum charitatis diuinæ: quia niſi videas non potes diligere, quantum videbis tantum diliges, & diligendo ſequeris, & indues voluntatem ſuam. Peccaui Domine, miſerere mei.

ORATIO DECIMA TERTIA EIVSdem, facta Romæ, die Iouis. 5. Aprilis, anni ſupraſcripti.

O Reſurrectio noſtra, ô reſurrectio noſtra alta, & æterna Trinitas, euiſcera animam meam. O redemptor & reſurrectio noſtra, ô Trinitas æterna. O ignis continuè vrens, qui nunquam extingueris, nec deficis, aut diminui potes, etiam ſi totus mundus accipiat ignem tuum. O lumen quod das lumen, & in lumine tuo videmus, in lumine tuo video, & abſque ipſo non poſſem videre, quia tu es qui es: ego autem ſum quæ non ſum. In eodem lumine cognoſco neceſſitatem meam, & neceſſitatem tuæ Eccleſiæ, & totius mundi: & quia in lumine tuo cognoſco, hæc peto à te, quòd euiſceres animam meam pro ſalute totius mundi: non quòd ex me aliquem fructũ poſſim producere, ſed ex virtute

charitatis tuæ, quæ eſt operatrix omnium bonorum. Vndeſic in abyſſo charitatis tuæ anima operatur ſalutem in ſe, & vtilitatem in proximo ſuo, ſicut Deitas tua alta & æterna Trinitas operata eſt in humanitate noſtra, videlicet cum inſtrumēto humanitatis noſtræ, quæ cum opere finito in medio noſtræ humanitatis, operata eſt pro nobis infinitam vtilitatem, non in virtute humanitatis, ſed diuinitatis tuæ: in hac virtute Trinitas æterna videntur creata cuncta quæ participant eſſe, & omnis virtus conſiſtens in homine, ſpiritualis & temporalis exit à te: verum eſt quod voluiſti vt homo laboraret in ipſis, operando cum libero arbitrio. O Trinitas æterna, ô Trinitas æterna, in lumine tuo cognoſcitur, quòd tu es illud ſummum & æternum viridarium, quòd in te tenes clauſos flores & fructus: quia tu es flos gloriæ qui tibimet gloriam reddis, tibimet fructus: vnde à nullo alio hæc potes recipere: ſi enim ab aliquo alio recipere poſſes, iam nō videretur quòd eſſes æternus & omnipotēs Deus: quia ille qui tibi redderet hoc, non videretur proceſſiſſe à te: Sed, vt dictum eſt, tu tibimet es fructus & gloria: & fructus quos reddit tibi creatura tua à te ſunt: & à te recipit vnde reddere poſſit: in viridario ſinus tui, Pater æterne, clauſus erat homo. Tu traxiſti eum de ſancta mēte tua, velut florem diſtinctum in tribus potentiis animæ, & in qualibet poſuiſti plantā vt poſſēt fructificare in viridario tuo, redeundo in te cum fructu quem dediſti ei: & tu redibas in anima replendo eam beatitudine tua, in qua anima manet ſicut piſcis

in mari, & mare in piſce. Dediſti ei memoriam, vt poſſit retinere beneficia tua, vt ex hoc produceret florem gloriæ nomini tuo: & fructum vtilitatis. Dediſti ei etiam intellectum, vt intelligeret veritatem, & voluntatem tuam, quæ voluntas ſolummodò quærit ſanctificationem noſtram, vt germinaret florem gloriæ, poſtmodùm fructum virtutum. Et dediſti ei voluntatem, vt poſſit diligere id quod intellectus vidit, et memoria retinuit. Et ſi reſpicio te lumen, Trinitas æterna, homo perdidit iſtum florem, ſcilicet gratiam ex culpa commiſſa: quia non erat aptus poſtmodùm, nec valebat reddere gloriam tibi per illum modum, & finem ad quem creâſti ipſum. Vnde propter culpam tu non introibas in gloriam tuam per illum modum, quem veritas tua ſtatuerat: viridarium tuum erat clauſum, quapropter non poteramus recipere flores nec fructus tuos. Et ideo feciſti portinarium verbum videlicet vnigenitum tuum, cui dediſti clauem Deitatis, & humanitas fuit manus, quæ vniſti ſimul, vt aperirent ianuam gratiæ tuæ: quia Deitas non poterat aperire abſq; humanitate, quæ humanitas clauſerat propter culpam primi hominis. Neq; humanitas ſimplex poterat aperire abſque Deitate: nam opus ſuum fuiſſet finitum, & offenſa erat contra infinitum bonum commiſſa: & de culpa protinùs debebat exire pœna, vnde nullus alius modus ſufficiens erat. O dulcis oſtiarie, ô humilis agnus, tu es ille hortulanus, qui reſeratis ianuis viridarij cœleſtis ſcilicet Paradiſi, porrigis nobis flores & fructus Deitatis æternæ. Ex

nunc quidem cognoſco, quòd tu dixiſti veritatem: quando in forma peregrini apparens duobus diſcipulis tuis in via, dixiſti quod ſic oportuit pati Chriſtum, & per viam crucis introire in gloriam ſuam, oſtendendo illis, quod ſic Prophetatum fuerat per Moyſen, Eliam, Iſaiam, Dauidem, & alios qui de te Prophetauerant: & ſi explanabas eis ſcripturas: ipſi verò non intelligebant te, quia caligauerat oculus intellectus eorum: ſed tu met teipſum intelligebas, quæ erat gloria tua, dulce & amoroſum verbum: Tu ipſe, nunquid vt intrares in temet, oportebat te pati.

ORATIO DECIMA QVARTA EIVSdem, facta Romæ, in die Circumciſionis Domini, ad inſtantiam cuiuſdam Cardinalis ordinis prędicatorum, ad circumcidendam duriciem induratorum contra Eccleſiam.

O Summe Deus, amor ineſtimabilis, ignis æterne, illuminans mentes hominum, calefeciens eas ſpiritu amoris tui, & conſumens quicquid habet anima tibi noxiũ, quantum in te eſt: in te video. quòd ille amor, qui te conſtrinxit trahere nos ex te, cũ notitia tui ad laudem & gloriam nominis tui, ille idẽ amor conſtrinxit te induere mortalitatem noſtram, vt reduceres deuios nos ad te: & ꝙ hodie oſtendiſti te nobis amator noſter. Primò paſſibilem ponendo te, qui factor es legis, obſeruatorem ipſius, ad noſtræ humilitatis exemplum. Pudeat itaque hominem factu-

ram

ram tuam, indurari corde, & obſeruatorem non eſſe legis tuæ. Cùm tu Deus noſter obſerues. Tu oſtendiſti nobis hodie cinerem noſtræ mortalitatis in te, vt noſcamus incinerare nos propter te, & paſſibilem te oſtendiſti ſoluendo arram, et enceniando nos in amorem tuæ ſanctiſſimæ paſſionis: vt in tuum exemplum paſſiones veſtras equo animo toleremus. Deficiat, vel liqueſcat itaque omnis anima in tuo amore, factor meus & vere Deus, quia traxiſti hominem ex te, vt ipſe te ſolum inde recognoſceret, amaret, & ſequeretur. Et nos ingrati tanti tui beneficij, à te maieſtas æterna delirare præſumimus. Hodie etiam ex tua clementia ſubarras tibi animas noſtras annulo carnis tuæ, deſponſandas tibi, ſi tua beneficia recognoſcant, ea videlicet lege qua ipſos æternitatis tuæ facias eſſe participes: hodie quoque dediſti animæ meæ per vicarium tuum remiſſionem peccaminum, manifeſtando mihi potentiam ſuam, quæ tua eſt. Et quòd, qui feciſti hominem ſine ipſo homine, non ſaluas eum ſine ſe: nam qui traxiſti me ex te, & feciſti me ſine me, non ſaluâſti me hodie ſine me, ſed per inſtantiam & confeſſionem meam, iam me peccatorum nexibus per gratiam tui interiùs vicarij liberâſti, de quo indigna tua ſerua gratias ago tibi: & ſic munda per tuam gratiam, hodie clamo ad te amor meus, æterne Deus, vt facias miſericordiam cum hoc mundo, & des ei lumen noſcendi ipſum vicarium tuum, cum puritate fidei, de qua obſecro veſti eos Deus meus, & des ei lumen, vt ipſum ſequatur mundus

ipſe

ipſe totus, dato ſibi lumine ſupnaturali, poſtquã dotâſti ipſum tuũ vicarium dando ſibi cor virile, conditũ ſit ſancta humilitate tua: & ideo nunquam ceſſabo pulſare ad portam benignitatis tuæ amor meus, vt eũ exaltes. Manifeſta itaq; virtutem tuam in ipſo, vt ſemper virile cor ſuum tuo ſancto deſiderio ardeat, & conditum ſit humilitate tua, & cum benignitate, charitate, puritate, & ſapientia tua procedat in ſuis actibus: & ſic totum orbem ad ſe trahat: da ei notitiam tuæ veritatis in ſe, vt noſcat ſe in ſe qualis fuerat, & te in ſe per gratiam tuam. Illumines etiam aduerſantes ſibi, qui in circumciſis cordibus Spiritui ſancto reſiſtunt, & tuæ omnipotentiæ aduerſantur, pulſando ad portas animarum ipſorum: quia ſaluari non poterunt ſine te: & vt conuertantur ad te, Deus meus, in vita, excita eos amor inæſtimabilis, et charitas tua te compellat hac gratiarum die, vt emoliatur eorum duricies: itaque reducantur ad te, ne pereant. Et quia offenderunt te Deus ſumma clementia, puniás peccata ipſorum in me: ecce itaque corpus meum, quod ad te recognoſco, & tibi offero, fiat incus pro eis, vbi ipſorũ culpæ conterantur: & quia video, quòd dictum vicarium tuum naturaliter de virili corde dotâſti humiliter, et ſupplex oro, vt ſupernaturale lumẽ infundas in oculo intellectus ſui: eſt enim illiuſmodi cor ad ſuperbiam aptum, niſi adiiciatur ſibi hoc lumẽ acquiſitum ex puro affectu virtutis. Incidatur etiam hodie omnis amor proprius ab ipſis tuis æmulis, ac à dicto tuo vicario, & ab omnibus nobis: vt parcere poſſi-

poſſimus eiſdem cum eorum duriciem flexeris, pro quibus & humilientur et pareant ipſi Domino noſtro: offerro tibi vitam meam ex nunc, pro tunc cùm tibi placuerit: et ipſam ponam pro gloria tua, humiliter etiam obſecrans per virtutem paſſionis tuæ, quatenus emundes, & ſcopes de antiquis vitiis ſponſam tuam, ſicut emundâſti et ſcopâſti eam antiquis & infructuoſis plantis, et non ampliùs differas. Vere Deus, benè ſcio, quòd tamdiu abſcindendo percuties tortuoſum lignum duriciei ipſorum æmulorum tuorum, quod finaliter dirigetur: ſed accelera Trinitas æterna, quia tibi non eſt difficile facere de aliquo aliquid, cùm de nihilo omnia feceris, & vitia ipſa purgare. Tibi etiam meos filios recõmendo, et hunc tuæ maieſtati offero, qui te mihi hodie dedit, vt des te ipſi, vt renoues eum hodie intùs & extrà, vt ſuos actus dirigas in beneplacitis tuis, pro quibus, vt me exaudire digneris, gratias ago tibi, qui es benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO DECIMA QVINTA EIVSdem, facta Romæ.

VEritas, et quæ ego ſum, vt tu des mihi veritatem? ego ſum quæ non ſum. Et poſt paululùm: ergo veritas tua eſt illa quæ facit & loquitur, et omnino operatur, ex quo ego non ſum: veritas tua eſt illa quæ dat veritatem, et cum veritate tua dico veritatem. Veritas tua æterna porrigit diuerſis modis veritatem diuerſis creaturis: nec ſeparatur

ratur à te veritas tua, immo tu es veritas. Tu Deitas æterna, fili Dei, a Deo veniſti: vt ad impleres voluntatem Patris æterni, nec poteſt quiſquam habere veritatem, niſi à te. Si quis autem vult habere veritatem tuam, oportet quòd nihil ei deficiat de veritate tua, aliàs non poſſet habere veritatem, quæ nullum defectum patitur: ſic habent beati qui perfectè vident ſine defectu veritatem tuam per æternam tui viſionem: quam quidem viſionem habent participantes viſionem tuam, qua tu teipſum vides: lumen enim quo videris à creatura tua, tu es: nec inter te, & videntem te, eſt aliquid medium quod repræſentet te videnti te: dum ergo beati vident te, participant & lumen & medium quo videris: & quia tu idem ſemper es, idem lumen, & idem medium, & idem obiectum participata per eos in vnione, qua vniuntur tibi, cauſſant identitatem inter viſionem tuam, & viſionem creaturæ tuæ. Nec obſtat, ſi vnus minus perfectè, alius magis perfectè videt, quia hoc eſt propter diuerſitatem recipientium viſionem. Sicut anima, quæ eſt in via in ſtatu gratiæ recipit veritatem tuam per lumen fidei, qua videmus quæ prædicat Eccleſia tua vera eſſe: & tamen diuerſæ animæ ſecundùm diuerſitatem diſpoſitionis ſuæ recipiunt diuerſimodè veritatem iſtam magis & minus perfectè: nec própter hæc diuerſificatur fides, immo vna eſt & eadem fides omnium: ſic profectò in beatis vna & eadem eſt viſio, quanuis magis & minus perfectè à diuerſis recipiatur.

ORA-

ORATIO DECIMA SEXTA EIVSdem, facta Romæ, Anno M. CCC. LXXVII.

DEitas æterna, diſſolue vinculum corporis mei, vt poſſim videre veritatem, quia nunc memoria non poteſt te capere, nec intellectus intelligere, nec affectus diligere quomodo decet, ô natura diuina, qua reſuſcitas mortuos, et ſola das vitam, quomodo voluiſti tibi vnire naturam mortuam, vt eam viuificares: ô verbum æternum, taliter tibi vniſti naturam mortalem, quod non fuit poſſibile quod quocunq; modo ſepararetur: vnde in cruce in Chriſto natura mortalis patiebatur, ſed natura diuina viuificabat: & ideo erat ſimul beatus & doloroſus: nec etiam in ſepulchro potuit vna natura ab alia ſeparari. O Pater æterne, tu dicis, quòd veſtiſti verbum tuũ natura noſtra, vt in ea ſatisfaceret tibi pro nobis, ô ineffabilis miſericordia, voluiſti punire filium naturalem & proprium pro culpa filij adoptiui: & ſuſtinuit non tantùm pœnam crucis in corpore ſed cruciatum deſiderium in mente. O Pater æterne, quam profunda & ineffabilia ſunt iudicia tua. Stultus homo non intelligit hæc: Immo ſtulti homines iudicant ſecundùm cordicem facta tua, & facta ſeruorum tuorum, & non ſecundùm profundum abyſſum charitatis infuſæ ſeruis tuis. O ignorans et beſtialis homo. Cum Deus te fecerit hominẽ, cur facis te ipſum beſtiã, et non ſolũ beſtiã, ſed nihil, et beſtialiter iudicas? An ignoras, quia beſtiales deputantur ad pœnas æternales et infernales, in quib. pœnis efficitur homo veluti nihil,

non quidem quantum ad naturam quæ ſuſtineat, ſed quantum ad gratiam quæ naturam perficiat, & res quæ eſt priuata ſua perfectione poteſt dici nihil: & ſubiunxit. Datum eſt ergo nobis verbum æternum, per manus Mariæ: & de ſubſtātia Mariæ induit naturam, abſque peccati originalis macula: & hoc quia non hominis, ſed Spiritus ſancti operatione facta eſt illa conceptio: quod quidem non fuit ſic in Maria: quia non proceſſit de maſſa Adæ operatione Spiritus ſancti, ſed hominis. Et quia tota illa maſſa erat putrida, non poterat niſi in putridam naturam anima illa infundi: nec purgari poterat, niſi per gratiam Spiritus ſancti, cuius quidem gratia non eſt ſubiectū ſuſceptibile corpus, ſed Spiritus rationalis, aut intellectualis: & ideo non potuit Maria à macula illa purgari, niſi poſtquam anima infuſa eſt corpori: quod quidem ſic factum eſt propter reuerentiam theſauri diuini, qui in illo vaſe debebat reponi: nam ſicut fornax conſumit guttam aquæ in modico tempore, ſic fecit Spiritus ſanctus de macula peccati originalis. Nā poſt conceptionem eius, ſtatim fuit per gratiam Spiritus ſancti ab illo peccato mundata, & gratia magna dotata. Subiunxit: Tu ſcis Domine, quia iſta eſt veritas.

ORATIO DECIMA SEPTIMA EIVSdem, facta Romæ, die 12. Auguſti. anni ſupraſcripti.

IN-

INgrate homo, alta & æterna Deitas, incompræhenſibilis & inaſtimabilis amor. Tu dicis pater æterne, quòd homo reſpiciens ſe, inuenit te in ſe, quia creatus eſt ad imaginem tuam: qui habet memoriam ad retinẽdum te & beneficiis tua, participando in hoc potentiam tuam: habet intellectum ad cognoſcendum te, tuam participando ſapientiam, ſcilicet vnigeniti filij tui domini noſtri Ieſu Chriſti: & habet voluntatem ad diligendum te, participando clementiam Spiritus ſancti. Sic profectò non ſolùm ipſum creâſti ad imaginem tuam, ſed in te quodammodò habens ſimilitudinem ſuam, ſic tu es in ipſo, & ipſe in te. Non cognoui me in te Deus, & te in me Deus, Iſta eſt tota ignorantia hominum ignorantium qui offendunt te, quia ſi hoc ſcirent, non poſſent non diligere Deum: hoc autem neſcire procedit ex priuatione luminis gratiæ, quæ priuatio creatur à nube proprij amoris ſenſitiui: tanta eſt conformitas inter hominem, et hominem, quòd quãdo non ſe diligunt, recedunt à propria natura. Poſtmodùm orauit pro ſingularibus ſuis, vt participarent naturam diuinam, diligendo ſe adinuicem, & iſta eſt vera conformitas. Reſpondit Deo, & dixit: Quomodo maiorem gratiam poſſum habere, quàm vt vitam ducam ſemper in pœnis, & ipſam terminem cum Martyrio propter te.

ORATIO DECIMA OCTAua, facta Romæ.

DEitas amoris, Deitas. Quid poſſum dicere de veritate tua? Tu veritas dic de veritate. Ego

neſcio de veritate dicere, ſed de tenebris tantùm: quia non ſum ſecuta fructum crucis tuæ, ſed ſolùm ſecuta ſum tenebras, & non cognoui tenebras: benè fateor quòd qui cognoſcit tenebras, cognoſcit lucem: ſed ego non feci ſic, immo ſecuta ſum tenebras, nec eas perfectè cognoui. Dic ergo domine tu veritatem tuam de cruce tua, & ego audiam. Tu dicis, quòd quidam ſunt perſecutores fructus crucis tuæ, nam fructus tuæ crucis, tu es. O verbum vnigenitum Dei, qui ex immenſitate amoris & charitatis quam habuiſti ad nos, inſeruiſti teipſum tãquam fructum duabus arboribus. Primò naturæ humanæ, vt manifeſtares nobis veritatem patris tui inuiſibilẽ: quæ veritas tu es. Et ſecundò inſeruiſti teipſum arbori crucis, in qua arbore nõ te tenuerũt claui, nec quicquã aliud, niſi amor immẽſus, quẽ ad nos habuiſti: & totũ hoc feciſti, vt manifeſtares nobis veritatẽ voluntatis patris, quia volebat noſtram ſalutem. Ex iſta inſertione productus eſt ſanguis tuus, qui propter vnionem diuinæ naturæ dedit nobis vitam, iſtius ſanguinis virtute mundamur à peccato mediantibus Sacramẽtis tuis. Repoſuiſti autem hunc ſanguinem in cellario Eccleſiæ militantis: dans claues & cuſtodiam eius vicario tuo principali in terris. Hæc autem omnia non cognoſcuntur, nec ſciuntur ab hominibus, niſi mediante lumine tuo, quo tu illuſtras nobiliorem partem animæ noſtræ, ſcilicet intellectum. Hoc lumen eſt lumen fidei quod tu cuilibet Chriſtiano concedis, quãdo mediante Sacramẽto Baptiſmi infundis lumen fidei & gratiæ tuæ, per quã purgatur peccatum originale, quod contraximus: & datur nobis lumen ſufficiens ad perducendum nos vſq; ad vltimũ finẽ beatitu-

beatitudinis, niſi nos cum puritate amoris proprij ſenſitiui excæcemus oculos noſtros, quos gratia tua illuminauit in Baptiſmo. Excæcamus verò noſipſos, inducendo cataractas ſuper oculos noſtros per frigiditatem, & humiditatem amoris proprij ſupradicti. Et ideo non cognoſcimus te, nec aliquid verum bonum: & dicimus malum bonum, & bonum malum: & efficimur ingratiſsimi, & ſuperingratiſsimi, & peius & deterius eſt nobis poſt agnitam veritatem tuam, quando perdidimus lumen, quã antequam lumen reciperemus. Peior enim eſt Chriſtianus talis quàm infidelis, & peius eſt ſibi, niſi inquantum facilius recipit medicinam de malo ſuo: propter aliquale lumen fidei, quod remanet ei. Iſti, domine, tales ſunt perſecutores fructus crucis tuæ, id eſt, ſanguinis tui. Non enim te Chriſtum crucifixum ſequuntur, ſed perſequuntur & te & ſanguinem tuum, & potiſsimè illi qui rebellant vicario tuo, qui habet claues cellarij, vbi eſt repoſitus ſanguis tuus, et ſanguis omnium Martyrum, quamuis ſanguis Martyrum, non valeat, niſi in virtute ſanguinis tui. Iſta autem rebellio & omne peccatum accedit eis, quia perdiderunt lumen veritatis tuæ, quod acquiritur per fidem tuam. Vnde Philoſophi, quamuis multas ſcirent veritates de creaturis, quia tamẽ non habuerunt fidem tuam, ſalutem conſequi non potuerunt.

ORATIO DECIMA NONA EIVSdem, facta Romæ, die 13. februarij. M. CCC. LXXVIII.

O *Amor inæſtimabilis, ô dulcis amor ignis æterne. Tu es ignis qui ſemper ardes: alta & aeter-*

na Trinitas, Deus rectus es abſq; vlla tortuoſitate, ſimplex abſq; duplicitate, & ſyncerus abſq; aliqua fictione. Dirige oculos miſericordiæ tuæ ſuper creaturas tuas. Noui quòd miſericordia tibi propria eſt, immo ad quicquid me conſiderando conuerto, nil inuenio abſq; miſericordia tua. Ideoq; curro & clamo ante miſericordiam tuam, vt facias miſericordiam cum hoc mundo. Tu vis nos ſeruire tibi ad modum tuum, & diuerſimodè ducis ſeruos tuos, propter quod hodie indicas, quod nullatenus intrinſecum creaturæ debemus, aut poſſumus iudicare p actus exteriores, ſed voluntatem cunctorum in tua voluntate iudicare debemus, & hoc maximè de ſeruis tuis: ideo gaudet anima, quæ videt lumen in lumine tuo, de varijs & infinitis modis & vijs, quos & quas videt in ipſis, quia licet p diuerſos calles pcedant, tamē omnes currunt per ignitū iter charitatis tuæ: aliâs non ſequerentur veritatem tuam in veritate. Vnde alios videmus currere per viam pœnitentiæ fundatos in mortificatione corporis: alios in humilitate, in occidendo peruerſam voluntatem: alios in fide viua: alij quidam per miſericordiam accedunt, & alij totaliter dilatati in charitate proximi relinquendo ſeipſos. In his & ſimilibus pingueſcit anima, quæ ſollicitè exercuit naturale lumen, vnde acquiſiuit ſupernaturale, cum quo videt immenſam largitatem tuæ bonitatis. O quàm regaliter progrediuntur iſti. O quàm aduertunt fieri ſecundùm ordinem volūtatis tuæ, & ideo in omnibus, quæ operantur creaturæ tuæ, conſiderant voluntatem tuam, nunquam verò voluntatem iudicant creaturæ. O inæſtimabilis charitas,

iſti

iſti benè didicerunt & corde tenuerunt doctrinam veritatis tuæ, vbi videlicet dixit: Nolite iudicare ſecundùm faciē. O veritas æterna, quæ eſt doctrina tua? quod eſt iter per quod oportet nos accedere ad patrem? Neſcio aliud iter videre, niſi quod tu verbum æternum pauimentâſti realibus virtutibus ignis charitatis tuæ, quas ædificâſti pretioſo ſanguine tuo. Hæc eſt quidem via. In nihilo ergo alio culpa noſtra conſiſtit, niſi in diligere quod odiſti, & odio habere quod dilexiſti. Fateor quòd ſemper odiui quod amas: & amaui quod odio habuiſti. Sed hodie clamo coram miſericordia tua, abyſſus charitatis, ſupplicans, quatenus des mihi ſequi veritatem tuam in ſimplici corde. Concede quæſo continuam famem patiendi pro te penurias & tormenta. Da etiam, pater æterne, fontem lachrymarum oculis meis, quibus inclinem ſuper totum mundum miſericordiam tuam, & maximè ſuper ſponſam tuam. O ineffabilis & dulciſſima charitas, hoc eſt viridarium tuum fundatum in ſanguine tuo, & aſperſum ſanguine Martyrum tuorum, qui viriliter incurrerunt poſt odorem ſanguinis tui, cuſtodi ergo eam. Quis enim contra ciuitatem quam tu cuſtodieris poterit præualere? Verè, clementiſſime pater, corda noſtra immerge in hunc ſanguinem, vt poſſimus concipere famem honoris tui, & ſalutem animarum. Peccaui domine, miſerere mei. O Deitas æterna, quid de te dignè dicemus? aut quid iuſtè & verè iudicando proferemus? Certè dicemus, & firmiter iudicando credemus, quòd tu es Deus noſter, qui ſolummodò vis ſanctificationem noſtram. Hoc patet euidenter in ſanguine filij tui,

qui propter noſtrã ſalutem tanquã philocaptus cucurrit ad opprobrioſam mortem ſanctiſſimæ crucis: pudeat hominem creaturam tuam, tantum per ſuperbiam caput extollere, cum te Deum altiſſimũ humiliatum luto noſtræ videat humanitatis. O quàm propria eſt tibi miſericordia, veritas æterna? quam homo ſeruus tuus aduocat contra iuſtitiam? quam meretur mundus propter peccata ſua. Miſericordia tua creauit nos, miſericordia tua redemit nos à morte æterna, miſericordia ipſa tegit nos, & detinet iuſtitiam tuam: vt non præcipias terræ quòd aperiatur, & deglutiat nos: neq; animalibus immũdis, quòd deuorent nos: immo omnia ſeruiunt nobis, & terra largitur nobis de fructibus ſuis. Hæc omnia propter miſericordiam, miſericordia tua regit nos. Ipſa miſericordia differt mortem noſtrã, tribuendo tempus in quo poſſimus ad te reuerti & tibi reconciliari. O miſericors & pie pater, quis tenet naturam angelicam, vt non faciat vltionem de homine, qui inimicus eſt tibi? Miſericordia tua. Ex ſola miſericordia tua concedis conſolationes, vt coacti ſimus diligere te, cùm cor creaturæ amore trahatur. Ipſa eadem miſericordia tribuit pœnas & afflictiones, vt noſmetipſos diſcamus agnoſcere, vt etiam habeant miſeri aliquid ſuſtinere, pro quo remunerando corones eos cùm legitimè certauerint. Ex miſericordia dimiſiſti cicatrices in corpore agni vnigeniti tui, vt cum ipſis coram maieſtate tua pro nobis miſericordiam poſtulet. Ex ſola miſericordia hodie dignatus es ad plenum oſtẽdere mihi miſerabili miſeriæ plenæ, quomodo nullatenus poſſum, aut debeo intentiones creaturarum rationabili-

bilium iudicare, cùm per infinitas diuerſitates itinerum eas ducas. Et clarè mihi demonſtrâſti etiam per exemplū meimet, de quo ego miſerrima gratias ago tibi. Miſericordia tua noluit, quòd agnus immaculatus ſolummodò vnica gutta cruoris ſui redimeret genus humanū, nec cū pœna ſolummodò vnius membri, ſed cum toto ſanguine, & totius corporis ſui pœnis, vt plenariè ſatisfaceret toto humano generi, qui omnes læſeramus te. Et hoc dupliciter: primò, quia vt videmus, ex tuis rationalibus creaturis aliæ offendunt cum capite, aliæ cum manibus, aliæ cum pedibus, aliæ cum cæteris membris corporis te offendunt: ita quòd omnibus congregatis dictum humanum genus, totius membris corporis offendit te. Secundò & vltimò, quia omnis culpa perpetratur ex voluntate, abſque ipſa enim nulla eſſet culpa: & ipſa continet in ſe totum corpus, quapropter totum corpus creaturæ committit culpam aduersùs te. Et ideo cum toto corpore & ſanguine filij tui voluiſti, quòd ſatisfaceret, vt eſſet omnibus plenariè ſatisfactum: & hoc ex virtute Deitatis infinitæ, vnitæ cum natura noſtra finita, humanitas quippe paſſa fuit: Deitas verò ſacrificium acceptauit. O verbum æternum fili Dei, vnde hoc, quòd habuiſti perfectā contritionem culpæ, cùm in te nunquam fuerit venenum peccati: video quòd voluiſti ſatisfacere cum corporali & mentali pœna, ſicut corporaliter & mentaliter homo commiſerat culpam. Peccaui domine, miſerere mei, & ne reſpicias peccata noſtrra, omnipotens, pie, & miſericors Deus.

ORATIO VIGESIMA EIVSDEM' facta die 14. februarij. Anno M. CCC. LXXVIII.

O Trinitas æterna: ô Trinitas æterna: ô ignis, & abyſſus charitatis: ô vere & amore creaturæ tuæ infatuate: ô veritas æterna: ô æterne ignis: ô æterna ſapientia, Deus qui datus es in noſtra redemptione, nunquid ſolummodò venit in mundum ſapientia tua? non ſic fuit. Non enim fuit ſapientia abſq; potentia, neq; potentia & ſapientia abſq; clementia: non enim veniſti ſolus, ſed & tota Trinitas affuit. O Trinitas æterna, quidnam receperas ab homine niſi offenſionẽ? quæ vtilitas prouenit tibi de noſtra redemptione? Nulla, nõ enim indiges nobis: cui ergo prouenit hæc vtilitas? ſolummodò homini. O inæſtimabilis charitas, ſicut te totum Deum, & totum hominem dediſti homini, ita totũ demiſiſti te in cibum creaturæ tuæ rationali: vt dum in hoc itinere peregrini ſumus, non deficiamus laboribus fatigati, ſed roboremur hac refectione cœleſti. O mercenarie homo, quid dimiſit tibi Deus tuus, dimiſit totũ ſe, Deum & hominẽ velatũ ſub illa albedine panis. O ignis amoris, nunquid non ſufficiebat creatio ad imaginem & ſimilitudinem tuam? & recreatus ad gratiam in ſanguine filij tui? niſi etiam & totam Trinitatem tribueres nobis in cibum. Quid te coëgit ad hæc? certè non aliud quàm charitas tua. O Deus, Trinitas æterna, quemadmodùm non miſiſti ſolum verbum pro redemptione, ita non dimiſiſti ſolum id nobis in cibum, ſed ut verè infatuatus

ſatuatus amore creaturæ tuæ, totam te Trinitatem æternam, vt dictum eſt. Et ſicut non dimiſiſti te nobis ſolum in cibum, ita non das te ſolum animæ illi, quæ totam ſe reliquit amore tui: & ſolummodò quærit & optat gloriam & laudem nominis tui, non quærendo te amore ſui. Sed ſolummodò propter te: quia ſcilicet tu es forma, & æterna bonitas, dignus diligi, & quòd ſeruiatur tibi à creaturis tuis, nec proximum neq; ſe quærit anima amore ſui, ſed ſolum vt reddat gloriam nomini tuo: videmus enim quòd his talibus non manifeſtas te ſolum, immo fortificas eos potentia tua contra prælia dæmonum, & contra tribulationes à creaturis illatas, & contra quaſcunq; alias aduerſitates. Videmus etiam, quòd illuminas oculum intellectus ipſorum ſapientia filij tui, vt cognoſcant ſe, & te lumine tuo. Vris etiam corda ipſorum in clementia Spiritus ſancti: & hæc omnia facis ſeruis tuis, magis & minùs ſecundùm menſuram amoris quam portant tibi, & prout quilibet vitam ſuam exercet. Gratias ago tibi, æterne pater, quòd quia philocaptus es de creatura tua, hodie oſtendis qualiter poſsit Eccleſia tua reformari. Et humiliter ſupplico, quòd ſicut ex vna parte prouidiſti, illuminando oculum intellectus de hac veritate, ſic ex alia prouideas, diſponendo creaturas tuas, & maximè vicarium tuum, vt ſequatur lumen ꝙ infudiſti, & infuſurus es. O Trinitas æterna, ego peccaui toto tempore vitæ meæ. O miſerabilis anima mea, habuiſti ne vnquam memoriam Dei tui? Certè non, ſi enim habuiſſes, iam eſſes combuſta in igne amoris ſui. O pater æterne, redde ſanitatem infirmo, & mortuo vitã,

& da ei vocem, vt clamet ad te voce tua, pro mundo & pro ſponſa tua miſericordiam poſtulando. Et audi vocem tuam qua clamamus ad te. Etſi vniuerſaliter oro pro toto mundo, maximè tamen & ſpecialiter pro vicario tuo, & eius columnis, necnon pro omnibus quos dediſti mihi, vt diligam eos amore præcipuo: quia quamuis ex meis defectibus ſim infirma, volo tamen videre illos ſanos: & quamuis ſim imperfecta, volo eos videre perfectos: & licet ſim mortua, volo ipſos videre viuos in gratia tua. O inæſtimabilis ignis, & dilectio charitatis. Vnde tanta humilitas, & miſericordia? vt tu Deus tàm plenè cum tua creatura participes, tàm per vnionem naturæ diuinæ in natura noſtra humana, quã etiam per ſentimentũ in vnione quam facis in animabus diligentium te, & ſeruientium tibi in ſimplici corde? non hoc ex noſtra parte procedit, cùm ſimus inimici tui. Pudeat hominem creaturam tuam non facere manſionem apud te toto corde, cùm tu alta & æterna Deitas tantis modis apud nos facias aſſiduam manſionem. O miſerabilis anima mea quia nunquam habuiſti memoriam Dei tui, & ideo tuum cor in virtutibus minimè ſolidâſti. Peccaui domine, miſerere mei. Tu alta & æterna Deitas es vita, & ego mors: tu Deus ſapiẽtia, & ego ſtultitia: tu lux, & ego tenebræ: tu infinitus, & ego finita: tu rectitudo, ego autem tortuoſitas: tu quidem medicus, & ego infirma. Et quis ad te attingere potuit, ſumma altitudo, æterna Deitas, ad regratiandum tibi de tot & infinitis beneficijs, quæ nobis largiri dignata es? Tu ipſe attinges cum lumine, quod infundes volentibus recipere, & cum funiculo tuo ligabis qui

bis qui ſe ligare permiſerit, videlicet non obſtando voluntati tuæ. Ne tardes, clementiſſime pater, conuertere oculos miſericordiæ tuæ ſuper mundum: magis enim glorificaberis, ſi dederis lumẽ, quàm ſi permaneat in tenebris mortalis peccati: quãuis tu de omnibus quibuſcunq; accipias gloriã & laudem nominis tui, vnde videmus, quòd in peccatoribus lucet miſericordia tua quæ tenet te, vt non euagines gladium iuſtitiæ: immo ſeruas eis tempus in quo poſſint conuerti ad te. Similiter in inferno videtur gloria tua, ubi puniuntur damnati per tuam iuſtitiam, & etiã miſericordia tua lucet in eis, quia nõ patiũtur tãta tormẽta quãta meruerũt: per quas miſericordiã & iuſtitiam vertitur gloria & laus nomini tuo. Sed volo videre in creaturis tuis, quòd reddant tibi gloriam quemadmodùm debent, ſequendo voluntatem tuam, vt perueniant ad finem ſuum, per quem omnes creâſti: volo etiam, vt de vicario tuo alium te facias, quia multò magis indiget lumine alijs, cùm cunctos alios habeat illuminare. O benigniſſime & clementiſſime pater, humiliter ſupplico, quatenus largiaris nobis tuam dulcem, & æternam benedictionem.

ORATIO VIGESIMA PRIMA EIVSDEM, facta Romę, die 15. febr. anni ſupraſcripti.

DEitas æterna, ô alta & æterna Deitas, inæſtimabilis amor, in lumine tuo vidi lumen, in ipſo lumine lumen cognoui, in lumine tuo cognoſcitur cauſa luminis: & cauſa tenebrarũ, quia tu es cauſa luminis: nos autem creaturæ tuæ, tenebrarum cauſa ſumus, et cognoſcitur quid operatur lumẽ in anima, q͂d etiam tenebræ. O Trinitas æterna, mirabilia ſunt opera tua, et lumine

mine tuo cognoſcuntur, quia ab ipſo lumine procedunt: hodie veritas tua cum admirabili lumine indicat cauſam tenebrarum, quæ eſt indumentum fœtidum propriæ voluntatis, & manifeſtat inſtrumentum quo cognoſcitur lumen, ſcilicet indumentum tuæ dulciſſimæ voluntatis. Mirabile eſt, quod dum ſumus in tenebris huius mortalis vitæ, cognoſcimus lumen, & finiti noſcimus infinita: exiſtentes in morte cognoſcimus vitam: veritas tua oſtendit, quòd ſicut homo exuit ſe veſte, vertendo interiorem partem in exteriorem, ita quælibet creatura debet ſe exuere ſua voluntate peruerſa, ſi vult ad plenum induere tuam. Et quomodo poſſumus nos taliter exuere cum lumine, quod acquiritur exercendo, cum manu liberi arbitrij, eſt lumen quod recipimus in ſacro Baptiſmo, quia vidimus in lumine lumen. Et vnde recipit homo hoc lumen? ſolùm à te lumine, quod oſtendiſti nobis ſub velamine noſtræ humanitatis. Quid recipit anima induta hoc lumine? Priuatur tenebris, ſiti, fame, & morte: quia cum fame virtutum expellit inſatiabilem famem propriæ voluntatis. In ſiti honoris tui eradicat ſitim proprij honoris: & quia peruenit ad vitam voluntatis tuæ, exijt de morte ꝓpriæ voluntatis peruerſæ. O fœtidum indumentū voluntatis noſtræ, tu non tegis, ſed diſcooperis animam. O voluntas exuta. O arra vitæ æternæ: tu es fidelis vſq; ad mortem, non mundo, ſed tuo dulciſſimo creatori. Tu ligas animam cum ipſo, quia ſe totaliter à ſe ſoluit, ô amor inæſtimabilis, in quo videt animа ſe eſſe exutam plenariè ſemetipſa: in hoc quando nō quærit locum, modum, neq; tempus ad modum ſuum. Sed

hæc & omnia ad beneplacitum tuum, hoc eſt lucidum veſtimentum. Verè poteſt dici ſol, ſicut enim ſol illuminat, calefacit, & facit germinare terram: Ita pater æterne, hoc verum lumen calefacit animam quæ poſſidet ipſum in igne charitatis tuæ, & illuminat: quia cum lumine noſcit veritatem in lumine ſapientiæ tuæ, et facit eam germinare dum eſt in iſta mortali terra, fructum verarum realiumq; virtutum: hæc anima efficitur fortis in potentia tui æterni patris: prudens in ſapientia vnigeniti filij tui, & apta ad amandum, participando clementiam Spiritus ſancti. Quid eſt quod impedit & obſtat, vt anima non ſe taliter exuatur? priuatio luminis: quia non nouit principale lumen quod cuilibet creaturæ rationali largiris, & ideo non exercuit illud. Et quare non nouit? quia obfuſcauit oculum intellectus cum culpa, qua ligauit voluntatem, quæ voluntas eſt illa, quæ quālibet culpam committit. O miſerabilis anima mea. Quomodo non ſentis fœtorem culpæ, & odorem virtutum & gratiæ? Quia priuata es lumine. Peccaui domine, miſerere mei. O Deus æterne, in lumine tuo noui quantam conformitatem tui largitus es creaturæ tuæ, ad quamcunq; partem verto oculum intellectus, video quòd poſuiſti eam quaſi in quodam circulo, quia ad quācunque partem progreditur, reperit ſe in ipſo: ſi verto oculum ad cognoſcendum in lumine tuo eſſe quod dediſti nobis, tu dediſti nobis conformitatem ad imaginem & ſimilitudinem tuam, participando te Trinitatem æternam in tribus potentijs animæ. Si conſpicio in verbo per quod creati ſumus ad gratiam, te nobis video conformatum, &

nos tibi, propter vnionem quam tu Deus æternus feciſti in homine. Si conuertor ad animam illuminatam de te vero lumine, ipſa facit manſionem in te, tuæ veritatis imitando doctrinam, & in communi, & in particulari, id eſt, in particularibus virtutibus acquiſitis, & probatis ex amore quem anima concepit erga te; & tu es idem amor. Anima ergo quæ ex amore ſequitur doctrinam tuæ veritatis, alter tu efficitur ex amore: hæc exuta ſua propria voluntate induta eſt tua, intantum quod non quærit, nec optat, niſi quod tu quæris, & tua voluntas appetit, quod ſit in anima. Tu es philocaptus de anima tali, & anima de te eſt philocapta, ſed tu amas eam gratis, quia eam priuſquam eſſet amaſti, & ipſa diligit te ex debito. In lumine tuo nouit, quod gratis non poteſt te diligere, quia obligata eſt tibi, & non tu ei. Et in dicto etiam tuo lumine vidit, quod id quod tibi non poteſt reddere, id eſt, diligere te gratis, oportet quod reddat & retribuat proximo ſuo, diligendo eum gratis, & ex debito ſimul: & ex gratia dico, quia non quærit retributionem ab eo: nec propriè ſeruit ei propter vtilitatem ab ipſo receptam vel recipiendam, ſed ſolummodò ex amore. Ex debito verò diligit eum, inquantum præcipis ei, & ipſe eſt obligatus obedire tibi. Si reſpicio quantam conformitatem facis de anima in te, quando ſurgit cum lumine intellectuali acquiſito à te vero lumine, & cum affectu erectis in te, ſpeculando ſe in lumine veritatis tuæ. Intantum facis tunc conformitatem cum ipſa, quod tu, qui es Deus noſter immortalis, das ei noſcere & guſtare in affectu charitatis tuæ immortalia bona tua. Tu qui es lumen, participas cum ea lumen. Tu qui es ignis, ignem

cum

tum ipſa participas: & in igne tuo vnis voluntatē ſuam cum tua, & tuā cum ſua. Tu ſumma ſapiētia, ſapientiam largiris ei, & diſcernere & cognoſcere veritatē tuā. Tu qui es æterna fortitudo, fortitudinem tribuis ſibi, & efficitur tàm fortis, quòd neq; creaturæ poſſunt ipſam fortitudinem auferre ab ea, niſi ipſa velit. Nunquam verò vult dum portat veſtem voluntatis tuæ. Sola enim voluntas ſua facit ipſam debilitari. Tu infinitus facis ipſam infinitam, propter conformitatem quam ex gratia cum ipſa feciſti: hîc dum eſt peregrina, & in vita durabili in æterna viſione tua, vbi tàm perfectè eſt conformata tibi, & liberum arbitrium taliter eſt ligatum, ꝙ non poteſt ipſam à tali conformitate ſeperare. Benè ergo fateor ꝙ veritas tua dicit veritatem, & ꝙ creatura rationalis eſt tibi totaliter conformata, & tu ipſi ꝑ gratiam. Tu non das ei partem gratiæ, ſed totam: quare dico ꝙ videtur mihi ꝙ des totam, quia nihil ei deficit ad ſalutem: Eſt quidem minus & magis perfecta, ſecundùm ꝙ ipſa in lumine tuo vult exercere lumen, quod tu à principio dediſti ei naturaliter. Quid ergo amplius dicam? Nihil aliud niſi quòd homo effectus eſt Deus, & tu Deus homo factus es. Quid fuit cauſa huius conformitatis? lumē in quo nouit voluntatem tuam, cognoſcendo eam, exuit ſe ſua propria quæ dabat ei tenebras, & mortem & nuditatē, & induit ſe tua. Induta tua, induta eſt te per gratiā, per lumen, & per ignem, & per vnionē quam tu Deus feciſti in humanitate noſtra. Itaque tu es cauſa cuiuslibet boni, & propria peruerſa voluntas induta amore ꝓprio, eſt cauſa cuiuſcūq; mali: et tanti mali eſt cauſa iſta volun-

voluntas,quia cum tenebris facit animam ſalutare extra circulum luminis ſanctiſsimæ fidei: in quo lumine exiſtens, vertendo ſe,ex qualibet parte inueniebat te. Et quā conformitatem inuenit, & in quo reperit ſe vnitā? poſtquam exijt de lumine fidei. Inuenit ſe rectè beſtijs conformatam, quæ ſunt abſq; aliqua ratione,imitando legem peruerſam & doctrinam Dæmonis viſibilis & inuiſibilis. Quis eſt cauſa huius? ipſamet. O alta & æterna Deitas,fateor, & non nego, me eſſe illam miſerabilem, quæ ſum cauſa omnium malorum:quia nunquam exercui lumen in lumine tuo,ad cognoſcendum quantum tibi diſplicet,& mihi eſt nociuum, malignum, & fœtidum indumentum propriæ & peruerſæ voluntatis: hoc veſtimentū tu vis, ꝙ quilibet exuat feſtinanter & totaliter,ſumendo ipſum à pedibus,& totum ſimul extrahendo: ego ſum etiam illa miſera miſerabilis, quæ non noui dulcedinem voluntatis tuæ,quam ex debito debeo me induere. Peccaui,peccaui domine,miſerere mei. Tu Deus æternus, alta & æterna Deitas, in lumine tuo facis videre lumen. Quare pater æterne, humiliter ſupplico, quatenus infundas,& dones illud omnibus creaturis tuis rationalibus,ſed præcipuè illud infunde dulci patri noſtro vicario tuo,tàm abundanter quantum neceſſe eſt, in tantum quod tu alta & æterna Deitas,de ipſo alium te facias. Et ſimiliter rogo te,quòd dones lumen tenebroſis, vt cognoſcāt veritatem in lumine tuo. Similiter ſupplico pro his quos dediſti mihi,quòd eos diligam ſingulari amore,cum præcipua & maxima ſollicitudine. Rogo ſint illuminati in lumine tuo, auferatur ab eis imperfectio,

vt in

vt in veritate laborent in viridario tuo, in quo eos poſuiſti ad laborandum. punias, & vindicam ſupra mè culpas & imperfectionem eorum, quarũ ego ſum cauſa. Peccaui domine, miſerere mei. Gratias, gratias ago tibi, alta & æterna Trinitas, quia in lumine tuo dediſti refrigerium animæ meæ, propter conformitatem noſtrã quam noui nos tecum habere, et per doctrinam quam dediſti de excellentia voluntatis tuæ. Ego ſum quæ non ſum, & tu es ſolus ille qui es: ergo tu ipſe gratias redde tibi, dando mihi cum quo poſſum laudare te: voluntas tua te cogat ad faciendam miſericordiam cum mundo, & tuo diuino adiutorio ſubuenire vicario tuo in terris, & ſponſæ tuæ. Peccaui domine, miſerere mei. Alta & æterna Deitas, largire nobis tuam dulcem benedictionem.

ORATIO VIGESIMA SECVNDA eiuſdem, facta Romæ, die 16. februarij, anni ſupraſcripti.

DEitas æterna, ô alta & æterna Deitas, ô ſumme & æterne pater. O ignis qui ſemper ardes. Tu pater æternus, alta & æterna Trinitas: tu es ignis inæſtimabilis charitatis. O Deitas, Deitas. Quid eſt quod manifeſtat bonitatem & magnitudinem tuam? Donum quod dediſti homini, & quod minus largitus es ei. Totum te Deum immenſam & æternam Trinitatem: & in quo loco donans te ei es dignatus deſcendere. In ſtabulo noſtræ humanitatis, quæ rectè erat effecta ſtabulum, quia receptaculum animalium, mortalium ſcilicet pec-

cet peccatorum: & ideo ibi voluiſti naſci, ad demonſtrã-dum ad quid homo peruenerat propter culpam. Ita quòd totum te Deum dediſti nobis, conformando te noſtræ humanitati, & in ipſa vnionem faciendo. O Deus æterne, ô Deus æterne. Tu dicis, quòd ego reſpiciam in te altam & æternam Deitatem, & aſpiciendo in te cognoſcam me, vt meliùs cognoſcam infirmitatem meam, per altitudinem tuam: & econuerſò, per magnitudinem tuam, meam paruitatem. Sed video, quòd niſi priùs exuam me propria voluntate, non poſſum videre te: & ideo dediſti mihi doctrinam, vt priùs exuam me voluntate mea, cognoſcendo me; in qua cognitione agnoſco te, quare tunc perfectè exuit anima ſe propria voluntate, & induit tuam. Et tunc vis, quòd ſurgat cum lumine ad cognoſcendum ſe in te. O ignis, qui continuè ardes, anima quæ ſe nouit in te, ad quamcunque partem reſpiciendo ſe vertit, inuenit etiam in infimis magnitudinem tuam, videlicet in creaturis rationalibus, & omnibus quæ creâſti. Nam in omnibus aduertit potentiam tuam, & ſapientiam, & clementiam; niſi enim potuiſſes, ſciuiſſes & voluiſſes ex amore, minimè creâſſes ea. Sed potuiſti, ſciuiſti & voluiſti, quia omnipotens es, ideoq́; creâſti. O miſerabilis anima mea, nunquam te cognouiſti in eo, quia non exuiſti voluntatem peruerſam tuam: nec ſuam induiſti. Et quomodo vis, dulciſſime amor, quòd reſpiciam me in te: vis quòd conſiderem creationem, qua ad imaginem & ſimilitudinem tuam nos creâſti. Vis etiam quòd conſiderem & reſpiciam,

am, quòd te integram puritatem vniſti luto humanitatis noſtræ, coactus ab igne tuæ inæſtimabilis charitatis. Quo etiam igne vrgente, dediſti te nobis in cibum. Et qualis cibus eſt iſte? Cibus angelorum, ſumma & æterna puritas, & ideo tantam puritatem requiris eſſe in anima, quæ recipit te in hoc dulciſſimo Sacramento, quòd ſi poſſibile eſſet naturam angelicam purificari, quæ nulla indiget purificatione, opus eſſet, quòd purificaretur ad hoc tantum myſterium acceſſura. Et quomodo purificatur anima? Igne charitatis tuæ, & abluendo faciem ſuam in ſanguine vnigeniti filij tui. O anima mea miſeria plena, quomodo accedis ad tantum myſterium abſque purificatione ſolenni? erubeſce, digna cum beſtijs & Dæmonijs habitare, quia operata es opera beſtiarum, & ſecuta voluntatem Dæmonum. O bonitas immenſa, tu vis quòd ego reſpiciam in te, ac videam quòd tu diligis me, & quia gratis me diligis, vt cognoſcã quòd quaſcunq; rationales creaturas diligis; hoc eodem amore, ad hoc vt iſto amore diligam proximum meum, amando eum gratis, id eſt, ſubueniendo ei ſpiritualiter & corporaliter iuxta poſſe, abſq; vlla ſpe præmij: immo quãuis eſſet mihi moleſtus & ingratus, non vis quòd deſinã prodeſſe ei, & ſubuenire neceſſitatibus ſuis. Quid ergo faciam, vt hoc videam? Exuam fœtidam veſtem meam, & cum lumine ſanctiſſimæ fidei reſpiciam me in te, & induam me æterna voluntate tua: & cum hoc lumine cognoſcã, ꝙ tu Trinitas æterna es nobis menſa, cibus & ſeruitor. Quia tu pater æternus es illa menſa, quæ

das nobis cibum, agnum videlicet vnigenitum tuum: Ipſe agnus eſt nobis ſuauis & dulciſſimus cibus, tàm in doctrina ſua quæ alit nos in voluntate tua, quàm etiam in Sacramento, in ſancta communione nobis tradito, quod paſcit nos atq; confortat, dum ſumus peregrini in hac vita: Spiritus ſanctus eſt nobis rectè ſeruitor, quia miniſtrat nobis hanc doctrinam, illuminando de ipſa oculum intellectus noſtri, & inſpirando in cordibus, vt ſequamur eam. Miniſtrat etiam nobis charitatem proximi, & famem cibi animarum, & ſalutis totius mundi, propter honorem tui patris. Vnde videmus, quòd animæ illuminatæ in te vero lumine, non ſinunt præterire tempus in quo non comedant vel comedere velint cibum animarum propter honorem tuum. Tu infinita bonitas, in te patefacis neceſſitatem mundi, & præcipuè Eccleſiæ ſanctæ ſponſæ tuæ, & amorem quem habes erga ipſam: quia fundata eſt in ſanguine dilecti filij tui, & in ipſo condita eſt. Similiter etiam manifeſtas amorem erga vicarium tuum, ex eo, quòd miniſter eſt huius ſanguinis pretioſi. Ideo reſpiciam me in te, vt efficiar pura, & ſic purificata clamabo coram miſericordia tua, vt vertas oculum pietatis ſuper neceſſitatem Eccleſiæ ſanctæ, & illumines & robores vicarium tuum: Illumina etiam, clementiſſime pater, ſeruos tuos, vt cõſulant tibi rectè & ſimpliciter, atque diſponas eos, vt ſequantur lumen quod in ipſis infundes. O alta & æterna Sapientia. Tu non poſuiſti animam ſolam, immo dotâſti eam tribus potentijs, videlicet memoria, intellectu, & volun-

voluntate: & tàm ſunt vnitæ, quòd quicquid vult vna, aliæ ſequuntur. Vnde ſi memoria ponit ſe ad videndum beneficia tua, & bonitatem tuam, ſubitò intellectus vult intelligere eam, & voluntas diligere eam, & ſequi voluntatem tuam. Et quia tu non poſuiſti eam ſolam, non vis quòd maneat abſq; ſocietate, amore ſcilicet tui, & dilectione proximi. Et quando ſic eſt ſociata, tunc eſt perfectè vnita, & fit vnum, ſcilicet in te, & vnum cum proximo ſuo: & tunc benè verificatur verbum Pauli, vbi dixit: Multi quidem in ſtadio currunt, vnus autem accipit brauium, videlicet charitas. Sed quando ſociat ſe cum culpa, tunc verè remanet ſola, quia diſcedit à te, qui ſolus es omne bonum: & diſcedendo à te, eſt ſeparata à charitate proximi, & ſociata culpæ quæ nihil eſt: & ex hoc oſtendis quod tunc remanet ſola. Peccaui domine, miſerere mei. Nunquam didici cognoſcere me in te, ſed lumen tuum eſt illud, quod facit videre quicquid boni cognoſcitur: In natura tua, Deitas æterna, noſcam naturam meam. Et quæ eſt natura tua, amor inæſtimabilis? eſt ignis: & de hac natura dediſti homini, quia creáſti illum ex igne amoris: & ſimiliter de omnibus alijs creaturis & rebus. O ingrate homo, quam naturam dedit tibi Deus tuus? naturam ſuam: & tu non erubeſcis auferre naturam tàm nobilem à te, committendo peccata? O dulcis æterna Deitas, alia quæ videmus nō apparentia ignis, quomodo ſunt ignis? Reſpondeo, video quòd omnia ſunt ignis, quia, vt dictum eſt, omnia ex igne charitatis creâſti, ſicut planta manens in terra, quæ

quamuis non ſit terra, nihilominus ab ipſa terra ſubſtantiam ſuſcipit: vnde benè eſt veritas, quod nihil aliud es quàm ignis. Tu lumen verum, nobis lumen infunde: tu ſapientia, ſapientiam tribue: tu fortitudo, fortitudinē largire hodie; quæſo diſſoluatur nubes noſtra, vt perfectè noſcamus, atq; ſequamur veritatem tuam in veritate, recto & ſimplici corde. Deus in adiutorium noſtrum intende: Domine ad adiuuandum nos feſtina.

AMEN.

Cum facultate Superiorum.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE IN ROMA

INDEX

SVMMA BREVIS ET INDEX CAPITVM ET ORAtionum in hoc volumine contentarum.

TRACTATVS PRIMVS.

CAP. I.

Quomodo per orationẽ vnio fit in Deo, & qualiter hæc anima, de qua hîc loquitur, quatuor petitiones Domino porrigat. p.1.

CAP. II.

Quomodo huic animæ deſiderium excreuit, dum ei mundi neceſsitas à Domino demõſtraretur. pag.2.

CAP. III.

Qualiter operà finita non ſufficiunt ad puniendum vel ad remunerandum abſque charitatis affectu. pag.2.

CAP. IIII.

Quomodò ſanctum deſiderium, & contritio cordis, culpæ ſatisfacit atque pœnæ in ſe, & in alio: & quomodo culpæ ſatisfacit aliquando, ſed non pœnæ. pag.3.

CAP. V.

Quomodo valdè placet altiſsimo deſiderium velle prò ipſo pati. pag.6.

CAP. VI.

Qualiter omnis virtus, & omnis defectus fit proximo mediante. pag.7.

CAP. VII.

Quomodo virtutes mediante proximo perpetrantur, & quare virtutes ipſę tantùm in creaturis poſitæ ſunt differentes. pag. 9.

CAP. VIII.

Quomodo probantur virtutes & fortificantur in hominibus ex contrarijs ipſarum. pag. 11.

CAP. IX.

Quomodo effectus poni non debet in pœnitentia principaliter, ſed in virtutibus: & quomodo diſcretió vitam ab humilitate recipit: & quomodo debitum ſuum vnicuiq; reddit. pag. 12.

CAP. X.

Similitudo quomodo charitas, humilitas, atq; diſcretio ſunt inſimul vnitę, cui ſimilitudini debet anima conformari. pag. 13.

CAP. XI.

Quomodo pœnitentia & alia exercitia corporalia pro inſtrumento debent aſſumi perueniendi ad virtutes, & non pro principali affectu: Et de lumine diſcretionis in diuerſis alijs modis & operationibus. pag. 14.

CAP. XII.

Repetitio quorundam: Et quomodo Deus aſſertiuè promittit ſeruis ſuis Eccleſiæ reformationem. pag. 17.

CAP.

CAP. XIII.

Quomodo hæc anima ſimul creuit atque defecit in amaritudine pro reſponſione diuina: Et quomodo facit orationẽ pro Eccleſia ſancta & vniuerſo populo. pag. 18.

CAP. XIIII.

Quomodo Deus conqueritur de populo ſuo Chriſtiano, & pręcipuè de ſuis miniſtris: aliquid de venerabili Sacramento corporis Ieſu Chriſti tangendo: Et de beneficio incarnationis. pag. 20.

CAP. XV.

Quomodo culpa punitur acriùs poſt Ieſu Chriſti paſsionem quàm ante: Et quomodo Deus permittit mundo facere miſericordiam ac etiam Eccleſiæ ſanctæ: mediante oratione atque tolerantia laborũ ſeruorum ſuorum. pag. 23.

CAP. XVI.

Qualiter hæc anima plus de diuina bonitate cognoſcendo, non erat contenta ſolummodò pro Chriſtiano populo rogare ac Eccleſia ſancta, ſed orabat etiã humillimè pro vniuerſo mundo. pag. 25.

CAP. XVII.

Quomodo Deus conquerebatur de populo ſuo, pręcipuè propter amorem proprium qui regnat in eis, confortans ipſam animam ad orationem & lachrymas. pag. 25.

CAP. XVIII.

Quomodo nullus manus Dei euadere poteſt, vbi ſumus, vel per miſericordiam, vel per iuſtitiam. pag. 26.

CAP. XIX.

Qualiter hæc anima deſiderio ignito ſuccenſa, cupiebat à ſe ſudorem ſanguineũ emanare, & ſe retarguens orationem pro patre ſuo faciebat. pag. 26.

CAP. XX.

Quomodo ſine tribulationibus cum patientia portatis, nemo poteſt Deo placere. pag. 27.

CAP. XXI.

Quomodo fracta via, per quam ad cœlum aſcendere debeamus ex in obedientia Adæ, Deus pontem filio ſuo fecit, per quem tranſire poſſunt cum incolumitate fideles. p. 28.

CAP. XXII.

Deus inducit hanc animam ad conſiderandã dicti pontis magnitudinem, quæ tenet à terra vſque ad cœlum. pag. 29.

CAP. XXIII.

Quomodo ſumus omnes laboratores à Deo miſsi ad laborandum in vinea Eccleſiæ ſanctæ. pag. 29.

CAP. XXIIII.

Qualiter Deus palmites prædictæ viti vnitos, videlicet ſeruos ſuos, putat: & quomodo nullus poteſt colere vel deſtruere vineam

am ſuam, quin colat vel deſtruat illam proximi. pag. 31.

CAP. XXV.

Qualiter hæc anima, poſt aliquas Dei laudes, humiliter expoſcit ſibi demonſtrari per põtem ambulantes: & alios qui per ipſum ambulare volunt. pag. 32.

CAP. XXVI.

Quomodo pons iſte tres gradus habet, per quos apertè notantur tres animæ ſtatus, & qualiter intelligitur verbum Chriſti. Si exaltatus à terra fuero, &c. pag. 33.

CAP. XXVII.

Quibus lapidibus iſte pons eſt muratus: vnde qui per pontem tranſit omnino ſaluus eſt: qui verò tranſit per fluuium, vadit ad mortem. pag. 34.

CAP. XXVIII.

Quomodo per viam Dei, videlicet per põtem iſtum, ac etiam per viam contrariam, videlicet per flumen cũ labore tranſitur. pa. 36.

CAP. XXIX.

Quomodo iſte pons, cùm aſcendiſſet ad cœlum die aſcenſionis, non tamen ſe à terra ſeparauit. pag. 37.

CAP. XXX.

Qualiter anima ſtupefacta miſericordia Dei. multa dona narrat humano generi conceſſa. pag. 39.

CAP.

CAP. XXXI.

De indignitate tranſeuntium per flumen videlicet ſub ponte, quorum anima vocatur à domino mortis arbor, quę radices habet in quatuor vitijs. pag. 41.

CAP. XXXII.

Quomodo fructus huius arboris varij ſunt, veluti peccata varia ſunt. pag. 42.

CAP. XXXIII.

Quomodo fructus aliquorũ eſt auaritia: & de malis quæ procedunt ab illa. pag. 43.

CAP. XXXIIII.

Qualiter aliquorum qui ſtatum terrenæ dominationis occupant, iniuſtitiæ fructus eſt. pag. 44.

CAP. XXXV.

Quomodo per hæc & alia plurima quis incurrit in iudicium falſum. pag. 45.

CAP. XXXVI.

De tribus repræhenſionibus, quarum vna eſt continua. pag. 46.

CAP. XXXVII.

De ſecũda repręhenſione, in qua repręhenditur de falſo iudicio & iniuſtitia. pag. 47.

CAP. XXXVIII.

De quatuor principalibus tormentis damnatorum, quæ cætera ſubſequuntur. pag. 48.

CAP. XXXIX.

De tertia repręhenſione, quę fiet in die iudicij. pag. 49.

CAP. XL.
Quomodo damnati non poſſunt velle bonum aliquod vel optare. pag. 50.
CAP. XLI.
De gloria Beatorum. pag. 51.
CAP. XLII.
Quomodo poſt iudicium generale damnatis augebitur pœna. pag. 53.
CAP. XLIII.
De vtilitate tentationum: Et qualiter anima in mortis extremitate guſtat & intelligit locum ſibi deputatum, etiam antequam à corpore ſeparetur. pag. 55.
CAP. XLIIII.
Quomodo Diabolus homines decipit, ſub alicuius boni colore. pag. 57.
CAP. XLV.
Oſtenditur qui ſunt illi quibus minimè nocēt ſpinæ, quas mundus per peccatum germinauit. pag. 58.
CAP. XLVI.
De malis procedentibus ex cæcitate intellectualis oculi: Et quòd bona facta in peccato mortali, non valent ad vitā æternam. pa. 61.
CAP. XLVII.
Quomodo præcepta ſeruari non poſſunt, niſi ſeruentur etiam conſilia: Et qualiter in omni ſtatu Deus acceptat bonam hominis voluntatem. pag. 63.
CAP.

CAP. XLVIII.

Quomodo ſerui mundi, quamuis multa poſsideant, ipſi tamen ſaturari nequeunt: Et de pœna quam peruerſa voluntas eis exhibet. pag. 65.

CAP. XLIX.

Quomodo timor ſeruilis non ſufficit ad ęternam vitam obtinendam: ſed cum exercitio timoris huius peruenietur ad amorem virtutum. pag. 66.

CAP. L.

Qualiter hæc anima multùm amaricata fuit ex illorum cæcitate, qui in flumine mergebantur. pag. 68.

CAP. LI.

Quomodo tres gradus in ponte figurati: videlicet, in filio Dei ſignificant tres potentias animæ. pag. 69.

CAP. LII.

Quomodo ſi antedictæ tres animæ potentiæ non ſunt vnitæ, non poteſt haberi perſeuerantia, ſine qua nullus ad ſuum terminum peruenire poterit. pag. 71.

CAP. LIII.

Expoſitio illius verbi Ieſu Chriſti: Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. pag. 71.

CAP. LIIII.

Quem modum tenere debent homines, vt exire de pelago poſsint illæſi, & tranſire per pontem. pag. 72.

CAP. LV.

Repetitio ſummatim aliquorũ iam dictorum. pag.74.

CAP. LVI.

Quomodo Deus oſtendit huic animæ, quòd tres gradus pontis in particulari ſignantur per tres animæ ſtatus. pag.75.

CAP. LVII.

Quomodo hæc anima deuota reſpiciens in diuino ſpeculo, creaturas videbat varijs ambulare modis. pag. 76.

CAP. LVIII.

Quòd timor ſeruilis ſine dilectione virtutum non ſufficit vitam æternam impendere: Et quòd lex antiqua timoris, & noua lex amoris, inſimul ſunt vnitæ. pag.76.

CAP. LIX.

Qualiter exiſtens in gradu timoris primo, peruenire poteſt ad gradum amoris, qui ſecundus eſt. pag.77.

CAP. LX.

De imperfectione ſeruientium Deo, ſiue diligentium ex vtilitate, ſiue conſolatione propria. pag. 77.

CAP. LXI.

Quomodo Deus manifeſtat ſeipſum animæ diligenti eum. pag. 79.

CAP. LXII.

Quare Chriſtus non dixit: Ego manifeſtabo patrem, ſed dixit, meipſum. pag.80.

CAP

CAP. LXIII.

Qualiter anima poſt aſcenſum primi gradus ipſius pontis, ſtudet aſcendere ad ſecundum. pag.81.

CAP. LXIIII.

Quomodo Deum imperfectè diligens, etiam proximum imperfectè diligit, & de ſignis huius imperfecti amoris. pag.83.

TRACTATVS SECVNDVS.

CAP. LXV.

De modo quem anima tenere debet, vt ad amorem purum atq; liberalẽ perueniat. p.85.

CAP. LXVI.

Qualiter anima peruenire debet ab oratione vocali ad mentalem. Recitatur etiam viſio per hanc animam habita. pag.85.

CAP. LXVII.

De fraude quam homines incidunt, qui Deũ diligunt: & ei ſeruiunt ex propria vtilitate. pag.90.

CAP. LXVIII.

De fraude qua decipiuntur etiam ſerui Dei, qui Deum amant hac imperfecta dilectione iam dicta. pag.91.

CAP. LXIX.

De his qui ne perdant conſolationem propriam, negligunt proximum in ſua neceſsitate. pag.92.

CAP. LXX.

De

De deceptione qua falluntur illi, qui ſuum affectum poſuerunt in conſolationibus, atq; mentalibus viſionibus. pag. 93.

CAP. LXXI.

Quomodo præfati, qui delectantur in mentalibus viſionibus, aliquando decipiuntur à Diabolo, qui ſe transfigurare poteſt in angelum lucis. Et de ſignis quibus poteſt agnoſci, quando viſio procedit à Deo, vel à Diabolo. pag. 94.

CAP. LXXII.

Qualiter anima quæ ſeipſam agnoſcit prudenter euadit præfatas fraudes. pag. 95.

CAP. LXXIII.

Quomodo anima recedit ab amore imperfecto, & peruenit ad amorem perfectum. pag. 96.

CAP. LXXIIII.

De ſignis, quibus cognoſcitur, animã attigiſſe ad amorem perfectum. pag. 97.

CAP. LXXV.

Qualiter imperfecti ſequi cupiunt ſolummodò patrem: Sed perfecti ſequuntur filium. Et de quadam viſione pulchra. pag. 98.

CAP. LXXVI.

Quomodo voluntas propria in anima mortua; ſignum verum eſt, quod ipſa peruenerit ad os, videlicet ad tertium gradum ſupraſcripti pontis. pag. 100.

CAP. LXXVII.

De operibus animæ poſtquam tertium gradũ aſcendit. pag. 102.

CAP. LXXVIII.

De quarto ſtatu, qui tamen non eſt à tertio ſeparatus: Et de operibus animæ, quæ ad ipſum peruenit. pag. 104.

CAP. LXXIX.

Quomodo Deus ab his perfectiſsimis nunquam diſcedit per gratiam nec per ſenſum. pag. 107.

CAP. LXXX.

Quomodo mundani Deo gratias reddunt, velint nolint. pag. 109.

CAP. LXXXI.

Qualiter etiam Dæmones gloriam Deo reddunt, atq; laudem, licet inuiti. pag. 110.

CAP. LXXXII.

Qualiter anima corpore ſoluta, plenè videt gloriam & laudem Dei in qualibet creatura: Et qualiter in ea finita eſt pœna deſiderij: ſed non deſiderium. pag. 110.

CAP. LXXXIII.

Qualiter illi qui perueniũt ad tertium & quartum gradũ, vt habetur ſupra, cupiunt à corpore diſſolui, vt etiam Apoſtolus Paulus optabat. pag. 111.

CAP. LXXXIIII.

Quibus cauſis cupit anima à corpore ſeparari. pag. 113.

CAP.

CAP. LXXXV.

Quomodo melius eſt ire pro conſilio ſalutis animę, ad vnum humilem cum conſcientia ſanctâ, quàm ad litteratum ſuperbũ. pa.114.

CAP. LXXXVI.

Vtilis repetitio quorundam: Et inducitur hæc anima ad orandum pro omnibus hominibus, & pro ſancta Eccleſia. pag. 116.

TRACTATVS TERTIVS.

CAP. LXXXVII.

Qualiter hæc anima petit à Deo ſcire de ſtatibus lachrymarum. pag.117.

CAP. LXXXVIII.

De differentia lachrymarum, diſcurrendo per prædictos animæ ſtatus. pag. 118.

CAP. LXXXIX.

Quomodo quinque ſunt maneries lachrymarum. pag.119.

CAP. XC.

Repetitio breuis eorũ quæ ſupra dicta ſunt: Et quomodo Diabolus effugatur ab his, qui peruenerunt ad lachrymas quintas. pa.122.

CAP. XCI.

Qualiter Deus à quibuſdam qui gemere deſiderant, ex ipſorum vtilitate ſubtrahit habere lachrymas. pag.124.

CAP. XCII.

Quomodo quatuor ex prædictis quin-

que

que ſtatibus lachrymarnm exhibent varietates plurimas lachrymarum: Et quomodo Deus vult ſibi ſeruiri cum re infinita, & non finita. pag.125.

CAP. XCIII.

De fructu lachrymarum mundanorum. p. 126.

CAP. XCIIII.

Quomodo prædicti mundani gemētes, à quatuor ventis colliduntur. pag. 128.

CAP. XCV.

De fructibus ſecundarum & tertiarum lachrymarum. pag. 131.

CAP. XCVI.

De fructu quartarum & vnitiuarum lachrymarum. pag. 133.

CAP. XCVII.

Quomodo Deo regratiatur hæc anima, de declaratione prędictorum ſtatuum lachrymarum: Et ei tres petitiones facit. pag.136.

CAP. XCVIII.

Quomodo lumen rationis eſt neceſſarium cuilibet animæ volenti Deo in veritate ſeruire: Et primò de lumine generali. pag.137.

CAP. XCXIX.

De illis qui poſuerunt affectum ſuum potiùs in mortificatione, quàm in occidendo propriam voluntatem: Et hoc eſt pluſquam generale lumen, & eſt lumen ſecundum. pag. 139.

CAP.

CAP. C.
De tertio & perfectiſsimo lumine rationis: Et de operibus quæ facit anima, poſtquam ad ipſum ſtatum peruenit: Et de quadam pulchra viſione, quam habuit hæc anima. pag. 140.
CAP. CI.
Per quem modum arram æternę vitæ recipiunt in vita præſenti, qui conſiſtunt in iſto glorioſo & perfectiſsimo tertio lumine. pag. 143.
CAP. CII.
Quomodo proximus argui debeat, volendo vitare iudicium falſum. pag. 144.
CAP. CIII.
Si quis in oratione videret aliquem proximũ eſſe tenebroſum, non tamen debet ex hoc à ſeruo Dei temerè iudicari, quòd ille ſit in peccato mortali. pag. 146.
CAP. CIIII.
Quomodo pœnitentia ſumi non debet pro fundamento principali, ſed affectus & amor virtutum. pag. 147.
CAP. CV.
Repetitio in ſumma, cum quadam additione, de repræhenſione proximi. pag. 148.
CAP. CVI.
De ſignis ad agnoſcendum, quando viſitatio-

nes,

nes,& viſiones mentales à Deo ſint, vel à Diabolo. pag. 149.

CAP. CVII.

Quomodo Deo valdè placet ille, qui petit & pulſat cum perſeuerantia ad ianuam ſuæ veritatis. pag. 151.

CAP. CVIII.

Qualiter hęc anima Deo regratiatur: Deindeq́ue pro toto mũdo facit orationẽ,& pręcipuè pro ſuis in Chriſto filijs, & pro duobus patribus animæ ſuæ. pag. 152.

CAP. CIX.

Quomodo Deus hanc animam ad orationem ſollicitat, reſpondendo ad aliquam ſupradictarum petitionum. pag. 154.

CAP. CX.

De dignitate Sacerdotum, atque de Sacramẽto corporis Ieſu Chriſti: Et de his qui dignè vel indignè ſuſcipiunt vel communicant. pag. 154.

CAP. CXI.

Qualiter omnes corporei ſenſus in iſto Sacramento decepti ſunt: ſed non animæ ſenſus, & cũ illo debet videri, guſtari, & tãgi. Et de viſione quadam pulchra pag. 158.

CAP. CXII.

De excellentia ſumentis in ſtatu gratię, Sacramentum hoc admirabile. pag. 159.

CAP. CXIII.

Quo-

Quomodo Deus requirat à Sacertotibus, in tãta dignitate conſtitutis maiorẽ puritatem, quàm in alijs creaturis. pag. 160.

CAP. CXIIII.

Quomodo Sacramenta nullo modo debent emi ſiue vendi: Et illi qui recipiunt ea, debẽt huiuſmodi temporalibus voluntariè ſubuenire miniſtris. pag. 161.

CAP. CXV.

De dignitate Sacerdotum: Et quia Sacramentorum virtus ex defectu miniſtrantium ſiue recipiẽtium nullo modo minuitur. Et quia non debent à ſecularibus corrigi. pag. 162.

CAP. CXVI.

Quomodo perſecutionem factam Eccleſiæ ſiue miniſtris, Deus imputat ſibi factam; Et quod eſt grauiſsima culpa. pag. 163.

CAP. CXVII.

Locutio de perſecutoribus Eccleſiæ ſanctæ, atq; de miniſtris, varijs modis. pag. 166.

CAP. CXVIII.

Breuis repetitio ſuper prædictis de Eccleſia, et miniſtris eius. pag. 167.

CAP. CXIX.

De excellentia & virtutibus miniſtrorum ſanctorum: Et quomodo conditionem habent ſolis: Et de ipſorum correctione circa ſubditos. pag. 168.

CAP. CXX.

Repetitio in ſumma de reuerentia,quę Sacerdotibus reddi debet, ſiue bonis ſiue malis. pag.174.

CAP. CXXI.

De defectibus,& vita reproba Sacerdotum,& miniſtrorum iniquorum. pag. 176.

CAP. CXXII.

Quomodo in prædictis miniſtris iniquis iniuſtitia regnat: Et præcipuè non corrigendo ſubditos. pag.179.

CAP. CXXIII.

De quampluribus alljs defectibus. pag. 180.

CAP. CXXIIII.

Quomodo in ipſis miniſtris inuenitur eſſe peccatum contra naturam: Et de quadam viſione ſuper hoc habita. pag. 181.

CAP. CXXV.

Quomodo ſubditi ex predictis defectibus, quos in Prælatis aſpiciunt,ſe minimè corrigunt. pag. 184.

CAP. CXXVI.

Quomodo in dictis iniquis miniſtris Eccleſiæ, regnat luxuriæ peccatum. pag.187.

CAP. CXXVII.

Qualiter in prædictis miniſtris auaritia regnat,etiam ad vſuram præſtando. pag. 190.

CAP. CXXVIII.

Quomodo ſuperbia regnat in prædictis miniſtris,

niſtris, per quam ſenſus perditur. pag. 193.

CAP. CXXIX.

De quampluribus alijs defectibus, qui procedunt à ſuperbia, & amore proprio. pag. 197.

CAP. CXXX.

De multis alijs defectibus, quos iniqui præfati miniſtri committunt. pag. 201.

CAP. CXXXI.

De differentia mortis iuſtorum & peccatorum: Et primò de morte iuſtorum. pag. 203.

CAP. CXXXII.

De morte peccatorum: Et pœnis eorum in hora mortis. pag. 206.

CAP. CXXXIII.

Repetitio ſuper aliquibus iam ſupradictis: Et quomodo ſeculares expreſsè prohibentur, ne manus apponant in Clericos. pag. 211.

CAP. CXXXIIII.

Qualiter hæc anima deuota, laudando dominum, facit orationem pro Eccleſia ſancta. pag. 212.

TRACTATVS QVARTVS.

CAP. CXXXV.

De prouidentia Dei: Et prius in generali. p. 215.

CAP. CXXXVI.

Quomodo Deus prouidet exhibendo ſpem homini: Et qui ſperat ampliùs, guſtat perfectiùs eius prouidentiam. pag. 218.

CAP. CXXXVII.

Quomodo Deus in veteri Teſtamento prouidit cum lege atque Prophetis: Et poſtmodùm in nouo cum Euangelica doctrina. pa. 220.

CAP. CXXXVIII.

Quomodo quicquid nobis Deus concedit, eſt ſolummodò pro bono noſtro: Et quòd illi ſunt cæci qui iudicant oppoſitum. pag. 221.

CAP. CXXXIX.

Quomodo Deus in aliquo particulari caſu, prouidit ſaluti animę illius, cui caſus occurrit. pag. 223.

CAP. CXL.

Deus conquerēs de creaturis: Et exponens vnam figuram, exhibet doctrinam perutilē. pag. 224.

CAP. CXLI.

Quomodo Deus prouidit erga nos, vt pro ſalute noſtra tribulemur: Et de miſeria illorum qui ſperāt in ſe, & non in Dei prouidētia. pag. 227.

CAP. CXLII.

Quomodo Deus animabus famelicis gratioſè prouidit, de cibo venerandi Sacramenti corporis Ieſu Chriſti. pag. 230.

CAP. CXLIII.

De prouidentia Dei, circa manentes in peccato mortali. pag. 233.

CAP.

CAP. CXLIIII.

De prouidentia, qua vtitur Deus cum illis, qui ſunt adhûc imperfecti, vt ad perfectionem virtuosè perueniant. pag. 235.

CAP. CXLV.

De prouidentia, qua vtitur Deus erga ſeruos ſuos, qui ſunt in charitate perfecta. pag. 238.

TRACTATVS QVINTVS.

CAP. CXLVI.

Repetitio breuis antedictorum: Poſteà loquitur de verbo Ieſu Chriſti ad Petrum: Mitte rete ad dexteram, &c. pag. 242.

CAP. CXLVII.

Quomodo rete prædictum perfectiùs in mare iactat vnus, quàm alius. pag. 244.

CAP. CXLVIII.

De prouidentia Dei, qua vtitur cum ſuis creaturis, in vita præſenti, & in alia. pag. 246.

CAP. CXLIX.

De prouidentia, qua vtitur Deus erga pauperes ſuos ſeruos, etiā in temporalibus. p. 248.

CAP. CL.

De malis, quæ procedunt in poſsidendo, vel inordinatè deſiderando diuitias temporales. pag. 250.

CAP. CLI.

De excellentia pauperum Spiritu: Et quomodo Ieſus Chriſtus exemplo nos docuit. pa. 252.

CAP. CLII.

Repetitio ſummaria, de prædicta prouidentia diuina. pag. 257.

CAP. CLIII.

Qualiter hæc anima poſt gratiarum actiones, dominum humiliter exorat, vt ei loquatur de virtute obedientiæ. pag. 258.

TRACTATVS SEXTVS.

CAP. CLIIII.

Tractatus de obedientia, & vbi reperitur: Et de ſignis eius. pag. 259.

CAP. CLV.

Qualiter obediētia eſt clauis, qua aperitur cœlum. pag. 261.

CAP. CLVI.

Hîc loquitur de miſeria inobedientium, & de excellentia obedientium. pag. 264.

CAP. CLVII.

De his, qui tantùm amant obedientiam, quòd non ſunt contenti de generali obedientia: immo ſumunt obedientiam particularem. pag. 265.

CAP. CLVIII.

Per quem modum peruenitur ab obedientia generali, ad particularem. pag. 266.

CAP. CLIX.

De excellentia obedientiũ: Et miſeria inobedientiũ in religione conſiſtentium. pag. 270.

CAP. CLX.

Quomodo veri obedientes Deo centuplum accipiunt: Et qualiter hoc intelligitur. pag. 275.

CAP. CLXI.

De miſera peruerſitate inobedientium: Et de defectibus procedentibus ab inobedientia. pag. 276.

CAP. CLXII.

De illorum perfectione, qui viuunt in religione tepidè, quamuis à mortali peccato ſe cuſtodiant: Ac de remedio per eos habendo. pag. 279.

CAP. CLXIII.

De excellentia virtutis obedientiæ: Et de bonis quæ tribuit illis, qui realiter eam aſſumunt. pag. 281.

CAP. CLXIIII.

Diffinitio duarum obedientiarum, vna religioſorum, altera quæ promittitur extra religionem alicui perſonæ. pag. 283.

CAP. CLXV.

Quomodo Deus non ſecundùm laborem obedientiæ præmiat, neque ſecundùm longitudinem temporis: Sed ſecundùm magnitudinem charitatis: atq; de promptitudine verorum obedientium. pag. 284.

CAP. CLXVI.

Repetitio & quaſi ſumma, totius libri præſentis. pag. 287.

CAP. CLXVII.
Quomodo hæc anima deuotiſsima Deo valdè regratiatur, & orationem effundit affectuoſam pro ſancta Eccleſia, & vniuerſo mundo: Et virtutem fidei commendans, imponit finem huic operi. pag. 289.

SEQVVNTVR ORATIONES BEAtiſsimæ Catharinæ Virginis.

1. Oratio beatiſsimę Catharinæ, pro ſtatu Eccleſiæ. pag. 292.
2. Oratio eiuſdem, pro miniſtris Eccleſiæ. pag. 294.
3. Oratio eiuſdem, pro legatione S. Pōtificis: Et reformatione Officialium Curiæ. p. 295.
4. Oratio eiuſdem, facta poſt communionem. pag. 296.
5. Oratio eiuſdem, in die ſancti Thomæ. pag. 299.
6. Oratio eiuſdem, in die cathedræ ſancti Petri. pag. 300.
7. Oratio eiuſdem, die Dominico, 20. februarij, &c. pag. 301.
8. Oratio eiuſdem, die Martis, 22. februarij. pag. 303.
9. Oratio eiuſdem, die Lunæ, primo Martij. pag. 306.

10. Oratio

10. Oratio eiuſdem, die Mercurij, tertio Martij. pag.308.
11. Oratio eiuſdem, die Annunciationis Virginis Mariæ. pag. 309.
12. Oratio eiuſdem, die Dominico, 26. Martij. pag.312.
13. Oratio eiuſdem, die Iouis, quinto Aprilis. pag. 316.
14. Oratio eiuſdem, in Circũciſione Domini. pag. 317.
15. Oratio eiuſdem. pag.319.
16. Oratio eiuſdem. pag.320.
17. Oratio eiuſdem, die 12. Auguſti. pag.321.
18. Oratio eiuſdem. pag.321.
19. Oratio eiuſdem, die 13. februarij. pag.322.
20. Oratio eiuſdem, die 14. februarij. pag.324.
21. Oratio eiuſdem, die 15. februarij. pag.326.
22. Oratio eiuſdem, die 16. februarij. pag.329.

Vita Nova
di M. Sillitti
Latina-(B. Piave)
1969